JOANNIS PAULI OLIVA

PRÆPOSITI GENERALIS
Societatis JESU

ALLOCUTIONES

Ad ſuos in Urbe.

SIVE

EXHORTATIONES DOMESTICÆ

Interprete JACOBO BOSCHIO.
Ejusdem Societatis Sacerdote.

PARS II.

Typis Univerſitatis Carolo-Ferdinandeæ,
in Colleg. Soc. JESU ad S. Clement, Anno 1676.

EXHORTATIO XIII.

VOta Religiosa ex præscripto Regularum, sanctarumque cujuscumq; Religiosi Ordinis consuetudinum servanda sunt: quod enim alicui Religioni summopere prodest, id ipsum alteri haud mediocriter officit.

EXHORTATIO XIV.

Eruditio, & Sapientia Sanctimoniam & fervorem promovent in iis Sacris Ordinibus, qui vitam inter homines agunt, & à S. Sede Romanâ excolendis Animabus, & erudiendis Infidelibus destinantur.

EXHORTATIO XV.

Præses Religiosus, ad continendos in

officio subditos, accuratissimâ charitate provideat, quidquid eorum corporibus aut debetur, aut convenit. Subjecti vicissim Præpositos observent, opténtque ad Virtutem stimulis urgeri, cupiditatésque suas frenari.

EXHORTATIO XVI.

Virtutis fucatæ, ac ementitæ vitio fit, ut in Cœnobiis quantamlibet austeritatem professis, & speciem religiosæ observantiæ præferentibus, prodigia, & illustrationes divinæ desiderentur.

EXHORTATIO XVII.

Prava Consilia, & exempla non optima eorum, qui inter Viros Religiosos sunt maximè conspicui, sacra Claustra depopulantur, & conceptam Juniorum virtutem, ardorémque gliscentem præfocant.

EX-

EXHORTATIO XVIII.

Virtutis Ardor facilè remittitur, quem non inductio animi, ſed pœnæ metus accendit. Augetur ille quidem in immenſum, ſi ætate, gradúque provectiores, tum vitæ inculpatæ exemplo, tum incenſo ſtudio laboris Tyronibus præeant.

EXHORTATIO XIX.

Religioſarum Domuum omnis in virtute profectus pendet è ſtudioſâ obſervantiâ Decretorum, & Conſuetudinum, quâ vel à Fundatoribus præſcripta, vel in Generalibus Congregationibus ſtatuta ſunt.

EXHORTATIO XX.

Quemadmodum Sanctitas effulget, ubi mentalis oratio viget, ſic ubi hæc negligitur, continuò & ſua legibus obſer-

vantia perit, & earum violationes invalescunt.

EXHORTATIO XXI.

Calamitates, quibus Monasteria, & Ordines Sacri, Deo sic permittente, premuntur, necessitatem imponunt Dei Servis, vel ad resumendum Fervorem non nihil remissum, vel ad augendum, si primis flammis etiamnum calet.

EXHORTATIO XXII.

Fieri non potest, ut absque Modestiâ exteriore Virtutes floreant. Ea subinde S. Ignatii Filiis est magnopere necessaria, ut ejus splendore à Seculari Clero discernantur, quocum illis idem est Corporis cultus.

EXHORTATIO XXIII.

Dici non potest, quantum in Evangeli-

gelicâ Verecundia positum sit, tum ut Populis, quos excolimus, venerabiles reddamur, tum ut nosmetipsos Virtutibus Apostolicis, & omni genere perfectionis Evangelicæ exornemus. Qui verò eâ caret, magno in periculo versatur, ne desertâ Terrâ Sanctâ, Ægyptum revisat.

EXHORTATIO XXIV.

Aloysius Gonzaga eò Sanctus fuit, quòd domi de Deo loqueretur. Colloquia tum divina, sicut eos, quibus in usu sunt, omni sanctitate cumulant, sic aversos à se tepidorum Religiosorum animos miserandis ruinis, & penitissimo primævi Fervoris excidio relinquunt obnoxios.

EX-

EXHORTATIONES DOMESTICÆ

Habitæ

In Collegio Romano.

EXHORTATIO XIII.

In Pervigilio Epiphaniæ.

Apertis Thesauris suis obtulerunt Ei munera, Matth. 2.

SYNOPSIS.

R*Eligiosorum Ordinum quilibet in observatione votorum proprios ritus, & Instituti rationem sequatur. Nobis igitur Constitutiones nostræ Duces sint. Floreat earum in subditis exactissima observantia, & in Præpositis intrepida custodia vigeat. Quilibet subinde Religiosus, si fortè sacras consuetudines obire, vel negotiorum, quibus distinetur, natura, vel Principum in quorum ædibus versatur, convictus eum prohibeant, ubi primùm licuerit, eas resumat, ad eum mòdum, quo Juditha ad secessum &*

victûs parſimoniam poſtliminio rediit. Subditis Petrus ſit forma obſequii, etiam Cælo repugnans ad vetitas eſcas invitanti. Is, qui cum imperio eſt, ad Moſis exemplum ſe conformet, qui dum effluere ſibi, quod tenebat, è manibus paſſus eſt, mutatum id deprehendit in Ceraſten. Qui ſubjectorum erga ſe obſervantiam deſiderat, eos ad Votorum obſervationem adſtringat potiùs, quàm ab eadem relaxet.

I. MEſſiæ recèns in lucem edito, pro ſe quiſq; trium iſtorum Principum theſauros ſuos obtulit, neq; ullus eorum depoſuit ad Pueri pedes ſeu Aromata, ſeu Aurum Regum ſociorum. Omnes omnino Animæ Religioſæ, quæ Perfectionis Evangelicæ Conſilia ſectantur, ſub umbrâ Crucis Chriſti vitam vivunt Pauperem, Caſtam, Obedientem: errarent nihilominus vehementer, ſi Vo-

torum

torum ſuorum fidem liberaturos ſe crederent, dum qualicunque Caſtimoniâ, Paupertate, aut Obedientiâ contentæ vitam agerent, non ſervatis exactiſſimâ cuſtodiâ Conſtitutionibus ſuis, quæ nimirum ſunt Interpretes Votorum, quæ nuncupârunt. Quam ob cauſam S. P. in formulâ Religioſi noſtri Sacramenti Filios ſuos jubet coram SS. Triade teſtari, dedicare eos ſe illi non Votorum duntaxat religione, ſed earum quoq; rerum conſcientiâ, quæ legibus noſtris ſuper ijs ſanciuntur: unoquoq; noſtrûm juratarum virtutum profeſſioni conceptis verbis ſubjungente. *Omnia intelligendo* JUXTA SOCIETATIS CONSTITUTIONES. Quod ſanè neceſſariæ providentiæ ſapientiſſimo conſilio, tum à Legum noſtrarum Latore conſtitutum eſt, tum à nobis in præſentia exponetur. Tametſi enim Paupertas noſtra, & ab Eccleſiâ laudem, & ab Evangelio formam acceperit, eſt ea nihilominus diverſiſſima ab eâ Paupertate, quam Minores Obſervantes, & Anachoretæ Ægyptii colunt.

lunt. Hi enim excalceati pedes, fune renes, & totum corpus hirto tegmine includente in anguſtiſſimis cellis indormiunt ſtramini, vitámque aut texendarum mattarum labore, aut leguminibus emendicatis tolerant: cùm nobis & calcei pedes, & corpus lanea tunica tegat, culcitra quieſcentes, nec agreſtia prorſus conclavia accipiant, & in multis noſtrarum ædiũ annuis reditibus alamur. Non tamen idcirco dum in aliis externam ſpeciem extremæ mendicitatis veneramur, noſtræ quoq; Paupertati non larga à DEO præmia promittimus: donec, illam & amantes ùt Matrem, & ceu Murum defendentes, citra expreſſam Moderatorum veniam, nec accipere filum, nec folium chartæ largiri audemus. Nos quoque, cùm vel charitas, vel neceſſitas jubet, oſtiatim colligimus tenuiſſimi victûs ſtipem, ſeu ut eâ in paupertinis Collegiis paſcamur ipſi, ſeu ut ad publicas cuſtodias delatâ captivos reficiamus. Complures in utraq; India nudis pedibus magno non minùs Barbari fa-

ri faſtûs opprobrio, quàm ſolatio Neophytorum Miſſiones obimus, levidenſam induimur, herbarum radicibus ſolamur inediam, & tuguria habitamus; ita videlicet animarum ſtudio, & Inſtituti noſtri ſanctitate nobis dictitante. Id quod ego de Voto minùs arduo, vos porrò de aliis diſſeratis. Vovet Monachus loci ſtabilitatem, nos incertas Domus, & quamlibet mundi plagam habituros pro Patria profitemur. Caſtitas quoq; niſi frontis modeſtiâ, cuſtodiâ oculorum, omnium compoſitione membrorum; Silentio per vicos, ſono ſubmiſſo ſermonis, imitetur Angelicam, noſtra non eſt. Quam moderationem ab Alumnis ſuis reliqua Cœnobia eâ forſan ſeveritate non exigunt, quâ Ignatius Filios ſuos ad conſtantem & accuratiſſimam ejus cuſtodiam adſtrinxit. In ſumma, quemadmodum Tres Reges, Thus, Myrrham, Aurum, non promiſcuè in præſepe profuderunt, ſed in pretioſis Urnis tot myſteriis plena vectigalia, ſinguli ſingula Servatori, quem adorabant,
 ob-

obtulerunt; Ita nos noſtra ipſi Vota promamus ſacroſanctis vaſis noſtrarum Conſtitutionum concluſa, quæ in longè utiliſſimum, ſummáq; veneratione colendum Summarium redactæ ſunt. *Omnia intelligendo juxta Societatis Conſtitutiones.* Ad cuſtodiam Sacri Libelli (in cujus complexu Ioannes Berkmannus meus idem in Superioribus Diſciplinís Condiſcipulus, & in virtutis ſtudio Magiſter, perlubenter, & ſanctè mortuus eſt) quíq; in ſe naturam & modum Votorum noſtrorum comprehendit, tam vos quàm me ipſum exhortari hoc veſpere conſtitui, ut videlicet, quæ munera offerimus, planè ſint noſtra; útque nos etiam Magos imitati Chriſto nato tradamus, non theſauros minùs quàm vaſa, quibus illi & continentur, & conſervantur. APERTIS THESAURIS SUIS, *obtulerunt ei munera.*

2. *Omnia intelligendo juxta Societatis Conſtitutiones.* Adeò neceſſaria Decretorum noſtrorum cuſtodia, ad noſtrorum Votorum conſervationem eſt, ut ſi

ut ſi quando iſta deficerent, ædes noſtræ omnes in Chaos quoddam abirent, cùm viciſſim, ſi hæc ſarta tectáq; conſerventur, unumquodq; Collegium noſtrum vivum Dei ſit Templum. Neque quiſquam hæc à me dici miretur, cum ſententiam eandem de Mundo univerſo tulerit S. Valerianus. Age enim, Eſtne Terrâ Cælóq; magnificentius quidquã? nihil opinor. Si tamen corporibus tam illuſtribus ordinis illius diſciplina, quam in mortalium felicitatem, cui parandæ deſtinata erant, Deus præſcripſit, aliquando deficeret, in unam procul dubiò omnia molem ſubſiderent; cúmque in formoſiſſimis ejuſmodi rebus effigiem quandam Dei modò ſuſpiciamus, exhorreſceremus ſubinde ad fœdiſſimos abominandóſq; illarum abortus, ſi extra præſtitutos defixóſq; ſibi terminos evagarentur. Lubeat audire argumenta Sancti Scriptoris, è quo ſententiam, quam expono, deprompſi. *Nemo* DISCIPLINAM *irrationabilem putet, ſub quâ videt, univerſis, quæ in Cælo & ſub Cælo*

Hom. 1. de bono Diſciplin. Tom. 47. 160.

Cælo sunt, verbo operante, compositis, OMNIPOTENTIS DEI STARE CONSILIUM. *In principio enim operis sui Deus nihil priùs,* QUAM DISCIPLINAM *fecit.* Prô miseram rerum universitatem! Si vel unum ex Elementis à divinis legibus vel latum unguem deflecteret. Extemplo enim ubi Cælum terræ vel calorem æstivis temporibus, vel frigus negaret hybernis, neq; in agris pullularent segetes, neq; in montium cavernis metalla formarentur. Unius tantùm è quatuor anni partibus immutatio, fame Regna, pestilitate Provincias exhauriret, maximámque orbis partem cumularet funeribus. *Omnia profectò* INSIPIENS NATURA *confunderet* (prosequitur Valerianus) *nisi mundum Disciplinæ ratio gubernaret.* Eatenus vivimus incolumes, dum unaquæq; rerum creatarum Providentiæ divinæ præscriptis rationibus se submittit: Quibus ut obsequantur præcipua stellati mundi lumina radiorum suorum aciem retundi, & statas Defectionum vices patiuntur.

Adde: quòd tot tantiq; Superiores Globi nullam quietem capiunt: Ab altero ad alterum mundi Axem Sol recurrit; qui, si paucorum dierum spatio interjungere ausit, & immotus ex eodem loco effulgeat, vastet urbes necesse sit, inflammétq; Provincias. *Quid non incompositum, quid non haberetur absurdum, nisi constitutis Legibus cuncta starent elementa*? In hanc planè sententiam laudatus Scriptor colligit rationum suarũ gravissima momenta. Idem vos de Societate, quæ Microcosmus quidam est magno Ecclesiæ orbe conclusus, pronuncietis licet. Actio nostra omnis seu litterata, seu spiritualis illa sit, quæ his temporibus, divinâ opitulante gratiâ, tantopere & prodest animis, & regnis commodat, infructuosa, immo perniciosa evaderet, nisi eam Edictorum nostrorum Sanctitas temperaret Litteratos superbia seqveretur, Bene meritos putris otii ignavia, Ferventes tepor, Mediocres tristitia occuparet: Præsides tædio conficerentur, Subditi jugum excuterent:

terent: nisi ad sanctè vivendum singu lis præsidium opémq; præscriptæ Leges afferrent. Scientia inter nos non inflat, sed virtutis studium intendit; excitat labor, non frangit; obsequii humilitas serenat nubila, non offundit; ímperii dignitas ministrat, non opprimit. Plausus deniq; addunt currentibus stimulos, non substernunt sudantibus pulvinaria. Hinc est, quòd videamus eos, qui sapientiâ cæteros antecellunt, demissione animi plurimùm eminere; quíq; maximè observantur ab omnibus, eos Præposito-rum suorum observantiores esse. Ita laboribus penè confectos ad novos exhauriendos promptiores; hilariores, qui arctiùs habentur; eos denique, qui reliquis præsunt, caritate pariter, comitatéque præstantiores deprehendimus. Academiarum nostrarum sidera Eclipses pati non refugiunt, quàm primùm à Præside seu immutare sententiam, seu volumina supprimere, aut denique obmutescere, inventionésque suas Holocausto consecrare jubeantur. Nullum est

eſt in ſuggeſtis noſtris Eloquentiæ flumen, quod ripas indignetur, quin mutatâ in utilitatem curioſitate, malit intueri lacrymas Auditorum, quàm plaudentium ſecundos ſtrepitus exaudire. Ad eundem modum, qui auctoritate poteſtatis Oceanum aliquem refert, non egreditur modeſtæ, temperatæq; Præfecturæ crepidinem, neq; unquam, aut arrogantiâ verborum, aut imperiorum violentiâ in ſibi ſubjectos intumeſcit. Subinde temporum ſibi perpetuò ſuccedentium myſtica viciſſitudo in omni noſtrâ domo imaginem quandam Paradiſi expingit. Horas ſtudiis debitas nemo precibus occupat; Meditandi tempore nemo ſtylum tractat. Dum à cænâ relaxare animos jubemur, nullus ſilentium aut ſolitudinem captat; ſicuti finitis familiarium colloqviorum brevibus induciis, unusquiſq; ſe in Muſæum ſuum recipit, vel ad ſubducendas animi rationes, vel ad ſacros libellos perlegendos, vel denique ad ſuſcipiendas beatas illas pœnas, quibus in ſe ante ſomnum animadver-

ten-

tendi facta iis potestas est. Idem reliquæ diei, quæ negotiis commodatur, tenor: dum Ignatij Filii ad præscriptorum operum onera capienda certatim convolant. Hi curare in officinis, illi in Scholis Disciplinas tradere, alii in Templis pœnitentibus jus dicere, nonnulli moribundis præstò esse, alii solari captivos, alii ad spem erigere miseros, ad virtutem exhortari, quos suorum memoria commissorum affligit; pro se quisque demum exequi, quod singulis aut ratio muneris, aut sua virtus suggesserit. Ut adeò locum hîc quoque habeat Valeriani sententia, transferendo à Deo ad Ignatium, id quod à Deo accepit Ignatius. *Omnia sub* DISCIPLINA *constituit*. E contrariò dissolveretur tam spectabilis machinæ vis, quâ, Christo aurigante, tanquam Ezechielis curru Dei nomen, Crúxque Servatoris in plerasq; plagas orbis terrarum invehitur, si in rebus cætera probabilibus morem ordinis non retineret. Tanti refert Votorum Religiosorum Thesauros Christo

Par-

Parvulo in propriis Inſtituti ſui vaſis exhiberi. APERTIS THESAURIS SUIS, *obtulerunt ei munera.* Carthuſianus, ſi vocem mittat, Perfectioni ſuæ labem inferet, & ſi pedem efferat extra ſolitudinis ſuæ ſepta, Clauſtri ſui fundamenta convellet. Contrà IGNATII Alumnus, ſi Academiarum Exedris, templis, Cœtibus, Oratoriis, Miſſionibus vocis ſuæ operam neget, ac in ſeceſſu, & contemplationis quieto ſilentio perfrui Deo volet, næ is quamlibet domum noſtram penitus diſſolveret, deſinerétque eſſe, qui eſt, qualémq; eum cupit Eccleſia. *Omnia intelligendo juxta Societatis Conſtitutiones.* Vacamus equidem rerum divinarum meditationi, ſed & verba ad Populum facimus, & diſputamus in Scholis. Tacemus, ſed & rudes Doctrinâ Chriſtianâ imbuimus, & errantes revocamus in viam. Quot annis octonos ipſos dies ab omni tam ſacro, quàm civili commercio ſemoti in conclave ſecedimus, horáſq; quaternas de genibus in ejus, quæ mente peragitur, orationis exer-

exercitatione lacrymarum, gemituúmque feraci ponimus, aſſignato, quod ſupereſt diei, cognoſcendo, quo agimur, ſpiritui, ſpectandis pectorum noſtrorũ arcanis, vitæ componendæ, expurgandis minimis quibuſq; labeculis, intendendo noſtri profectûs ardori; omnium deniq; Legum noſtrarum abſolutæ numeris omnibus exactiſſimǽq; obſervationi. Hanc nihilominùs, ut ita dicam, humanis oculis inacceſſam Eremum, cruentam illam voluntariarũ afflictationum arenam, hæc Adyta contemplationum cæleſtium ſubinde magiſterium Populorum, maritimi curſus ad Barbaros, Eruditio Turbarum, itinera per montes & nemora ad Pagos, culturâ, & ſacræ illius Lucis colluſtratione, quę ad ſalutem, rerúmque divinarum cognitionem, eſt unicè neceſſaria, deſtitutas conſequuntur. Verbo: quod ſub aliis ſignis ſtipendia merentes Sanctos efficit, idem noſtra vexilla ſecutos tanquam Perfidiæ reos exauctorat. Quocirca par eſt, ſuos ritus unumquemq; Religioſum cœtum

ſequi

ſequi, & votum quodlibet Deo promiſſum, eâ ratione, ac modo perſolvi, quem Legislatores Cœnobiorum ſuorum Alumnis præſcripſerunt. *Apertis theſauris obtulerunt munera.*

3. Non obſeratis autem diligenter ejuſmodi vaſis, omnis copia inopia foret, atq; omnis noſtra liberalitas degeneraret in prævaricationẽ; hoc igitur agatur, ſive imperata facimus, ſive dura patimur, ſeu deniq; ſplendidis muneribꝰ defungimur, quod Conſtitutiones declarant. Earũ oracula nudo Votorũ ſtipiti, odorum fragrantiam, virorem frondiũ, & fructuum ubertatem adjungunt. Qua in re Africanæ Eccleſiæ Alumnos tam firmos, religioſóſq; eſſe Tertullianus voluit, ut non modò contra Leges à ſacris paginis conſtitutas deſignarent nihil, verùm ut abhorrerent etiam ab omni re tanquam nefariâ, quam vel Evangelia non imperâſſent, vel non ſanxiſſent Concilia. Super argumento ejuſmodi diſputabatur eâ tempeſtate inter Milites Chriſtianos, fáſne eſſet in Imperatorum ſuo-

ſuorum ſupplicationibus, repudiatâ quidem ſacrificiorum ſuperſtitione, coronas tamen admittere. Exiſtimabant complures capita Baptiſmo luſtrata non dedecere corollas roſaceas, quippe nullo Evangelii ullius edicto prohibitas. Dedecere verò illas, exclamat Tertullianus, non quòd ſacris litteris vetitæ, ſed quòd ab iis imperatæ nō ſint; non ſatìs habere cauſę Crucifixi Servatoris cultores, ut rē quampiam ceu diram non refugiant, eò quod palàm ac nominatim illá non execrentur ſacra volumina. Nam cujus laudes taceantur, ejus continuò vitium demonſtrari. *Sed quod non prohibetur, ultro permiſſum eſt?* IMO PROHIBETUR QUOD NON ULTRO EST PERMISSUM. *Ideo ſi dicetur coronari licere, quia non prohibet ſcriptura: æquè retorquebitur, ideo coronari non licere, quia ſcriptura non jubeat.* Quòd ſi Sancti Parentis progenies ſumus, ſic ab omni ejus nutu pendeamus oportet, ut negare credamus, quotieſcunque non jubet. Quapropter tam id, quod Sacris Summa-

De Coron. Mil.
To. 58. 194.

rii

rii Litteris traditum, præſcriptúmque non fuerit, totum pariter à nobis velut offendiculum evitetur, vel ut vulnus timeatur. Quid enim Pſalmodiâ ſanctius? quid alternis canentium choris, & ſacri Thuris vaporibus Deo gratius? Noſtra tamen Templa nec Pſalmodiam habent, nec Chorum. Negari quidem non poteſt, tam beatis concentibus Libros à Noſtris ſubſtitui tam vario multiplicíque argumento vulgatos, quibus Eccleſiaſtica Dogmata propugnantur, & invecta in Orbem vitia configuntur. Quemadmodum igitur Religioſi cæteri Ordines Chriſto non probarentur, niſi noctem cantu & precibus interpellarent, ita nec noſter placeret Deo, ſi neglectis Miſſionibus, & obſeratis Lycæis, nos ad conſecrandas Hymnis noctes, & feſtos dies Pſalmis agendos devoveremus. Planè ſicut Aër, dum ſupra terram diffunditur, in vita nos ſervat, contráque ſi cæcos cavernarum receſſus ſubierit, horrendis motibus quaſſat, evibrátque in ſublime ſcopulos, atque

urbes haurit: Ita Cœtuum ſacrorum, quilibet, ſi ultra confinia ſua excurrens in alienam meſſem falcem mittat, Hierarchiam confundit, & obſtat Publico bono. Aurum, quod in terræ viſceribus efformatur, non ſanè duraretur in agrorum, pratorúmq; planitie; ex hac tamen amœniſſimi ſurgunt floſculi, & veſca, quibus alimur, frumenta colliguntur. Ipſa igitur muta Elementa, reliquáq, omnia, quæ ex illis componuntur, nos monent, ut intra limitum noſtrorum ambitum nos contineamus. Quod idem eſt, ac dicere, pretioſa ſacrorum Vaſorum Munera nec nitorem, nec uſum habere, niſi propriarum, privatarúmq; Conſtitutionum Urnis aſſerventur. APERTIS THESAURIS SUIS, *obtulerunt munera. Prohibetur quod non eſt ultrò permiſſum. Dicetur coronari non licere*, QUIA SCRIPTURA NON JUBEAT.

4 Cujus rei prodigioſum Paradigma nobis omnibus S. Petrus exhibuit, cùm ad Joppen ardore animi abalienatus à ſen-

ſenſibus, & raptus in Deum eſt. In ea Extaſi vidit immenſum velum ſe ſe Cælo demittere, plenum feris, quotquot vel terram inambulant, vel aërem pervolitant. *Vidit Cælum apertum & deſcendens vas quoddam velut Linteum magnum, in quo erant omnia quadrupedia, & ſerpentia terræ, & volatilia Cæli.* Act. 10. 11. Conſecuta tot ferarum ſpectaculum, vox cæleſtis contemplantem juſſit portentoſæ penûs carnes devorare. *Surge Petre, occide & manduca.* Continuò Apoſtolus interceſſit Edicto, exclamánſque: mori, inquit, poſſum, manducare non poſſum! adverſarer quippe ritibus Moſaicis, quorum apud me conſtans ſemper auctoritas fuit *Ait autem Petrus*: ABSIT DOMINE, *quia nunquam manducavi omne commune & immundum.* Agnoverat Simon eum Præconem Dei Miniſtrum eſſe, nec audit tamen, conſtantérque negat, vetitorum ciborum guſtu ſe contaminandum *Abſit Domine.* Et quantumvis objiceret Nuncius, pecus illud emundatum à

Deo, perſtitit nihilominus in ſententia Pontifex, abnuítque *Quod DEus purificavit, tu commune nè dixeris.* Ter repetitum imperium, ter à Petro invitatio eſt rejecta. Quòd ſi cordi eſt Deo, inquiebat, ut edam, mittat ſanè novarum, & à veteribus diverſarum Legum Conditorem. Donec Levitici ſeu Littera, ſeu Apex extiterit, quidquid per illud fas non eſt, ſemper abominabor. *Abſit Domine.* In hac tam conſtanti repudiati convivii abſtinentia juvat animadvertere, in ejus carbaſi vaſtiſſimo ſinu munda pariter immundáque animantia oblata Petro fuiſſe: *Omnia quadrupedia terræ & volatilia Cæli.* A puris etiam carnibus me contineo, ſi exhibeantur mihi conſortio impurarum profanatæ. Nihil admitto, quod viciniam oleat rerum vetitarum. *Hoc factum eſt per ter.* Hic modus eſt, hæc ratio, quâ veri Religioſi qualemcunque violationem Legum ſuarum abominari debent. Pro earum cuſtodia, vel Cælo reſiſtamus, & ſurdi ſimus ad voces Cherubi-

rubinorum. Quare ſi viros Doctrinâ auctoritatéque conſpicuos dicentes audiamus: *Manduca*, ſicubi per Conſtitutiones non licet, deferatur quidem ſuus linguæ honor, ſed invitamentum deteſtemur. *Occide & manduca*: ABSIT DOMINE. Id nempe Petro dicere grave non fuit, quia & ſubjungere potuit, *quia nunquam manducavi commune & immundum.* Illi ſcilicet magnis animis ab omni injuria defendere Leges poſſunt, obnitíque hortationibus hominum cæterà venerabilium, qui nunquam à præſcriptorum rituum orbita ullam in partem diſceſſerunt. *Nunquam manducavi omne commune.* Nam qui & vacillavit aliàs, & prolapſus eſt, difficulter is ſe teneat ad aſſultus auræ liberioris vitæ illecebrâ blandientis. Ille verò exclamat audacter, nec ora veretur quorumcunque ad laxandam Diſciplinam invitantium, qui verè poteſt Legum noſtrarum nunquam ſibi non ſervatæ cuſtodiæ clypeum objicere. *Abſit Domine, quia* NUNQUAM *manducavi omne commune.*

5. Nemo verò mihi objiciat, non ita facili negotio Collegii Apoſtolici Principem exprimi ab iis imitatione poſſe, qui privatam in Cœnobiis vitam degunt. Ecce vobis Pueros Petro hac in parte ſuperiores. Is enim ſimpliciter, ac citra minas ſuadentem, ut à legis præſcripto recederet, magnâ quidem libertate rejecit: Hos verò nullæ Tyrannorum furiæ flammas, ferrum atrociſſimáque ſuppliciorum genera, non oculis modò, ſed & corpori admoventium ſubegerunt, ut conſuetudinem ullam, quam à Majoribus ſuis accepiſſent, aut antiquáſſe, aut neglexiſſe viderentur. Rem omnium admiratione digniſſimam dicturus ſum. Non victimas marmoribus immolandas Machabæis Adoleſcentibus Antiochus imperaverat: id modò poſtulavit ut promiſcuè cibis veſcerentur oblatis. Eorum natu minimum poſt omnium Fratrum acerbiſſimam mortem Tyranni blanditias proculcantem audiamus, qui ſicuti vincto adoleſcenti honores promittebat maximos

ximos comestæ dapis præmium futuros, sic à cibis abstinentem add'cebat bullienti aheno, candentibus laminis, immani carnificinæ, singulorúmque membrorum sævissimæ lanienæ. Quibus omnibus nihil motus Heros invictus, nec horrore fractus supplicii, altè proclamat. *Quem sustinetis? Non obedio præcepto Regis,* SED PRÆCEPTO LEGIS, *quæ data est nobis per Moysen.* Audio Moysen, non audio Antiochum: dum spiritus mihi, dum vita ducetur, non offendam Cæli Regem, nec Tyrannum Palæstinæ pertimescam. Subinde cùm à Carnifice discerperetur, expalluit generosus Puer, non quidem acerbitate tormentorum, sed quòd timeret, nè defessi aliquando tortores, aut supplicio finem, aut modum cruciatibus facerent. Miserum me! quàm vereor, inquiebat, ut nimis levia patiar pro Deo, qui me creavit! Exanimor metu, nè aut barbara feritas mitigetur, aut diuturna non sit. *O rem admirandam!* (de hoc facto differens exclamat

1. Mach. 7. 30.

Gregorius Nazianzenus) *ſupplicia velut theſauros præripientes, hoc unum metuentes, nè feſſa Tyranni crudelitas, finem faceret cruciandi.* Videbantur ſibi magnanimi Jſraëlitæ victoriam amittere, ſi pro ſacrarum Legum reverentia parcè torquerentur. Triumphum Perſeverantiæ ſuæ tanquam ignobilem aſpernabantur, ſi in corporibus ſuis eſſet etiamnum vulneri locus. Ah Patres, Fratréſque mei! quàm ignavi, quantúmq; JESU nomine indigni eſſemus, ſi dum Moyſis, quem tamen promiſsâ Hebræis Terrâ Deus excluſerat, ſectatores ſtant contra furias Regum, nos Diſcipuli Filii Dei, Principis orbis terrarum, & ad Patris dexteram imperantis, nè ſcilicet condiſcipuli unius vultum aſperiorem cogamur intueri, ſuſtineremus conſuetudines noſtras contemnere, Conſtitutionéſque proculcare? Morientur igitur Hebræi lentis ignibus toſti, nè à Legum ſuarum ritibus diſcedant, & nos ut ſupercilii unius, adductíque vultûs rugas in riſum, & amicam ſerenitatem laxemus,

Orat. de Machab. To. 59. 133.

xemus, diſſolvemus ſcilicet leges noſtras ſanctiſſimas, omnéſque ſacras conſuetudines everſum ibimus? ut intempeſtivis colloquiis indulgeamus, aliorum cubicula citra Præſidum aſſenſum ingrediemur, ad deſtinatas ſtudiis horas otioſis confabulationibus conterendas? vociferentur illi: *Non obedio præcepto Regis, ſed præcepto Legis:* Et erit vel unus unicus ex Ignatii Filiis, qui dicat; obedire ſe Deo negligere, Parentis ſui vocem non audire, ut ejus Privigno alicui auſcultet, néve illum exacerbet, qui prodeſſe ipſi, nec propitius, nec obeſſe iratus poteſt? Enimverò majorem abjectionem animi, nec concipere mea mens, nec fingere quiſquam de noſtris Collegiis poteſt.

6. Credam autem, tam excelſo animo vos omnes eſſe, ut nemo vocem Dei voci cujuſcunq; poſtponat. Ad eos igitur me converto, quibus nonnunquam neceſſitas imponitur aliquam à Legibus noſtris exceptionem admittendi, vel quia graviſſimis negotiis diſtinentur, vel

quia Magnatum consuetudini obnoxii, vel iis deniq; locorum, temporúmque conditionibus vivunt, per quas non licet Constitutionum nostrarum ritus obire in publico. His ego Juditham in exemplum propono. Hæc ingentis animi Matrona ut, pulsis Assyriis, Bethuliam servaret, Cilicium exuit, prodit è penetrali, jejuniorum severitatem mitigat, gemmis ornatur, auratam induitur Cycladem, & è Sacrario Domicilii sui ad Ethnicorum hominum profana tentoria proficiscitur. Eò loci rescisso subinde capite Holofernis, actísque in fugam Idololatrarum copiis, in patriam regreditur eâ pompâ triumphi, trophæorúmque, quam nôrunt omnes. Vix finem acceperat reportatæ victoriæ festa lætitia, cùm Vidua sanctissima procul à se aurum abjecit & gemmas, quas nuper gemens dolénsque in expeditionem, quam meditabatur, assumpserat, ac receptis viduitatis vestibus, arctiori quàm priùs silentii, inediæ, & voluntariarum pœnarum consuetudini se red-
di-

didit. Ea de re graviſſima extat oratio Ambroſii, qua mirabiliter Religioſos omnes inflammat ad reſumendam auſteritatem vitæ, & Legum cuſtodiam, quam lucrandarum Deo animarum causâ moderatione aliquâ interpellâſſent. NEC HIS ELEVATA SUCCESSIBUS, veſtem jucunditatis *depoſuit*, *viduitatis reſumpſit*, NEC TRIUMPHORUM SUORUM AMAVIT ORNATUS. Quâ ſententiâ quid dici luculentius poſſit, atq; uberius, non video. En vobis Ideam quotquot eſtis è Societate clari Theologi, & Operarii celebres! ſi quando, vel quia cum Principibus agendum, vel aſſiſtendum Conventibus, vel accumbendum conviviis, vel peracerbam à noſtris domiciliis abſentiam, amaram in Palatiis commorationem, Apoſtolicas in Baſilicis Conciones, Peregrinationes cum Summatibus ſuſceptas, in eam neceſſitatem adducimur, ut aſperam rationem vivendi, ſe abjiciendi conſuetudinem, ſpatia precandi, cubiculi ſolitudinem,

Lib. de Viduis. *To. 58. 134.*

nem, ſilentii quietem, frugalitatem ciborum, potûs tenuitatem, egeſtatem ſupellectilis, Temporis diſtributionem, adſtrictam Magiſtratibus noſtris obtemperantiam, remittere non nihil & temperare cogamur: eodem prorſus momento temporis,quo rerum tam ſpectabilium pompam abſolvimus, regreſſi ad ædes noſtras, limen oſculo veneremur, pavimenta conclavium noſtrorum irroremus lacrymis, configamur conſueto ſtudiorum labori, convolemus quocunq; nos Moderatorum imperia vocant, parſimoniam menſarum noſtrarum velut Baſilicas epulas reputemus, fratrum noſtrorum pedibus accidamus, implacabiliori, quàm antehac, ferocià in noſtros artus ſæviamus, datas doloribus inducias vindicaturi. Verbô, de quolibet Filiorum meorum à graviſſimis negotiis redeuntium dici poſſit, quod de Matrona triumphante, & poſtliminio in beatam ſuam ſolitudinem ſe recipiente pronunciavit Ambroſius. HIS NON ELEVATA SUCCESSI-
BUS

BUS VESTEM JUCUNDITATIS DEPOSUIT, VIDUITATIS RESUMPSIT, *nec triumphorum ſuorum amavit ornatus.* Quidquid verò in rebus cũ ingenti fama, gloriáq; geſtis ſervandũ eſſe dico, longè id magis intelligi velim de muniis domeſticis qualicunque luce fulgẽtibus. Decertet in Lycæorum theatris Doctrinæ noſtræ præſtantia, proferatur in congreſſibus litteratis comparata nobis ſcientia, repellantur reſponſorum acumine Poſitionum noſtrarum oppugnatores, in eruditis Prælectionibus emicent ingenii & orationis clariſſima lumina: Inde poſt excitatam de ſe apud Auditores admirationem, reverſus domum Magiſter, nihil à ſe mutatus, verecundus aſpectu, verborum parcus; in id unum intentus, ut voluntariis cruciatibus, & obedientiæ ſtudio ſingulari æterna ſibi præmia magnis aucta incrementis comparet. Reportatas ingenii Laudes è memoria deleat, non ut adorandas Aris imponat; Honores oblatos oblitteret oblivio, oderit linguæ ſuæ tro-

trophæa, non ſupereſſe patiatur ullum victoriarum ſuarum veſtigium; abdicet à ſe jus omne quod ipſi vel muneris ratio prærogat; nec admittat immunitates, quæ facultati ſuæ, aut debentur, aut conceduntur. *Nec triumphorum ſuorum amavit ornatus.* Idem quoque ſacros Oratores moneo; poſt Ninivitas in pœnitentiam converſos, poſt correptos Jeroboamos, poſt Vitulos dejectos, poſt exercitus ſalutari timore perculſos, poſt Gigantes proſtratos, poſt Idola contrita, poſt edoctos Magiſtratus; ubi primùm è ſuggeſtu deſcenderint, provolvantur ad Præſidum ſuorum pedes, cúmq; ſua eos virtus ſupra cæteros eximios fecerit, nihil tamen ab aliis velint habere eximium. In hunc modum maximi quiq; in Templis; erunt ijdem Chriſti amore in ædibus noſtris minimi, humillimíque. Sic ego illos, qui in Societate altiùs erecti ſunt, alloquor, quia ſic Evangelii ſui Principes Chriſtus. *Dixit autem eis, Reges Gentium dominantur eorum, & qui poteſta-*

Luc. 12. 25.

tem

tem habent ſuper eos benefici vocantur. Vos autem non ſic. SED QUI MAJOR EST IN VOBIS FIAT SICUT MINOR, *& qui præceſſor eſt, ſicut Miniſtrator.* Proh! quantum Societatem diligo, & quàm cupidè hanc veſtem, ejus Inſigne, deoſculor: quoniam video Chriſti in mortem euntis monitum inter nos cum ſumma obſervantia operi mandari. Ita profectò, qui nominis famâ clariſſimi, amplioribus naturæ donis inſtructi, nobilioribus trophæis decorati, ætate provectiores, copioſioribus laudibus à populo commendati, aucti à Deo amplioribus donis, iidem Præſidibus ſuis perfectiùs obſequuntur, ad omnem imperantium nutum expediti, Leges colunt ſanctiùs, premi negligíq; præ cæteris cupiunt, ſubſervire omnibus, imperare nemini, nihil peculiare, nihil eximium admittere, Crucem in amoribus habere, nihil denique ambire aliud conſueverunt, quàm ut operam locúmque ei præripiant, quiſquis in Domo Dei vel facultate, vel eſt ſta-

tione

tione noviſſimus : in hunc unicè ſcopum intenti, ut firmioribus in dies aggeribus leges obvallent, ſempérque magis ac magis aſperam Mortificationis Religioſæ ſepem conſtipent.

7. Quanta verò calamitas, tum aliis ſacris Ordinibus, tum Societatis noſtræ Viris impenderet, ſi Evangelica ſepta Diſciplinæ Religioſæ aut perrumpere, quod avertat Deus, aut laxare, quod Chriſtus non ſiverit, conarentur. Miſerum te! inquit Gilbertus, qui audes conqueri, ſi arcendis, quæ timentur, malis novarum Inſtructionum validiora munimenta opponuntur. Quisquis cum gemitu aſpicit aut repurgari foſſas, aut ſpinis denſari Vineæ Chriſti propugnacula, non is Vinitor, non Colonus eſt. Demonſtrant enim tam indignæ querelæ, illum aut non colere palmites, aut ſi coluit forſan, certè uvas exponere, aut urſorum rictibus, aut furum rapinæ. Voluptuarius ille Paradiſus Aromatum, malorum punicorum, Nardi, & Alexipharmacorum, qui prodiit ex

horto

horto Sponſæ, non tam ſe prodidit eſſe colonorum opus, & Falculæ partum, quàm inexpugnabilis illius munimenti prolem, intra cujus ambitum, & conſervatæ, & illæſæ ſtirpes ſuo quæq; tempore protulerunt, quó tum vitæ commodis proſpectum, tum deliciis animorum conſultum eſſet. Quocirca Monaſterium quodlibet, omníſq; Aſceta, qui à ſepimentis refugeret, nec muris ſe ferret includi, è viridario in nemus ſilveſceret, tam ſalutarium fructuum expers, quàm ferarum Belluarum incurſibus pervium. Gilbertum audiamus maximum Rectorem Cœnobiorum. DELICIAS PERDERE VULT, *quas habet, ſi tamen habet*, QUI DE MUNITIONE SUBMURMURAT. HORTUS NESCIT ESSE, QUI NON VULT ESSE CONCLUSUS Atque hæc noviſſima pœna eſt, quæ poſſit ex Iræ Divinæ Armamentario depromi. Hæc afflixit, vaſtavítq; Synagogæ vineam, Dei per immane Sacrilegium occiſi Parricidium ulta. Non auderem

Serm. 35. ſup. Cant. Tom. 58. 192.

profectò de sumpto hujusmodi supplicio tam fidenter decernere, nisi Esaias vaticiniorum suorum capite quinto, Divinæ Majestatis nomine id præjudicasset. Hinc igitur, inquit, Filium meum inter duos sicarios Cruci suffixerint? In Deicidii supplicium omnia eorum bona proscribam, & quidquid est uspiam malorum, quodam in eos diluvio effundam. Quid autem, mi Deus, ages, ut hanc horrendi exitii vastitatem inferas? vineam, inquit, sepe nudabo, & continuò silva erit, quam inumbrent rubi, & habitent Dracones. *Ostendam vobis quid ego faciam vineæ meæ.* AUFERAM SEPEM EJUS, *& erit in conculcationem, & ponam eam desertam:* NON PUTABITUR ET NON FODIETUR; *& ascendent vepres, & spinæ, & nubibus mandabo, nè pluant super eam imbrem.* Vos ego hîc alloquor SSæ. Triadi dedicata viridaria, obtestórque sepem, sepem inquam tectam, sartámq; conservate, nisi vestram vastitatem atq; excidium deplorare vultis. Non puten-

Isa. 5.

tentur palmites, non ſtirpes fodiantur? conclamatum eſt de vindemia, ſolúſque Arbores ignis expectat. Aut enim recîdi putaríq; patiamini, aut in numerum arentium truncorum vos referte, quorum finis ſecuris, & rogus. *Non putabitur, & non fodietur?* Et en? vepres ſuccreſcent, & ſiccum rore Cælum ſtabit. Cedò: Nullus Rector veniam ullam neget petentibus; Nemo Præſul refrenet ſtudia, & cupiditatibus moderetur? Clauſtrum mutabitur in Theatrum, & Ordo ibit in Chaos. Ubi unuſquiſq; agit, quod, quantúmque vult, & pro ſuo arbitrio vivit, ibi probitas evaneſcit, & virtus omnis atq; Religio funditus interit. *Hortus neſcit eſſe* QUI NON VULT ESSE CONCLUSUS. *Non putabitur: aſcendent vepres, & ſpinæ.*

8. Audio nihilominus, qui dictis meis opponat Apoſtolum Timotheo edicentem, ſuam cuiq; voluntatem inſtar ſolidiſſimi Muri eſſe. Id verò nec per ſomnium occurrit Paulo, neque ad Timotheum eſt unquam perſcriptum. En

1. Timoth. 1. 9.

verba. *Justo non est posita Lex.* Non cuilibet Religioso immutabilis custodiæ septum supervacaneum est. Illi soli eâ non egent, qui cruciatuum sitientissimi; qui charitate flagrantes; qui contemplandi assiduitate ebrii; qui penitùs sacrarum Litterarum luce perfusi; qui S. Spiritûs Magisterio eruditi; qui æternis ardoribus succensi frenos mordent; quibus paterna cura Præpositorum, & prudens Religiosi Instituti moderatio castigant impetus beatorum illorum Enthusiasmorum, à quibus sæpe ac multum ultra terminos aguntur, quos contingere humanæ infirmitati non licet: citra manifestum periculum, & vires pessumdandi, & ipso in cursu concidendi. *Justo*, scribebat Apostolus, non autem somnolento, non vulgaris virtutis viro, non homini per divinas semitas haud passibus æquis gradienti, *non est posita Lex.* Cujus effati sanctitati sapiens illud Ambrosii monitum accedit, quâ negat homini de turba immunitatem à præceptis dandam, jubétque sta-

tutis

tutis subesse. NON EST OMNIUM *ut unusquisque sibi sit Lex.* Anachoreta Antonius non egebat campani æris sono, quo vocaretur ad precum pensum persolvendum, ut qui super nudam humum abjectus contemplationem longiùs, quàm sub terra, nostrorum Antipodum bono, solis quadriga moraretur, consuêsset producere. Non habebant ad cruciatuum patientiam stimulis opus, aut Benedictus volutatus in spinis, aut glacie mersus Bernardus, aut Dominicus Loricatus ferro membra dilanians, aut Paulus Eremita, qui centenos propemodum annos tacuit, esuriit, divina meditatus est. Alii omnes similes mei, si vitam agant nullis Decretorum vallis communitam, omni scopulo steriliores effecti, nec frondem exterioris modestiæ proferent, nec internæ virtutis succum habebunt ullum. *Hortus esse nescit,* QUI NESCIT ESSE CONCLUSUS.

De Fuga seculi c. 3. To. 58. 55.

9. Quapropter omnia Legum munimenta diligamus, incedamúsque lætitijs

tijs omnibus, quoties ij, qui præſunt, impetus noſtros repreſſerint, & tumultuantes alioqui cupiditates in officio continuerint. Infelicem verò Societatem! ſi quos in ea vel eruditio ſua vel Præfectura, quam gerunt, in altiſſimo faſtigio collocârunt, Chaldeæ Statuæ ſimilitudinem, paréſq; ſenſus referrent. Ad eam è monte devolutus myſticus lapillus ſine manibus vel politicorum reſpectuum, vel cauſarum terrenarum refixus, poſtquam admirabile prodigium Molis illius tantâ opum affluentiâ exornatæ ſuſpexiſſet, ſolam pedum glebam damnavit; Hanc tetigit, hanc rupit; nè videlicet in Machina tam magnifica pretioſáque, viliſſimæ teſtæ rudera permanerent. *Percuſſit ſtatuam in pedibus ejus ferreis atque* FICTILIBUS. Atque ocyùs Coloſſus omnis tanto impetu corruit, ut in tenuiſſimum pulverem ſolutus, nec memoriam relinqueret ſui, nec veſtigium. TUNC *contrita ſunt pariter ferrum, teſta, æs, argentum, & aurum, & redacta quaſi in*

Dan. 2.35.

favil-

favillam, quæ rapta ſunt vento. Heu me! nonnunquam, licet rariſſimè, contingit, ut, quamprimùm Præſes aut ægrè probat, quod petitur, aut negat, conturbatus animo ſubditus, immemor tot officiorum, quibus cultus eſt, oblitus quàm ſit habitus indulgenter, contemptum ſe, odioſum, ineptúmque Miniſteriis laboribúſque vociferetur, palámque traducat. Plura his pejoráq; contingunt, ſi ex innumero Ferventium numero Tepidus aliquis leviſſimæ pœnæ attactu à Veterno excitetur. Non enim animadvertit miſellus, quot errores ſui per manſuetam id ſinentium patientiam impuniti abierint; quanto ampliorem gratiam meritis ſuis à Societate receperit; quàm in ipſo extollendo prodiga potiùs quàm liberalis Regentium Providentia fuerit. Iſque hoc ſolùm dolet, queritúrq; ſcilicet, unum aliquem errorem ſuum emendatum, culpámq; curatam magis, quàm punitam. Quæ cauſa eſt, ut à Dei Vicariis correctus, veluti ſi Cainum aliquem

monuissent, medentium manus averse-tur, oderitq; familiam delicta dissimula-re nesciam. *Percussit statuam in pedibus* FICTILIBUS: TUNC *contrita sunt pariter ferrum, testa, æs, argentum, & aurum.* Absurdius Monstrũ animo concipi non potest, si contrà, quàm par esset eum in cælum tollere, qui cretam pedibus nostris excutit, omnes virtutes, quas intra sacros Cœnobiorum parietes advigilante curâ Regentium adepti sumus, maledictis prosequamur. Excurcurrat ille, si quemquam inter nos farinæ talis hominem est reperire, ad ægrotantium Principum Palatia. Inspiciat eo loci parcissimam victûs rationem, amarissima medicamenta, crudeles lanienas, quæ dictantur à Medicis, omnibus deliciarum fomentis, vini usu, venandi, & theatrales ludos spectandi solatiis penitùs proscriptis: non ideo tamen coronatum febricitantem videas aut supercilium adducere, aut torvùm tueri, aut capite abnuere, ceu medentibus invisum, aut remediorum acerbita-
tem

tem exoſum ; clamante Tertulliano. *Quæ per inſuavitatem medentur* EMOLUMENTO CURATIONIS OFFENSAM SUI EXCUSANT, *& præſentium injuriam* SUPERVENTURÆ *utilitatis gratia commendant.* Quod ſi autem hæc agunt, patiuntúrque Regnorum Domini, tam imperare aſſueti, quàm indociles obſequi, ídque ob ſolam corporis ſalutem; quî fieri poteſt, ut in Pietatis incrementis ſibi comparandis tam contumax ſit is, qui obedientiæ ſacramentum dixit, & relictis paternis ditionibus commodiſque, in Crucis Chriſti amplexus, & ad ejus ſe domicilium contulit? Ornant Reges tortores ſuos muneribus, & cum Chriſto Cruci confixi ad punctum feſtucæ fulgura & fulmina mittent in eos, qui ipſos deformatos nolunt, & volunt Sanctos?

Lib. de Pœnit. To. 58. 213.

10. Ut ut tamen iſtorum voces Goliathi clamores ſtrepitu ſuo vincant, non tamen ideo, Religioſus ordo remittere vigilem curam, aut omittere correctionem debet, vel poſtponere Legum

ſuarum cuſtodiam incurioſorum & malè moratorum querelis. Caveant ſanè Religioſæ Familiæ, nè cum querimoniis, impatientiáq; paciſcantur Alumnorum ſuorum. Nam qui Monaſteriis cum imperio præſunt, ſi, ut querulorum ora conticeſcant, Diſciplinæ ſtudium remiſerint, experientur ii, ſe in acerbiores longè anguſtias conjectos per effrenem liberè viventium licentiam, quàm experti in ea coërcenda fuiſſent. Lubeat, quæſo, ad Orebi radices accedere, quo loco hujus tam neceſſarii Axiomatis veritatem diſcere apertiſſimè licebit. Quæſivit è Moyſe Deus, quid rei eſſet illud, quod compreſsâ teneret manu? pedum, reſpondit, *Moyſes: Quid eſt quod tenes in manu tua? Reſpondit* VIRGA. Tum abjicere illam jubet. *Dixítque Dominus, projice eam.* Vix arundo homini minimè malo è manibus exciderat, cùm in Ceraſten mutata in fugam ipſum egit, terroréque longè maximo complevit. PROJECIT, *& verſa eſt in Colubrum*, ITA UT FUGERET MOYSES. Cu-

Exod. 4. 5.

písne autem de ſerpente referre victoriam? Age, manum injice, & quod amiſeras, recuperabis. Suſtulit è terra Moyſes furentem Echidnam, converſámque vidit in ſcipionem prodigiorum effectorem. Eo ſcilicet oſtento, DEus futurum Hebrex Gentis Ducem, omnéſq; ſubinde cariſſimorum filiorum ſuorum Rectores informare voluit. Quicunq; in Societate Præſidum munus obitis, nullam vobis quietem promittite, ſi leneſcere imperii vigorem ſuſtinetis. Si quando enim in gratiam ſubditorum dormire Conſtantia veſtra, & defectus per diſſimulationem invaleſcere cœperint, continuò gubernatio, quæ quondam alios claros ſanctóſq; efficiebat, ſe vobis in virulentum Draconem exulceratæ conſcientiæ, & perturbati Collegii convertet. Tantam profectò rerum perturbationem pareret indulta licentia, ut nullum pacis veſtigium, vel in veſtris, vel in aliorum animis extaret. *Projecit &* VERSA EST IN COLUBRUM. Quòd ſi verò Zelus in ſpeculis excubat; ſi præ-

ſi præſtò eſt Fortitudo; ſi Diſciplina urgetur, nemo audet, vel abuſus invehere, vel ſtatuta convellere. Quid multis? Domus omnis, Paradiſus erit Innocentium, & cælum quoddam Ferventium incolarum, ſi in Regentis dextra ſcipio conſpiciatur. *Extendit & tenuit,* VERSAQUE EST IN VIRGAM. Meminerit equidem, qui ſubditos regit Deo conſecratos voluntariam ſervitutem ſervientes famâ celebres, & nonnunquam ipſo tam doctrinâ, quàm natalibus præſtantiores, Virgam Moſaicam Manna pariter in proborum alimenta Cælo devocare, aperire maria in gratiam piorum, ſolatio egentium fontes recludere, támq; geminas Legis Tabulas animorum commodis exhibere, quàm nubes ſuſpendere, & Lucis columnas ad corpora fovenda, recreandáq; excitare. Non eſt illud Pedum Propheticum, non eſt, niſi flagellet Ægyptios, & beneficiis afficiat Iſraëlitas. Conſulatur itaque ſubditorum neceſſitatibus, largiamur aliquid non iniquis

corum

eorum poſtulatis, Angelorum Pane eorum fames expleatur: non patiamur ulla iis præſidia deeſſe, quæ vel tegendo vel recreando corpori oportuna videbuntur. At ſubinde non feratur, ut à conſuetudinum præſcripto ullam in partem deflectant, & Coloſſis etiam, quos naturæ dona, & autoritatis ſplendor ſpectabiles fecit, gleba decutiatur, & dum culpa plectitur, qualiſcunque illorum indignatio, & quantavis magnitudinis oſtentatæ ruina negligatur. Intrepidè monete ceſpitantes, nec ardorem veſtrum reſtinguant vel rugæ, in quas frontem ducent, vel ſtomachantiū furiæ, manifeſta alieni à vobis animi indicia. Quòd ſi enim, quos correxiſtis, egregię virtutis,& Diſciplinę ſtudioſi fuerint, deoſculabuntur Virgam, quâ vapulant, & Medicum colent, à quo ſuſtinentur in vita. Si habenis quoq; frenati veritis malè currentem, non is nunc primùm incipiet, ſed perſeverabit vos odiſſe, ut quos amârit nunquam. En Spiritum Sanctum! En Auguſtinum Epi-

Episcopum dictis meis subscribentes. *Corripe sapientem*, ET AMABIT TE. *Corripe insipientem*, ET ADJICIET ODISSE TE. *Non dicit* INCIPIET, *sed* ADJICIET, *quia jam oderat.* Nempe ut magni pisces, cùm se in retia induerunt, stamina plagarum semper nituntur abrumpere; ità homines Legum impatientes, & refractarii ad vitam aspirant jugo solutam, & ad liberum effrenémque cursum per plana camporum; nec stimulos ferunt, quibus in arduum Montis Calvarii clivum adiguntur. Quam ob rem, quietum, pacatúmque regimen planè desperet Præses, nisi eos Consiliorum Religiosorum Evangelicâ sarcinâ prorsus exonerârit. Extollat igitur imperii sceptrum eóque in semitam devios reducat, revocétque ad Ovile Custodiæ Religiosæ, qui ab ea malis avibus discessionem fecêre. Et certè non timeo, futurum, ut peccantib9 cõniveant Pręsides, & errores dissimulent. Illud vereor aliquantùm, nè interdũ minùs, quàm, par est animo cõmo-

Prov. 9.
Hom. 28. ex 50.
To. 26. 225.

moveri videantur; & nè aliquis eò deveniat, ſubrideat non optimis ut ſubditorũ ſuorum exemplis, eúmque qui errat hominem vocet minimè anxium; ingenioſum eum, qui temerè in alios dicta dicit; Eloquentem, qui, quæ in buccam venerint, proloquatur. Qua in re non videor mihi explicare mentem meam poſſe, niſi gravem Quintiliani querimoniam expoſuero. Conſcendebant poſita in Foro Roſtra declamaturi adoleſcentes nonnulli, nullo Rhetoricæ uſu, nullo argumentorum pondere inſtructi, quóque rudiores, tanto impudentiores. Hi tales cùm ſinè rationum momentis, ſine expoſitione argumenti, diſtributione in partes, verborum cultu, nobilitate Troporum, ſtyli majeſtate, torrentium inſtar extra crepidines evectorum volverentur turbidi, atque confuſi, ſolâ oſtentatione copioſi ſermonis, tenacis memoriæ, & effrontis audaciæ ſpectabiles: cúmque ob inopiam doctrinæ infelicitatémq; inventionis ſchemata permutare non poſſent, in eorum

vicem

vicem vocis ſonum variabant, & Pantomimis, quàm Oratoribus propiores, mi- rejecto in latus brachio, capitéque mirum in modum circumducto, Periodorum ingenioſam ſtructuram, novam ſcilicet, & ipſis inexpertam, ſupplebant jactatione corporis, & geſtuum agilitate. Et populus quidem præceptorum artis ignarus aures præbebat Rabulæ, & ad Cælum uſque plauſibus evecto, comploſis manibus triumphum canebat, non Eloquenti, ſed garrulo nugatori. De cauſa capiebatur nihil, ſoláque probabatur effrenis in dicendo alacritas Oratoris. *Vocem flectunt, & verticem reponunt: totóque & rerum, & verborum, & compoſitionis genere* LASCIVIUNT. *Deinde (id quod ſit monſtro ſimile)* PLACET ACTIO, CAUSA NON INTELLIGITUR. Utinam verò rei talis indignitas non quandoq; deprehendatur in Religioſorum hominum Cœtibus intra Religioſas Domus colloquentium, maturitati morú, & exprimendæ Crucis imagini conſecratas! Infert in eos

Lib. 4. Inſtit. Orat. c. 2. To. 56. 40.

ſer-

ſermonem aliquis oblitus veſtis, quâ tegitur; Votorum, quibus adſtringitur; Conſtitutionum, quarum obſervatione ſimillimus Deo effici poterat; & levitate facetiarum audientes contaminat. Dum enim infelix ſancta ſtudia Regentium riſum jocúmque facit, dum ſarcaſmis fodicat feliciter ardentiũ flammas; cùm adorabundo ſimilis eum aris imponit, qui in ſemet reductus turbæ ſe eximit, dum Hilariones aut Pachomios indigitat ſilentii tenaces; cùm denique probitatem per ludum traducit, in cachinnos ſcilicet nonnullorum gemitus & humentes adhuc lachrymis oculos ſolvit. In hunc ego, ſiquidem in hoc noſtro numero eſt quiſquam, ſi auditores nanciſceretur, qui ſeveritate, quam aſperare debuerant, ſupercilii remiſsâ, per vilem aſſentationem frontem explicarent; proclamarem: *Id quod monſtro ſit ſimile*, PLACET ACTIO: CAUSA NON INTELLIGITUR. Certè vitam perfectionis famâ illuſtrem expetimus: quî fit igitur

ut ſuſtineamus homines, qui ſanctitatem ipſam Fabulam faciunt? PLACET ACTIO, *cauſa non intelligitur.* Quâ ratione in Myrrhæ amplexus, in deliciarum odium, Virtutis excellentis amorem, ambitionem pœnarum conjuramus, ſi deinde probamus, qui theatrali hilaritate ingeſtâ ſuaviſſimæ Pietatis Ardores non reſtinguunt modò, ſed penitus opprimunt? Si Filii ſumus Ignatii, cui lacrymarum perpetuus imber propemodum oculos eruit, ſi Dei in Crucem ſublati ſectatores, abominemur univerſos qui Sinæis ſcopulis penſiles Babylonis Hortos inſerunt. Intelligitis opinor id, quod me jubet modeſtia, tum in hac, tum in aliis cohortationibus meis vel ſilentio vel Tropis involvere, exclamaremus alioquin: *Placet actio, cauſa non intelligitur.*

11. Nè verò hoc ſiverit bonus Deus, ut Societatis famæ hanc notam inuram, vel ut in eâ, licèt rariſſimos, eſſe credam, cùm fortaſſe ſit nemo unus, in quem verè mea cadat oratio. Addo

igi-

igitur quod laudatus Auctor ſuis quoque, quas expoſuerat, querelis, ipſe ſubjunxit. *Verùm hæc omittamus, nè minùs gratiæ præcipiendo recta, quàm offenſæ prehendendo prava mereamur.* Ad conſervandas itaque ſalvas Theſaurorum noſtrorum ſacras urnas, unum duntaxat vobis documentum relinquam, mihi pariter relictum à Gregorio Nazianzeno, cùm ejus me voluminibus erudirem. Si prorſus, & ex animo optamus Leges noſtras tam à Collegiis noſtris, quàm ab unoquoque noſtrum ſanctè haberi, nullus penitus ullius, quantumvis minimæ, Legis contemptus per diſſimulationem tranſmittatur; Nempe quemadmodum aggeres cæterà ſpiſſi, ſolidiſſimique prolabuntur penitus, ſi undarum impetu vel unus eis lapis eximatur; ſic ubi nec punita nec reprehenſa exigui quoque mandati violatio abierit, eam negligentiam conſequetur graviſſimorum proculcatio Decretorũ. PARVO LAPIDE SUBTRACTO (Hæc magni Theologi eſt ſententia)

Ibidem.

Apolog. 1. 26. 59. 68.

TOTUM FLUMEN in pronum trahitur.

12. Quàm autem ego hujus venerandi Collegii & ſplendori officio, & famæ obtrecto! Gemini nuncii tam copioſo lætitiæ argumento animum meum impleverunt, ut minimo minùs exclamem cum grandævo Simeone, quo cum mihi par ætas, ac tametſi diſpar virtus, ſimilis tamen eſt eadémque lætitia. Exclamo, inquam, cum Beato Sacerdote, erumpente in voces magnitudine gaudii, quo diffluo. *Nunc dimittis Servum tuum Domine, ſecundùm verbum tuum in pace, quia viderunt oculi mei ſalutare tuum.* Complurium Virorum, quorum mihi virtus & fides perſpecta eſt, ſermonibus doceor, ſingulos univerſóſque tam ſanctè in hac Domo verſari, ut nihil ſit, quod ſeveriſſimi quique virtutis Judices deſiderare poſſint. Patrum Fratrúmque ſinguli atque univerſi præſcriptas meditandi horas piè impendere à Circitoribus deprehenduntur. Tantundem in binis examinibus

nibus conſcientiæ præſtatur. Silentium deinde Majeſtatem addit amplitudini Dormitororium & Diætarum. Dum communi menſæ accumbitur, mens pluribus de ſe reportatis victoriis, quàm corpus, admotis ori cibis reficitur. Scholæ auditores ſuos modeſtiam & pietatem ſtudentium exemplo docent non minùs, quàm conſummatâ ſapientiâ inſtruantur ab ingenio Præceptoris. Ipſa etiam villa pietatis ardorem non reſtinguit, nec verecundiæ colorem diluit. Denique graviſſimi quique Patrum noſtrorum, dum vident, tam concinnè ad Inſtituti noſtri rationes compoſitam juvenum pariter, Virorúmque vitam, immortales Chriſto gratias agunt. Effundat in ſingulos veſtrûm Deus & imbres ſuæ erga vos Pietatis, & S. Spiritûs flammas cuſtoditarum Legum, & ſervatorum votorum ampliſſima præmia. Alter animi mei triumphus ex eo ducitur, quod Congregatio Provincialis tanto ſuffragiorum numero à me contendit, ut veteres, ſeveráſq;

in commune quidem, potiſſimùm verò juvenibus latas Leges inſtaurem, proſcriptis denuò libris omnibus profanis, præcipuéque Poëticis vernaculâ linguâ conſcriptis. Sanè hæc illa ſentina eſt, quâ innocentiæ noſtræ fragrantia corrumpi, ac peſtifero afflatu innubis ædium noſtrarum Aurora infici poſſit. Aſſenſi, pœnas reſtitui, auxíque in eos, qui ornatiſſimum hoc Decretum perdito auſu violarent. Quiſquis germanus hujus Societatis Alumnus eſt, exclamet; Caſtus eſſe primùm cupio, tum doctus; antè innocens, deinde elegans; priùs Angelus, & poſtea Poëta. Non lego flores è fimetis; non amo lucem carbonú, qui me commaculent. Dedignor quantovis lumine coruſcans Cælum, quod mihi pro Continentiæ Stellis Cometas Intemperantiæ accendat. Quo demum modo vitam profeſſus Apoſtolicæ ſupparem ex eo ſperare lucrum eruditionis poſſim, à quo experior animo meo Virtutis lucem intercipi? Quòd ſi Homerum quoque ac

Pindarum profanatarum lectione chartarum æquatum à me vel ſuperatum iri conſiderem, diſcerpam nihilominus Lauream, ut liliis coroner. Quin cedat Diſciplinæ Curioſitas, & Plauſus Caſtitati concedat. Tertullianum audite. NEMO INDE STRUI POTEST, UNDE DESTRUITUR. *Nemo ab eo illuminatur, à quo contenebratur. Quæramus ergo* IN NOSTRO, ET A NOSTRIS, ET DE NOSTRO. *Cedat Curioſitas Fidei*, CEDAT GLORIA SALUTI. Caſtimoniæ Donum Chriſto Parvulo in urnâ Conſtitutionum à me oblatâ vel integris peſtiferarum paginarum Bibliothecis proruendis par eſt. Huic argumento plenam propriâmque diſſertationem debere me vobis, profiteor. Interea Magorum in Muneribus offerendis Conſtantiam conſectemur. Eorum hi Principes liberales ſe demonſtrârunt, nóſque ſeduli erimus eorundem cuſtodes, ſi exemplo illorum, nunquam intermiſsâ contemplatione, Divinitatem Meſſiæ adora-

Præſcript. adv. Hæret. To. 58. 302.

raverimus. *Procidentes* ADORAVERUNT EUM. *Et apertis thesauris suis obtulerunt ei Munera.* Qui non orat, qui non meditatur, is cessat offerre, & nonnunquam resumit oblata. Quare quemadmodum Daniel mori maluit, quàm tribus, non ampliùs diebus orandi consuetudinem intermittere. *Daniel* (ut est apud S.Chrysostomum) *ille Propheta magnus pulchre nos docet, qui maluerit mori,* QUAM TRIDUO *duntaxat arceri ab orando.* Ita nos vitam priùs amittamus, quàm preces. Quæ cùm ita sint, claudantur volumina non concessa, & vasa oblatorum Votorum recludantur: & quod Deo absoluto Tyrocinio nostro dedimus, id religiosâ Legum omnium custodiâ fideliter ad vitæ usque finem servemus: ut non minùs verè de Ignatii Filiis ad Cunas Divini Filii procumbentibus dici queat: *Apertis Thesauris suis, obtulerunt ei* MUNERA.

Lib. 1. de orand. Deum To. 4. 6. 178.

EXHORTATIO XIV.

De renovatione ſtudiorum ſub initium Novembris.

Diſciplinam & ſcientiam doce me. *Pſal. 118.*

Sic in Regiâ ſuâ David Propheta canebat ad Cytharam, ita S.Pater in ſpecu ſuo cum lacrymis oravit, cùm inter Manreſæ ſcopulos prima Societatis lineamenta duceret.

LIteratorum ordinum ſumma Perfectio eſt, dummodo ad Catholicorum Dogmatum defenſionem, & egentium animarum ſalutem Scientia dirigatur. Quam ob rem Magiſtri quæſtiones vel inutiles, vel exoticas abominati, receptas ſententias & opiniones con-

ducibiles prælegant. Diſcipuli verò, doctrinæ, quàm excipiunt, intelligentiæ penitus ſe conſecrent, amandatâ qualicunque variorum argumentorum curioſitate, & otiosâ ſecularium eventuum notitiâ. Deniq; tam Præceptor, quàm Auditor litteris, quæ in noſtris Univerſitatibus traduntur, ac Doctrinæ Virtutem anteponat, neque unquam ab Eruditione Religioſæ Diſciplinæ ſtudium ſejungat. Animadvertatur tanto plures celebrioréſque Litteratos à ſacris Cœnobiis numeratos fuiſſe, quanto magis in iis, & virtus floruit, & propriarum Legum cuſtodia viguit. Quare ut evadamus Sapientes, ſanctè vivamus neceſſe eſt.

13. HAud paucos menſes in cruentâ ſuâ ſpeluncâ Beatus Legislator noſter exegerat, ſacco veſtitus, ferreis catenis oneratus, inediâ extenuatus, flagris laceratus, contemplatione ad cæleſtia evectus, ſolitarius, lacrymans, carnifex ſui ipſius, & Pœnitentiæ Martyr, id vitæ genus aggreſſus, quod non multùm Stylitis aſperitate concederet, & multos Anachoretas ſuperaret, inexorabili vindictâ perſequens, errores illos ac juveniles levitates, quibus eum vel arma, vel Aula involverat: cùm ad Chriſtum converſus ſimul è vulneribus ſanguinem, ſimul ex oculis lacrymas fundens, inter ardentis contritionis flammas, in hæc verba prorupit. Quòd ſi ego te, Domine, vel ſolus inter homines vel maximè omnium offendi, ſerviam tibi impoſterum non ſolus, & totâ contentione mentis meæ ut totus tibi mundus ſerviat, allaborabo. Secundùm hæc dubitavit aliquantum, quonam genere hominum componeret Cœtum illum, quem

quem animo meditabatur. Pœnarum certè, quibus in se animadvertebat, dulcedo, & Irarum flammæ, quibus ad ulciscenda sua errata rapiebatur, ad austerissimum Instituti genus eum propellebant, vehementíque desiderio inflammabant in solo aliquo Ordine colligendi omnes eas ærumnarum & laborum Cruces, quas Spiritus Sanctus in plures olim diviserat. Et si quidem fervoris sui flammis, & voluntariis suppliciis, quibus se se Vir Sanctus excarnificabat, fuisset obsecutus, proculdubio in Ecclesiâ tam cruentam arenam, tam duram severitatis Christianæ Palæstram aperuisset, ut asperrimæ vitæ Magistris palmam austeritatis prærepturus fuisset. Verum publico bono privatam animi sui propensionem postposuit. Quare ut Deo quàm plurimas animas Innocentiæ liliis coronatas offerret, sibi pariter ac nobis eorum ornamentorum diademata, quæ ab Orthodoxis passim adorantur, detraxit, eósque applausus spontè ademit, quibus piam illam sævi-

tiam professa Cœnobia vulgò celebrantur. Suspexit Cælum, dicíque sibi à Daniele inaudiit. *Qui autem* DOCTI FUERINT, *fulgebunt quasi splendor Firmamenti, & qui ad Justitiam* ERUDIUNT MULTOS, *quasi stellæ in perpetuas æternitates.* Considerabat: si Apostoli obscuris horridísque cavernis abditi vitæ suæ tempora storeis amicti, & fame confecti consumpsissent, futurum scilicet fuisse, ut orbis terrarum universus fœdâ vitiorum colluvie contaminatus de genibus Saturnum, & Dianam Thure veneraretur veteri ac duraturo errore. Cùm è contrariò, qui Messiæ, à quo Evangelicæ Theologiæ Præcones, & Gentium Doctores creati erant, monitis obtemperârunt: *Euntes* DOCETE *omnes gentes*, culpæ catenis exsolverint Populos, sibíque ipsis immortales coronas studiis ac laboribus suis pepererint. Quam rem sapienter expendens Ignatius, decrevit, se pariter atque nos consecrare alteri cuidam Martyrio, Litterarum scilicet & studiorum,

Daniel 12. 13.

rum, in erudiendis Barbaris, reducendis Hæreticis, & emendandis improbis, minore quidem ſtrepitu, ſed utilitate majore à nobis ſubeundo. Ut Cruci tuæ, mi Deus, inquiebat, Animas adjungant Aſſeclæ mei, Luciferóque hoſti tuo prædam ex unguibus eripiant, conſervatâ ſibi eâ portione cruciatuum tuorum, quæ Miniſtris tuis debetur, Tortores corporis ſui quidem, ſed citra mortem, ſecreti à publico, ſed extra ſolitudinem non clauſi, Religioſæ Diſciplinæ jugo prementur, ſed non opprimentur; victu, veſtitúq; utentur frugali ſanè, ac parabili, ſed nec inhumano, nec ſqualido; pauperes, ſed non nudi; non ſine flagellis, & voluntariis cruciatibus, ſed qui nec oſſa conterant, nec vires peſſundent, gloriæ tuæ promovendæ cauſâ profundo pelago ſacræ profanæque Sapientiæ immergent ſeſe, juventutem litteras, & pietatem docturi, & Chriſtianum Orbem à vitiorum corruptelâ, & Hæreſum contagione ſervaturi. Igitur, quamvis non ſine dolore, atque invidiâ; Car-

thu-

thuſianis cellam, Camaldulenſibus ſylvas, Caſſinenſibus Pſalmodiam, Mendicantibus, quoſque alios Eccleſia tua ſuſpicit, nuditatem, funes, ſaccum, vigilias, & perpetuum leguminum eſum relinquo, certâ ſpe fretus, fore, ut Filii mei beatiſſimæ illius auſteritatis præmia, moleſtiſſimo litteratorum laborum equuleo compenſent. Hos à te requiro: ſed ante omnia ſupplici prece flagito, ut earum Legum, quæ illis cæleſtem prorſus munditiem, Heroicam Obedientiam, Evangelicam Paupertatem, Indifferentiam locorum omnium, Honorum odium, ardentiſſimum amorem opprobriorum mortis tuæ, & inexplebilem ſitim peccantes convertendi, & proficientes ad ſanctitatem provehendi præſcribent, inviolabilem cuſtodiam nobis concedas, DISCIPLINAM & SCIENTIAM *doce me*. Hæc duo poſtulata Ignatii in totidem capita orationem meam divident, & poſterioris quidem eximia decora exponam primùm, prioris verò neceſſitatem ac momentum ſubinde declarabo.

14. *Scientiam doce me.* Thronum Dei in Cælo circundant Seraphini, qui, cùm ſui ac noſtri Conditoris vehementi amore ardeant, dies noctéſque divinas ejus virtutes magnis laudibus celebrant, quemadmodum Iſaias audivit, nobíſque ſexto Prophetiæ ſuæ capite deſcripſit: *Seraphim ſtabant ſuper illud, & clamabant: Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus exercituum.* In terrâ vero Arca Teſtamenti, & Divinitatis Sacrarium Cherubinis attributum fuit, quemadmodum enim is, qui in ſummum Bonum amor eſt, illic ſufficit, ſic inter nos Amor ſatis non eſt, niſi Hæreſiarchas proſternat ſcientiâ, & Doctrinâ erudiat imperitos. *Cúmque ingrederetur Moyſes Tabernaculum Fœderis, audiebat vocem loquentis ad ſe de Propitiatorio, quod erat ſuper Arcam Teſtimonii,* INTER DUOS CHERUBIN, *unde & loquebatur ei.* Proh miſeram Chriſti Eccleſiam miſeram Chriſtianam Rempublicam, ſi quando in eâ Viri litterati deſiderarentur, quamvis abundarent ama-

Iſai 6. 2.

Num. 7. 88.

amatores! Charitas enim Christianos gemmis exornat, sed Sapientia tutos ab Inferorum Hostium insidiis præstat, & à mortiferorum axiomatum pestifera contagione defendit. Quam ob causam Christus Religionis novæ, & secundi Testamenti Fundatoribus non edixit, ut quadraginta dierũ inediâ cum Moyse in Sinai Monte se macerarent; nec ut cum Elia in desertissimum scopulum Carmeli, & impenetrabiles solitudines se abderent: sed sacrarum litterarum mysteria rimari, & per Provincias Evangelium suum vulgare jussit. SCRUTAMINI SCRIPTURAS ET DOCETE OMNES GENTES. Eam ob rem, inquiebat, primo Ecclesiæ meæ natali die non membra vestra Spiritus Sanctus ad ferenda supplicia confirmabit, sed armabit linguis, & sacrarum cognitione litterarum ditabit, ut Populorum omnium Magistri effecti, veritatis lucem ubique terrarum diffundatis, & ab omni Orbis angulo Superstitionis umbras, & ignorantiæ tenebras depellatis.

Io. 5. 39. Matth. 28. 19.

latis. Nutabat, & propè à casu aberat Religionis Orthodoxæ Templum, & Arx Fidei, nisi Evangelista Joannes inauditæ ante illum diem Theologiæ solidissimis lapidibus muros firmâsset, & fundamenta consolidâsset. *Inebriatus Spiritu Sancto, qui scrutatur etiam alta Dei* (quemadmodum de Evangelista S Paulinus scribit) *ab ipso intimo, & infinito omnium principiorum principio Evangelii fecit Exordium.* QUO UNO *omnia Diaboli, quæ in Hæreticis latrant, ora clauduntur.* Et prodigiosæ hujus sapientiæ fulmine linguam Arrio divinus Theologus evulsit; os Sabellio compressit; Photino dentes elisit; fauces oppilavit Marcioni, caput contrivit Manichæo. Solâ expositione Filii, Patris æqualis, & Dei rerum omnium Conditoris, tot támque sacrilegarum blasphemiarum, quæ veluti eodem partu, è monstrorum illorum Tartareorum faucibus genitæ fuerant, Lernam Beatus Scriptor siccavit, & Christianæ Legis cælestibus armis Cyclopes Atheismi pro-

Ep. 54 ad Amand. To. 52 10.4.

profligavit. QUO UNO OMNIA *Diaboli,quæ in Hæreticis latrant,ora clauduntur.* Videmus ſanè, quàm in hoc exilio noſtro ſuppetiarum magis ſapientiæ, quàm amoris deliciis indigeamus. Sic eſt profectò, Cælum Seraphinos, Terra Cherubinos poſtulat. Nam quid demum fuiſſent, aut profeciſſent Eccleſiæ Concilia Œcumenica Nicænum, Epheſinum, Chalcedonenſe, Conſtantinopolitanum, quæ S. Gregorius quatuor JEſu Chriſti Evangeliis comparavit, ſi maximorum Antiſtitum Theologiâ caruiſſent. Pontificii quidem Juris Interpretes collapſos mores inſtaurant, ſed Theologi revelant Dogmata, & Hæreſes confutant. Quis autem neſcit bonis moribus religionem antecedere, quam ſcilicet ſcholæ examinant, & Vaticanum conſtituit?

15. Adde: ſi Deo Sapientia deeſſet, continuò ejus Majeſtati ac Potentiæ Timor ſuus ac Reverentia decederet. Id quod ad Pontificem Eugenium Abbas Bernardus perſcripſit. *Quid tam timen-*

Lib. 5. de Consid. To. 13. 128.

dum, quàm potestas, cui non potes resistere? QUAM SAPIENTIA, *cui abscondi non potes?* Subinde in Sapientiæ Divinæ laudem, & appositè ad argumentum nostrum Vir Sanctus concludit. *Poterat minus timeri Deus* ALTERUTRO CARENS. *Nunc autem perfectè oportet timeas illum, cui nec oculus deest omnia videns, nec manus potens omnia.* Age porro. Vel in ipsa Trinitate primum locum præripere, & Amori Doctrina præcedere videtur. In tanta æqualitate Personarum Divinarum, Increatarum, Omnipotentium, atque Æternarum Theologi Prioritatem quandam, non Naturæ quidem, aut Temporis, sed Originis agnoscunt. Cùm scilicet priùs Verbum à Patre generatum, quàm ab illo unà cum eodem Verbo Activâ Spiratione Spiritum Sanctum spiratum intelligamus. Ut autem ista in Cælo ita se habeant, nobis certè in hac terra constitutis ad percellendos improbos, ad doloris sensum peccantibus ingerendum, & in mortalium animis Divinum

Amo-

Amorem accendendum, plus quàm necessaria est Sapientia. *Comæ ejus sicut Elatæ Palmarum.* Ecclesiæ triumphi non ab ejus corde, à quo plena Charitatis flumina prorumpunt, sed à capite capillis exornato proficiscuntur. *Comæ ejus sicut Elatæ Palmarum.* At quænam erunt illæ tam fortes comæ, quæ triumphales arcus, & immortalia felicium victoriarum monimenta Religioni erigant? *sicut Elatæ Palmarum.* Quam sententiam S.Ambrosius explicans, eos, qui Sapientiâ inter Litteratos, & inter Doctos mentis perspicaciâ præstant, illos demum esse confirmat, qui decus suum Ecclesiæ conservent, & Hydris illis fauces obligent, quæ passim per urbes Impietatis sulphur, & Perfidiæ picem evomunt. *Hujusmodi* DISPUTATIONES CRINES ECCLESIÆ SUNT. *Hos altos & profundos ubertate Doctrinæ pascit Dominus cælestibus Sacramentis.* Tam nobilibus Comis nullus imminet tonsor, nec admovetur novacula. Quandoquidem capillamen-

Cant. 5. 11.

Ser. 1. in Ps. 118. To. 42. 89.

 tum

tum ejuſmodi non effeminatæ vanitatis argumentum, ſed cæleſtis cujuſdam roboris Sacramentum atque Myſterium eſt; reciſâ verò tam venerandâ Cæſarie, fœdâ calvitie dehoneſtatam Eccleſiam quidni Hæreticorum ludibria, & Idololatrarũ catenæ manerent? Nempe quod Samſoni Gigantum omnium robuſtiſſimo, dum in vertice crinis Nazaræus ſtaret; ſubinde verò, cùm eo ab impia Dalila ſpoliatus fuiſſet, miſero Philiſtæorum captivo accidit, Religioni quoque eveniret, quæ, ut inter Theologos inexpugnabilis, ſic Sapientum præſidio deſtituta ignominioſiſſimè cuique captivitati exponeretur, à ſacrorum Hoſtibus in ſervitutem redacta, & inſtar jumenti ad circumagendas molas, quas ſua cuique cupiditas præparat, & intemperantia vitiis ſervientium collo innectit, adigenda. De Orthodoxo cultu dicatis licet, quod de Samſone Paulinus ſcripſit. *Invictus* CRINE SERVATO, *captivus* ABSCISSO, *&* *iterum fortis* RENATO.

Epiſt. ad Sever. *Ep. 52. 28.*

16. Quæ

16. Quæ causa Basilium impulit, ut, cùm Orientis Ecclesiam falsa docentium, & perperam philosophantium denso numero premi, atque oppugnari videret, non contentus inter illibatæ Virginitatis lilia, ac suaves Psalmodiæ cantus solitudinis suæ tranquillitate gaudere, Academiis se devoveret, pectus, dextram, frontem exquisitissimâ quâque eruditione instrueret, & labra geminis uberibus humanæ divinæque Sapientiæ admoveret, ut deinceps, id quod copiosissimè præstitit, veræ Doctrinæ candore pestiferarum sententiarum Propugnatores profligaret. Poëtas audiit, legit Oratores, Dialecticis se miscuit, Theologos secutus est, & veluti novus quidam Ezechiel omnes Divinæ Legis libros devoravit. In hunc modum humanarum divinarúmque litterarum præsidiis armatus, purgavit Orientem variis Sectis, quæ vel Idololatriæ chimæras instaurabant, vel Christi Templo execranda Zizania inferebant: hinc Sacrilegarum Victimarum fermentum

purissimo Angelorum Pani commiscentes; inde fœdâ perversæ licentiæ pice sacerdotalia Thymiamata cõtaminantes. Id sane de Fratre suo Basilio Nyssenus litteris prodidit. *Moribus canus à juventute, in omni Sapientia tã humana quàm divina veluti* AMBIDEXTER PER UTRAMQUE ERUDITIONEM IN ADVERSARIOS SE ARMANS. *Hinc igitur habeamus sublimem illum* ET VITA ET SERMONE BASILIUM *strenuum Christi Militem, cui secundas, post Apostolos, partes tempus solum dat.* Animadvertatur autem, quantâ veneratione alter, alterius Sancti Sapientiam prosequatur, non enim veretur Gregorius Nyssenus carissimũ Fratrem cum Apostolis componere, haud equidem ob vestis asperitatem, non quòd hordeo pasceretur, non ob pallidi vultûs squalorem, non ob Contemplationis excellentiam, non ob inaccessæ solitudinis horrorem, in qua tot annos versatus est ferarum belluarum hospes, & ab humana consuetudine penitus separatus, sed ob

Orat. de Basil. Laude. To. 13. 31.

ob incomparabilem copiam omnis, tum ſacræ, tum profanæ doctrinæ, quâ ſemet Sanctus Archiepiſcopus exornavit, eo conſilio, ut Ovile ſuum tueretur, & Tartareos Lupos, à quibus impetebatur, in fugam averteret. PER UTRAMQUE *eruditionem in adverſarios ſe armans. Hunc habeamus ſtrenuum Chriſti Militem, cui ſecundas poſt Apoſtolos, partes tempus ſolum dat.*

17. Hæc multiplicis eruditionis copia, quæ Baſilium parem Apoſtolis fecit, me pariter ac vos dubitare, non ſinit, quàm copioſâ litteraturâ inſtructos eſſe homines Societatis, quantóque in eam ſtudio incumbere oporteat. Ille quoq; cui unum tantum Miniſterium, aut ſolam aliquam Cathedram Obedientia commiſit, compluribus doctíſque cognitionibus inſtructus eſſe debet. Quod meo quidem judicio Sanctorum Doctorum nemo meliùs S. Ambroſio intellexit. Advertit ille neceſſariam fuiſſe S. Evangeliſtæ Lucæ dictorum, factorum, Myſteriorúmque omnium cogni-

gnitionem, quæ Christi vita complectebatur, antequam eorum aliqua describeret. *Visum est mihi assecuto à principio* OMNIA, *diligenter ex ordine tibi scribere.* Tam verecundum Procemium attentissimis auribus excipiens Ambrosius; Vos, inquit, Populorum Doctores sciendi modum à S. Luca condiscite. Omnia complexus ille animo fuit, sed non de omnibus verba fecit, exemplo suo monens unumquemq; nostrûm, qui sacræ Doctrinæ Torrentem parat diffundere, opus habere Philosophiæ, Rhetoricæ, Theologiæ, & sacrorum voluminũ Oceano quodam immenso. *Assequuto à principio* OMNIA. *Itaque assequutum se, non pauca dixit, sed omnia, & assequuto omnia visum est scribere*, NON OMNIA, SED EX OMNIBUS. Epiphonema verò, quod S. Doctor subjungit, notatu dignissimũ est. *Non enim scripsit omnia*, SED ASSEQUUTUS EST OMNIA. Patres mei, ut unius scientiæ Elementa nostris Auditoribus rite tradantur, omnibus instru-

Luc. 1. 3.

Proam. in Luc. Tom. 43. 5.

inſtructos eſſe Magiſtros oportet. Quocirca juvenes noſtri animos ſuos prorſus in hoc figant, ut compotes ſe faciant Poëticæ, quæ comminiſcatur; Eloquentiæ, quæ peroret; Dialecticæ, quæ ratiocinetur; Metaphyſicæ, quæ contempletur; Linguarum, quæ omnibus loquantur; Geographiæ, quæ terram dimetiatur; Matheſeos, quæ Cælum deſcribat; & præ omni alia ſapientia, Theologiæ, quæ ſacrorum Voluminum monumenta recludat, explicet Sacramenta, Trinitatem revelet, tutúmque per longas anguſtáſq; veritatis ſemitas curſum ad gloriam præſtet. Nihil omnino negligant Collegiorum noſtrorum Alumni, & quoniam eos Societas immunes interim præſtat ab omni alio labore Miniſteriorum, Miſſionum, Itinerum, & Præfecturarum, ſúbque celeberrimorum Magiſtrorum ductu, ad omnis eruditionis, ac ſcientiæ cognitionem invitat, univerſas imbibant, & omnium fiat Diſcipulus, Magiſter quondam futurus. *In omni Sapientia tam externa quàm divina,*

vina, quasi AMBIDEXTER *contra universos se armans.* Ne pedem extra Universitates nostras efferatis, nisi postquã immensum quodammodo apparatum comparaveritis eruditionis, & Litteraturæ, cujus quidem emolumentum aliquod esse possit. Eo planè modo, quo Apostoli è Cœnaculo in plateas Hierosolymæ descenderunt, omnium Gentium linguis, omníque earum rerum peritiâ instructi, quæ ad confutandam Pharisæorum pertinaciam, & cæcitatem Ethnicorum dispellendam, erant valituræ: Sic Scholasticorum Societatis quilibet, postquam studiis suis finem imposuit in mundum prodeat omnis disciplinæ scientiâ perfectus, nullius ignarus.

18. Fateor, frustra hæc à me Discipulis inculcari, nisi priùs hoc ipsum præstetur à Magistris. Quòd si, ut ita dicam, omniscientiam quandam Quæstionum controversarum, & Locorum, de quibus disputatur, á Discipulis nostris requirimus; necessarium prorsus est, ut Præceptor

ptor in argumentis utilibus & necessariis se contineat, Quæstiones inutiles, & pro ingenii libidine excogitatas exosus; in ipsis etiam necessariis tot superfluarum vocum, & molestissimorum Corollariorum frondes amputet. Nisi enim qui docet, multa explicet argumenta, pauca prorsus intelliget, qui discit. Pro confirmatione hujus meæ sententiæ non sine altissimo gemitu exclamat D. Augustinus Empiricorum voluminum, & cavillantium ambiguitatum impatiens *Qui ergo docet*, VITABIT OMNIA VERBA, QUÆ NON DOCENT. Non solùm unius aut alterius mensis dictata, quæ præter solas ridiculásque larvas rerum, quæ nec sunt, nec fuerunt, neque esse unquam poterunt, nihil continent, proscribit Augustinus: at neque id solùm contendit, nempe absurdum esse, in eventibus, qui nunquam accidunt, aut sententiis, quæ non impugnantur, ambiguitates & controversias comminisci, & nodum in scirpo quærere: verùm id ait, monétque, nè vox ulla

Lib. 4. de Doct. Christ. To. 47. 81.

ulla proferatur, quæ ad perficiendos auditores, aut instruendos eos, qui Magistrorum verba stylo excipiunt, non valeat. Parum dixi. Haud satis est Augustino, ut superfluitates hujusmodi caveamus: vult imò ut eas cane pejus & angue oderimus, jubétque voculam quamlibet non profuturam, ceu bonarum horarum jacturam, & decocti conturbatíque Magisterii infamiam vitari. *Qui docet* VITABIT OMNIA *verba, quæ non docent*. Equidem luctuosa prorsus profusio foret, si, cùm tam angusta sint vitæ nostræ spatia, longéque brevior studiorum nostrorum cursus, qui Magister frequenti coronæ discentium præest, qui non audiunt modò, verùm etiam singulas ejus paginas adorant, eas ille vanissimis bullis inanissimarum quęstionum profanaret, utilibus, & necessariis argumentis neglectis. Heu me! accidit nonnunquam, ut quos verâ Sapientiâ fingere Angelos lucubrationes nostræ debuerunt, eos monstrosis opinationibus in Centauros deforment:

útque neglectis Sacri Jordanis venerandis rivis, nostra, Discipulorúmque nostrorum capita limosis gurgitibus Chaldæorum fluminum immergamus. Atq; hoc à me dictum intelligatur ad pudefaciendos, castigandósque Paucos illos Magistrorum nostrorum, qui ab Ecliptica linea veræ solidǽque Theologiæ, & ab utilibus cognitionibns egressi, citra fabulam & veris lacrymis deplorandi Phaëtontes Magisterii currum agentes per devia, præcipua quæque laudatæ Philosophiæ Elementa confundunt, ac sententiarum ante hac inauditarum fatalibus flammis salutarium Disputationum Fontes exsiccant. Desponsant hi se se cum fumosarum subtilitatum novitate, facto temerario divortio ab opinionibus illis, quas Societas proprias Præceptoribus suis, ac cum placitis, & veterum suorum Auctorum sensu consentire voluit; quo fit, ut à Doctrina celeberrimorum Scriptorum, & tutissimis Academiarum Oraculis secessione factâ, cum deliriis somniantium fœdus feri-

feriant; quódque deterius eſt, nè ſocios quidem ſtultitiæ admittant, adeò miſeros illos ambitione faſcinante, ut temerariarum novitatum Inventores, & offuciarũ Architectos ſeſe ipſos conſtituant. Erit inter eos, qui erubeſcat Bonaventuram, aut Thomam, Eccleſiæ Oracula & Magiſtros Magiſtrorũ proferre, veritus nè nihil ſcire videatur, ſi eadem, qui nôrant omnia, comperta illi quoque habuerint, & niſi vaniſſima ſomnia delirantis Phantaſiæ in lucem ipſe Princeps effundat. Vah! ſuperbiam faſtu faſcinatam! Vah faſtum vento gravidum. Audite, atque exhorreſcite Cenſuram Auguſtini. *Superbi ſunt, nec noverunt Moyſis ſententiam,* SED AMANT SUAM: *non quia vera eſt,* SED QUIA SUA EST. *Iſta temeritas non ſcientiæ,* SED AUDACIÆ EST, *nec viſus, ſed* TYPHUS EAM PEPERIT. Nimiopere, ſi verum fateri volumus, amamus novarum cognitionum Inventores haberi, &, tanquam Sacræ Diſciplinæ non eſſent Divinitatis Interpretes, ſed fabu-

Lib. 11. Confeſſ. c. 15. To. 19. 146.

loſa

losa ludentis Poëticæ commenta, quò quis plura fingit, & novat, eò confidentiùs dominari in scholis, & Academiarum Trismegistus audiri cupit. Haud equidem dico, ut nè abditissima quæq; Philosophiæ, ac Theologiæ placita, rimemini, nec ut Auditorum nostrorum ingenia non attollantur supra trivialium dubiorum vulgus. Nunquam vetabo mentes nostras ad immotum usq; solum latentis veritatis, cognitionúmque ab incuriosis quidem neglectarum, sed expendi merentium, demitti. Enimverò cupio ab Academiarum nostrarum adytis removeri illud *Non ultra* quod in ipso Lycæorum limine præfixum antehac ab otiosis adorabatur. Id tamen sic præstetur, ut receptarum Quæstionum, & sacrarum Definitionum Columnæ in spatia imaginaria sententiarum vel damnatarum, vel infructuosarum minimè transferantur. Ut quid enim super opinionum culpatarum præcipitia curratur, dum confici cum laude studium possit in semitis, quibus Sancti

Viri veſtigia impreſſerunt ſua, ierúntq; homines, quibus Doctrinæ ſanitas venerationem, & nominis immortalitatem contulit? Nollem ſanè Academias Societatis, quas in hæc uſque tempora tantopere commendârunt Catholici, & Heterodoxi timuerunt, malaciæ aut picæ, quâ venatores plerumque laborant, ſimiles eſſe. Suppetunt nobilibus adoleſcentibus in prædiis & aviariis ſuis, Phaſianæ, Pavi, Perdices; non deſunt ſaginati vituli, & domeſtici greges, qui per eorum prata & prædia paſcuntur. Et tamen moleſtiſſimo curſu indeprehenſos volatus Aſturum & Falconum conſectantes, coturnicis, aut glande paſti palumbis prædam veſtigant. Ad eundem modum in venatione Cervorum nobiliſſimi, delicatiſſimíq; Equites in montes eluctantur, flumina tranſeunt, foſſas ſaltu tranſmittunt, non rupes, non ſcopulos vitant, in nemora ſe penetrant, cum Apris depugnant, & ſæpe numero equo excuſſi, ungulis attriti, & vulneribus graves curſum repetunt, ut præ-

ut prædam deprehendant, cujus aut exigua, aut nulla in delaſſati victoris convivio gratia eſt. Nè verò putetis ſic à me riſu traduci curioſos, Auguſtinum audite frequentem adeò communémque dementiam, & voluptatem tot laboribus captam ſalsè deridentem. *Quos æſtus, quæ frigora, quot pericula, ab equis, à foſſis, à præcipitiis, à fluminibus, à feris perferunt* VENATORES: *quem laborem eſuriendi & ſitiendi*, UT BESTIAM CAPIANT? *Quamquam & ſi Aper Cervúſque capiatur, magis ſit ſuavis venantis animo*, QUIA CAPTUS EST, *quàm comedentis palato*, QUIA COCTUS EST. At verò ingenioſa Eloquentis Antiſtitis Satyra longè aptius in Litteratos temerarios, quàm in generoſos ferarum debellatores cadit. Quot pugnis, quot obtrectationibus, quot examinibus, quot periculis, nè vel Apoſtolicis Edictis configatur, vel eruditorum judiciis vapulet ſemet exponit, qui contemptis ſolidæ Sapientiæ triumphalibus viis, in periculoſos calles

Serm. 9. de Verb. Dom. To. 26. 16.

 exer-

exerrat, à quibus in Labyrinthos inextricabiles, & in dumeta ſerpentum ſibilis, & ululatibus Pantherarum infeſta ſeducitur? Certè vel ipſe tam inviſarum Novitatum parens eas non ſine metu concipit, ac ſubinde non niſi ægre trepidéque enititur, non ut Diſcipulos erudiat, ſed ut famam ingenioſi & Inventoris Titulos ſibi conquirat. QUIA CAPTUS EST, *non quia coctus eſt.* Statuæ ſunt oblectandis oculis, non cibi nutriendis corporibus apparati. Sunt Epularum Symbola, &, ut Structorum fert nomenclatio, Tragmenta ad pompam ſcilicet inſtructa, non fercula regia vivacibus aromatis condita. Poma ſunt, non ab Engaddinis Hortis, ſed ex incenſis agris Pentapoleos collecta, quibus cortex pupurâ quidem pictus, ſed pro medulla cinis eſt. Sic efferveſco, ſic loquor, non quòd ex hoc Collegio, è quo ad religionem defendendam, ad Arcem Vaticanam propugnandam, ad errores opprimendos, non tantum quatuor S. R. E. Cardinales æternâ memo-

riâ

riâ digni, ob ea, quæ publicò dederunt, volumina, ſed tot Theologi primæ inter Litteratos famæ ac ſcientiæ, prodierunt; improbatarũ ſententiarum tam nigra fuligo eruperit, verùm eam ob cauſam, quòd non ſine graviſſimo animi mei ſenſu ac dolore videam interdum impugnatarum Quæſtionum Auctores, ac quoſdam veluti Funambulos in Academiis noſtris ſpectari, qui tametſi à caſu & præcipitio ſuâ in diſputando ſubtilitate, & felicitate in ſcribendo utcumque ſe tueantur, non effugiunt tamen, quò minùs à Viris prudentioribus & Religioſioribus illorum in gradiendo audacia, & Schœnobaticæ mortale periculum non damnetur. Itáne verò tot noctes ſine ſomno, tot dies ſine refectione, tot hebdomades ſine ſuburbanæ villæ otio, tot menſes, tot annos, tot luſtra duræ Cruci laborioſiſſimæ lectionis, & pertinaciſſimi ſtudii confixus tranſigat aliquis, ut ſuam aliquam Chimæram aut contra Decreta Societatis, aut adverſus Eccleſiæ interdicta

dicta communiat? Nimio ſanè ſtat hæc ſua ingenio libido; Et ut paginæ noſtræ non abſumantur à flammis, afflantur tamen, & diu multúmque inter quæſtiones Eccleſiaſtici, ut vocant, Indicis luctatæ, vix tandem evadunt ſupremum ſupplicium. Quò abiêre Scriptores illi noſtri, qui tam fidenter, támque beatè ſcripſerunt, ut eorum lucubrationes non modò nullum Tribunal reformidarent, ſed Aris propemodùm conſecrari, SS PP. Commentariis exæquari, certè proximo ab iis loco dignæ haberentur? Quam ob rem, qui docet in publico, amputatis ſterilium Quæſtionum pampinis, ſuccoſos ſalutarium argumentorum racemos ſubſtituat. Non texantur infinitarum Diſputationum Decades, ubi ſimplex Corollarium ſuffecerit, quo caveantur ſophiſmata, & cavillationes retundantur. *Qui docet vitabit omnia verba*, QUÆ NON DOCENT. Magiſter itaque priùs, quàm Cathedram aſcendat ad ſeverum examen omnes periodos, quas dictaturus

rus eſt, vocet; fortiter amputet quidquid in Syllogiſmis ſuis repererit, quo carere Diſcipuli ſui poſſint, certóque ſibi perſuadeat idem commodum lucubrationibus ſuis, quas reſtrinxerit, & putârit, obventurum, quod viti à ferro frondatæ & alligatæ viminibus. Quid multis? nulla vox non ſit fecunda; nullũ Enthymema non vincat; quodlibet axioma extra dubitationem ſit; omnis diſputatio & neceſſaria, & utilis videatur. Ne ſyllabam quidem feramus, quæ ad illuſtrandam, confirmandam, ac demonſtrandam Doctrinam non valeat. *Vitabit omnia verba*, QUÆ NON DOCENT. Atque hæc Magiſtris noſtris dicta ſint: non quòd neceſſaria judicem, vel ut frenum injiciam, quo à ſupervacaneis retrahantur, aut ſtimulos ſubdã, ad nihil eorum, quæ agenda ſunt negligendum: ſed ut præclara Collegii hujus induſtria meâ quoque ſententiâ confirmetur, poſteríſque noſtris caveatur, ut nè in hac optimarum Diſciplinarum felici navigatione, in vortices periculo-

 ſarum

ſarum ſubtilitatum, aut in damnabilis incuriæ Syrtes impingant.

19. Jam verò ab iis, qui docent, ad eos, qui docentur, gradum faciamus: & quemadmodum Magiſtros admonui, ut deliciis ingeniorum ſuorum ſolido profectui Academiarum noſtrarũ poſtpoſitis multa argumenta pertractent, &, ſupervacanearum inventionum paleis à rerum neceſſariarum tritico ſecretis, ea prælegant, quæ ad aſſerenda Religionis placita in Conciliis, Interpretationem Evangeliorum in Cathedris, in Epiſcopalibus Synodis, & Cardinalium Congregationibus opiniones Chriſtianas, & Apoſtolica Conſilia ad utilitatem & incrementum Eccleſiæ conſtabilienda, corroborandáque valere poſſint: Ita Scholaſticos noſtros meminiſſe jubeo, debere videlicet ſingulos atq; univerſos traditarum Prælectionum penitiſſimæ cognitioni penitus ſeſe addicere. Et principio quidem Scholaſticorum illorum faſtus mihi premendus eſt, qui poſtquam primoribus labris aut Philoſo-

loſophiam, aut Theologiam deguſtârunt, à ſtudiis ſibi vacationem largiuntur, gloriantúrque jam prehenſam manibus ſuis Sapientiæ palmam eſſe, quia ſcilicet ejus ſuperficiem memoriâ retinent, ac ſermone proferre poſſunt: puta Diſputationum Titulos, & Capitum Indicem. Eruditionem jactant, quoniam liberalibus artibus, & ſeverioribus Diſciplinis leviter tincti, earum definitiones percurrunt, & nomina proferunt. His enimverò S. Chryſoſtomus exprobrat inanitatem animorum ſuorum, quibus ejus, quam oſtentant, peritiæ vix extimus color inductus eſt, nulla verò viſcera, nulli nervi, nulla vis interior ſubſit, quâ, qui Sapientiam non profundiùs haurit, caret ſcilicet, nec in eruditorum Virorum cenſu eſt; quamvis Theologorum Oracula magnis vocibus crepet. Haud aliter hi tales inter Condiſcipulos apparent, quàm quomodo grandis ſtupæ maſſa refulget, quam fortè pueri noctuis exterrendis accenderint. Tantam ſui ſpeciem primis, quibus

bus exarſit, momentis viliſſimæ materiæ flamma præbet, ut Trojanum incendium minitari univerſæ Urbi, & nocturni Solis inſtar diem mediæ noctis tenebris inferre videatur. Haud diu tamen mendax Aurora, & herbæ in fila ductæ fabuloſum quodammodo lumen reſplendet. Vaneſcit enim continuò ille fulgor, & nè cinerem quidem, præteriti ardoris indicium, relinquit. *Mihi videntur* ACCENSÆ STUPÆ *ſimiles eſſe; nam & illa, poſt incendium, tumidum quid eſſe, & in* NESCIO QUOD PRÆCIPUI *immutata videtur: modicum verò paſſa contactum totum amiſit,* OMNI CINERE VILIOR APPARENS. TALES SUNT ET ILLORUM ANIMI. De omnibus diſſerunt, nihílque ex omnibus intelligunt. Secundam Secundæ, Primá, Tertiámq; Angelici Doctoris Partem ſonant; præcipuos Euclidis angulos, & ultimam ſphæram Ptolomæi deſcribunt: producunt Quintiliani præceptionem aliquá, & Ariſtotelicæ Phyſicæ libros octo: de-

Hom. 20. in c. 12. ad Rom. To. 42. 110.

can-

cantatiſſima Horatii, Juvenalis, & Maronis Poëmata commemorant: nonnulla Græcorum, Hebræorúmque vocabula, quantumcunque depravata, recitant; eluctantur è labris aliàs Auguſtini effatum quoddam, aliàs aliquod Gregorii axioma, Auctorum tamen, quos appellant, veros ſenſus haud penetrant, ſed nec ipſum laudatorum voluminum numerum tenent. Haud paulò amplius opus eſt, ut artes rite calleas, quàm ut argumentorum haud ſanè vulgarium primas paginas oculo percurreris. Eſt Sapientia prorſus, ut lux illa, quæ Moyſi in Horebi monte apparuit. Hæc hominem illuſtravit, ac tum Numinis Naturam, tum Synagogæ in Terram ſanctam imperium præmonſtravit. Non tamen ea lux Planetarum fuit, quorum aſpectu recreamur, ſed aſperrimi rubi ſplendor extitit, ut doceremur altiſſimæ cujuſque Theologiæ Lumina non de Cælo lucidarum inſtar pluviarum dimanare, ſed veluti cruenti laboris, & ſpinoſarum meditationum defluvium,

vium, quibus & tempora noſtra fodiuntur, & transfigatur ingenium. Id quod nobis S. Gregorius Nyſſenus expoſuit in vita Moyſi à ſe compoſita. *Quæ quidem* VERITAS, *inquit non de Cælo illuceſcit, ne à ſtellis defluxa Lux videatur:* SED A RUBO *ipſóque* SPINOSO. Ad ſanguinem uſque Magiſtrorum inventis inſudandum eſt, ſiquidem eorum Doctrinam percipere, ſcientiámq; aſſequi cupis. *Pulſate, & aperietur vobis*, dicebat Chriſtus. Nemo itaque ſperet Auguſtam Theologiæ Portam ſeſe intuentibus ultrò recluſuram. Eſt illa non tam ſeris clauſa, quàm præſtructa muro, pluráque eam ærata repagula, quàm Regum Aſſyriorum theſauros communiunt. Neceſſe igitur eſt, ut Ezechielis dolabrâ per tam ſolidos muros viam tibi vi facias, ſi quæ interius in recondito veræ Sapientię Sacrario latent, ſubjicere oculis concupiſcis Doctorum parietum aditum, haud ſecus quàm ad Edeni Paradiſi veſtibulum armatus olim Cherubinus excubabat, ſer-

De Vitâ Moyſ. Io. 13. 48.

vat

vat Ambrosius, & in accedentes detonat. APERIT SIBI DILIGENTIA *Januam Veritatis, neque enim otiosè dictum est homini, quod nulli aliorum animantiū*: IN SUDORE VULTUS TUI *manducabis panem tuum. Animalibus jussu Dei terra pabulum ministrare præcepta est; soli autem homini, ut rationabili, quod accepit, exerceat* VITÆ CURSUS IN LABORE PRÆSCRIBITUR. Quisquis studiis operam navat centum clavis tum beatę Obedientiæ, tum virilis constantiæ se Musæi sui mensulæ, tanquā Cruci configat: & lignū illud Aram Patientiæ reputans voluntarii supplicii cruciariam victimam Æterno Verbo se immolet, tantúmque sudoris è fronte spargat, ut subinde studiorum suorum adminiculo animas juvet, quantum sanguinis Dei Filius è capite spinis coronato profudit. Non lustret Urbem curiositatis, aut inanium officiorum causâ; non litteras scribat rerum novarū nuncias; neque garrulis aurem accommodet; Poëmata, Fabulásque vernaculo sermone

In Evang. D. Lucæ. To. 13. 7.

ne composita Religiosâ succensus irâ flammis aboleat: Ab illorum quoque lectione librorum abstineat, qui aliis forsan temporibus, aut non inutiles, aut etiam salutiferi; nunc verò ab ejus scholæ, in qua sedet, exercitationibus avocare ipsius animum possent. Quin (ausim dicere) nec ipsas etiam sacras paginas extra præscripta tempora inspiciat, nisi forsan hoc eveniret in iis temporum reliquiis, quas alii, vel in deambulationibus, vel in relaxationibus, nullâ quidem Legum injuriâ, perdunt. Verbo, Deum aliquando propter Deum relinquat. Tanta nimirum támq; ineluctabilis necessitas omnes Ignatii Filios premit se se totos Litterarum studiis consecrandi. Nam si secus, & ii qui docent, & ii qui discunt. agerent, vehementer extimescerem, nè acerbissimâ illâ objurgatione vapularemus, quâ Magnus Basilius Religiosarum Legum incurium hominem castigavit, corre-xítque, quòd, cùm Senatoriam patriæ suæ dignitatem deposuisset, Monachũ nihil-

nihilominus Cœnobio non repræſentaret. *Et Senatorem amiſiſti, & Monachum non feciſti.* Equidem nobis S. Fundator noſter, nec prolixam Pſalmodiam, nec producta jejuniorum tempora, neque ingratum ſalſamentorum cibum, aut rigidam cellæ cuſtodiam, aut cruciabilem nuditatem pedum, aut duros ſilices & ſaxa in grabati vicem, aut perpetuum ab Urbibus frequentiâque exilium, triſtémque in montibus inter Urſos moram præſcripſit. Contentus fuit Ciliciis tolerabilibus, catenis non ponderoſis, flagris non armatis ferro, ſolâ abſtinentiâ ſextis feriis, lectulo ſine ſipario, veſte ſine ſerico, objurgationibus ac pœnis, quæ ferri poſſent; paupertate, ſi privatum uſum ſpectes, rigidiſſimâ, ſed tamen in victu communi non egentiſſimâ, ſed moderatâ: Caſtitate Angelicâ, illâ quidem tum mentis, tum oculorũ; ſed quæ nec cellâ non niſi verſus Cælum apertâ, nec funibus lumbos prementibus, nec ſacco membra concludente, nobis emenda eſſet. Tam beatis duriſſi-

Caſſ. lib. 7. de Inſt. c. 19.

rissimæ austeritatis tormentis excarnificare nos noluit, ut nos studendi labor, si non incruento, saltèm tolerabili Holocausto, dum corpus alitur, & caput affligitur, in Æternæ Sapientiæ conspectu Martyres faceret mente magis quàm carne. Quo circa si hæc ejus consilia interverteremus, expectationémq; frustraremur; nec Anachoretæ, nec Apostoli essemus, quos vel vitæ austeritas Venerabiles, vel sapientia conspicuos redderet. *Et Senatorem amisisti, & Monachum non fecisti.* Qualis igitur foret Cœtus noster, si nec ferro laceri, nec eruditione spectabiles, nec austeritatis decore, nec sapientiæ ornamentis insignes; adeóque nec ad animas, luce veritatis illustrandas satis idonei, paritérque à solitariæ vitæ excellentiâ exclusi, vitam inter homines tanquam cæteri homines planè ignobilem viveremus? Quam ob rem non semel atque iterum, ut Naaman, nec perfunctoriè ac genuum tenus Scientiæ Jordanem tentemus; verùm ita nos im-

immenſo Theologiæ omnium aliarum Diſciplinarum Magiſtræ pelago ſubmergamus; ut noſtrûm unuſquiſque verè dicere cum Davide poſſit. *Infixus ſum* IN LIMO PROFUNDI. *Veni* IN ALTITUDINEM MARIS, *& tempeſtas demerſit me.* Pſal. 68.3.

20. Avertat autem à me Chriſtus, Reparator Animarum, & verus Dei vivi Filius, ut, dum demonſtro quanta neceſſitas premat Præceptores noſtros atque Diſcipulos Sapientiæ fructuoſiſſimis laboribus omnia vitæ ſuæ momenta devovendi, eos à beata familiaritate cum Deo retraham, ac permittam, ut ſacrilegâ rapinâ ſuas ſacris exercitationibus horas ſuffurentur, ſeu cùm pii libelli attentè relegendi, ſeu cum precibus inſtandum, dulciáq; cum Deo protrahenda colloquia, ſeu denique cùm ſevero examine admiſſi errores expendendi ſunt, eſſem profectò, ſi hæc vel ſuaderem, vel tolerarem, animarum veſtrarum proditor, & Miniſterii mei peſſimus prævaricator, interceptis nimi-

rum animo vestro, tum luce illâ, quam oratio latè diffundit, tum antidotis illis, quæ obligandis vulneribus suis, aut, ut melius dicam, expurgandis maculis, quas tam ægrè vitat humana conditio, Conscientia severâ perscrutatione recognita nobis ministrat. Impendatur Christo, quod Christi est, & studiis tribuatur, quod debetur. *Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo.* Quare cùm studiis, prælectionúmq; vestrarum meditationi animos vestros affigerem, non modo nunquam propositum mihi fuit, avocare quempiam à precandi, rerúmque spiritualium studio, ut etiam disertis verbis edicam, nunquam ab eo sapientiam comparatum iri, qui ejus obtinendæ causâ, destinata rebus spiritualibus tempora, vel contrahit, vel negligit. Et quam demum spem scientiæ sibi promittat, qui nullum habet cum Cælo Commercium, cùm non nisi ab Omnipotentis Dei Throno in nos veræ Doctrinæ sacer fluvius influat? *Omnis Sapientia à Domino Deo est, & cum illo fuit*

Matth. 21. 22.

Eccl. 1. 1.

fuit semper. Jubet igitur Augustinus, plus à precum splendoribus, quàm à laboris pertinacia expectare. Vult ille, priusquam in chartas demittantur, oculos ad astra tolli, & à Christi clavis sperari recondita subtilium arcanorum scrinia sibi reseranda, ut quæ contemplantibus se indulgent, negant verò se iis, qui contemptis Oratoriis totos Academiæ se tradunt. Doctus eris, inquit Sanctus, & intelligens, si genua Crucifixo inflexeris, & si priusquam in Rostris Orator specteris, ad Crucis pedem supplex rogator accideris. *Et hæc se posse* PIETATE MAGIS ORATIONUM QUAM ORATORUM FACULTATE *non dubitet, ut orando pro se, & pro illis, quos est allocuturus* SIT ORATOR, ANTEQUAM DICTOR, *Ipsa hora, jam ut dicat accedens priusquam exerat proferentem linguam,* AD DEUM LEVET ANIMAM SITIENTEM, *ut eructet quod biberit, vel quod impleverit fundat.* O quanto doctiores tum Magistri, tum Discipuli essemus,

Lib. 4. de Doct. Christ. To. 47. 84.

mus, si statâ mentalis orationis horâ non contenti, meditandi tempora produceremus! SIT ORATOR ANTEQUAM DICTOR. Quòd si aliquis tam avido Hydrope seu Philosophiæ, seu Eloquentiæ incensus fluminibus Elegantiæ & Metaphysicæ fontibus ita fauces immergeret; ut Crucifixi vulneribus labra admovere supervacaneum duceret, id sibi ab industria sua promittens, quod nisi Dei munere non obtinetur; atque adeò per sacrilegam Idololatriam debitas Pietati horas Eruditionis simulacro immolaret, expectet sanè, qui ejus guttur invadens Dei vivi nomine ipsum compellet. *Redde quod debes.* Cadet in istos maledictum illud, cui S. Augustinus eos subjecit, qui Sacerdotibus tributum negabant, & legitimis Decimis impiè Sanctuarium spoliabant. Quidquid, inquit, tu Clero improbè abstuleris deliciis aut luxuriæ tuæ insumendum, tantumdem tibi aut Fiscus rapiet adversariorum calumniis irritatus, aut eripient Vandali occupatis,

Matth. 18. 28.

tis prædiis, & armentis tuis abactis. *Quod ipſe non dederis* DEUS EXIGIT. *Hæc enim Domini juſtiſſima* CONSUETUDO, *ut ſi tu illi decimam non dederis*, TU AD DECIMAM REVOCERIS. DABIS IMPIO MILITI, QUOD NON VIS DARE SACERDOTI. *Vindemiam tuam aut grando percuſſit, aut pruina decoxit.* Simili pœnâ nos quoque horarum temerè precibus ſubreptarum furtum luemus. Quippe ab irati Numinis ultrice dextera, immiſsâ repente febri, in lectum abjecti per plurium menſium cruciatus, vel igne in venis ardente, vel vertigine caput circumagente, vel pedum manuúmque articulis retortis, aut Cantharidum morſu exulceratis, pauca momenta Deo negata deflebimus, & ſemeſtris unius gemitibus atque doloribus expiabimus. His ipſis oculis meis vidi nonnullos tam miſerè diſcruciatos, quòd precationis tempora flagitioſo latrocinio averſa per ſummam injuriam Philoſophiæ litaviſſent. Atque hæ querelæ

Serm. 2. 19. de Tempore. To. 44. 23.

 ad

ad alterã è conſiderationibus illis quas ſub Exordii finem propoſueram, ferè incogitantem me deduxerunt.

21. *Diſciplinam & Scientiam doce me.* Sanctus Pater noſter Doctos nos cupit, ſed Sanctos: vult Diſciplinis omnibus excultos, ſed Religioſæ Diſciplinæ ſtudio longè clariores optat: rogat Chriſtum, ut nos in Scholis luce Sapientiæ colluſtret, ſed ut ante Calvarii balſamo nos inungat; & ſi ad litterarum ſtudia uno verbo exhortatur, ad fervorem ac perfectionem duobus tonitruis nos adigat. *Bonitatem, & Diſciplinam & Scientiam doce me.* Præcedat virtus, & ſubinde ſcientia conſequatur; ardeat Sanctitas, & deinceps Theologia refulgeat. Neque hæc, ſi ab illa disjungentur, aut frugifera in Societate foret, aut vel ad ſolam ingenii oſtentationem ſatis floreret. Mirabile Paradigma in ſacra Apocalypſi habemus, quo confirmantur, & quæ dixi in prima parte, & quæ in poſteriore dicere aggredior. Inſolabilibus lacrymis Joannes Evangeli-
ſta

ſta ſolitudinis ſuæ ſcopulos perfundebat, cùm reſeratum ſibi Cælum aſpiceret. Spectabat is librum ſeptem ſigillis obſignatum, nullo de tot Angelis illum aperire audente. *Ego flebam multùm, quoniam nemo inventus eſt* APERIRE LIBRUM *nec videre eum.* Sub hæc dolenti Apoſtolo de Principibus Cherubinis quidam ſe junxit tanti fletûs amariſſimum fontem obſtructurus. *Nè fleveris, ecce vicit Leo de Tribu Juda radix David aperire librum, & ſolvere ſeptem ſignacula ejus.* Age, querelas mitte, ocyus enim Judæ Leo ubi rugire cœperit, obſignatæ ſcientiæ vincula diſrumpet. Sic equidem cæleſtis Spiritus dixerat, at non ita evenit. Apparuit Volumen, at Leo videri deſiit. In ejus enim loco manſuetus Agnus nullo terrore fremitus, nullâ jubarum ærociâ, nullo pedum ſtrepitu, aut caudæ motu terribills ſucceſſerat. Huic continuò traditum volumen eſt; quod ſimul ut aperuit, ſimul quatuor Angelicorum Agminum Principes, & viginti quatuor

Apoc. 5. 4.

 Æter-

Æterni Regni Senatores poſito diademate, ac extenſis ſuper ſolum paludamentis, pronóque in terram vultu, eum, qui voluimus tot clauſtra reſeraret, adoraverunt. *Et vidi* AGNUM *ſtantem, tanquam occiſum, & cùm aperuiſſet* LIBRUM, *quatuor Animalia, & viginti quatuor ſeniores ceciderunt coram Agno, & cantabant Canticum novum, dicentes: Dignus es Domine accipere librum, & aperire ſignacula ejus*, QUONIAM OCCISUS ES. Non ſyllaba, non res ulla eſt in hoc toto apparatu divino, quæ non inenarrabilia Sacramenta contineat. Et primum quidem, non incurvârunt ſe Principes, cùm Leo rugiret; neque cùm Thronus ex Adamantibus ſtructus, & ſtellis exornatus, potentiam & majeſtatem Regnantis oſtentaret. Tum enimverò Magnates illi omnes ſubditos ſe, ſubjectóſq; fatebantur, cùm, qui Leo fuerat, Agnus factus eſt, & Libri vincula ſolvit. CUM APERUISSET LIBRUM CECIDERUNT CORAM AGNO. Sinite quæſo ut animum

mum expleam vindictâ haud equidem contra fas captâ, castigémque vanam quorumdam persuasionem, qui Societati ab ædificiorum magnificentia, sacri Instrumenti opulentia, musicorum Organorum melodia, Scenicorum apparatuum prodigiis, & à denso numero Dynastarum atque Nobilium, qui à nobis in Seminariis nostris educati, & subinde post renunciata magno cum strepitu invidiosa patrimonia, dignitatésq; amplissimas nostris sunt accensi, aut famam, aut Auctoritatem promittunt. Hallucinamur oppidò, si nobis id arrogemus, quod Dei Filio non obtigit. Nec sonus, nec solium Servatori Gentium Cæli Proceres submisit. Apertus liber gravissimi Senatus obsequium tacenti Agno conciliavit. *Et cum aperuisset librum, ceciderunt coram Agno.* Ab ipsis cunis nostris nos Mundus propter sapientiam veneratus est, quæ in nostris primis Patribus fuit sanè ingens, quamvis eam nec Ædes magnificæ, nec ornata Templa commendarent. Scientiâ,

Scien-

Scientiâ, Patres mei, Scientiâ opus eſt; quæ vel in Tridentinis Conciliis in admirationem rapiat celeberrimos Romæ atque Europæ univerſæ Doctores. Si eruditi fuerimus, erimus pariter & Regiarum Aularum Oracula, & Arcæ Teſtamenti. *Cùm* APERUISSET LIBRUM, *quatuor animalia & viginti quatuor Seniores* CECIDERUNT *coram Agno.* Notare verò in deſcripta viſione duo Myſteria debemus, rebus noſtris, pluſquam dici poſſit, accommodata, & Inſtituto noſtro perneceſſaria. Nemo ſperet poſſe ſeſe eo Leonis habitu, tametſi in eruditis celebratíſque concertationibus victoriam reportârit, arcanorum & cæleſtium Theorematum volumen recludere. Quod vel hinc colligas licet, quia Verbum Æternum carne noſtrâ contectum, inauratas paginas ſublimium cogitationum, non Leonis fulminantis ſpecie metuendus, ſed in Agni modeſtiam conformatus diſſolvit. Et certè, dum ego quidem ad minimæ hujus naviciculæ clavum

ſedeo

ſedeo, nemo ſperet quantâvis eruditione ſit inſtructus, Exedris noſtris ſe Magiſtrum imponendum, ſi minetur, aut id ſe prælecturum, quod ipſi collibitum fuerit, aut ad docendum non acceſſurum, niſi pro arbitrio ſuo proponere liceat Quæſtiones dubias, aut niſi ſcholam ſit nactus, quæ opinionibus ſuis Thus adoleat. Deſcendant ſanè iſti, ſi fortè aliquis eorum in Theatris noſtris fulget, à qualicunque cujuſcunque profeſſionis ſede, dum ego veræ Sapientiæ improbatas ſibi quæſtiones exilio mulctanti, nec ferenti eruditorum fontium cryſtallinas undas pernicioſo limo intruſorum portentorum contaminari, fidem meam obligo. In Cælo ſacra Volumina reſerat Agnus, qui Patri Æterno ſubjectus ab ejus manû Biblia recipit. Et in Societate, qui nullâ Decretorum noſtrorum reverentiâ, nec eo modo, quo nobis Ratio ſtudiorum præſcribit, docebit, ſcilicet? me verò Præſide, non docebit. Quemadmodum itaque in Cælo decantatum fuit; ita

ita nos in celebribus Lycæis Provinciarum noſtrarum manſuetorum, morémque Præpoſitis gerentium honori & gloriæ accinemus. *Dignus es Domine accipere Librum, & aperire ſignacula ejus.* QUONIAM OCCISUS ES.

22. Eadem illa vox, quæ ſapientiſſimi Agni vulnera mortémque cruentis coloribus exprimit, ſimul nobis demonſtrat, non poſſe citra conſtans ſtudium voluntariæ afflictationis, & cruentæ in ſeipſum pugnæ in Religioſis Cœtibus Doctrinæ incrementa ſperari. Nempe quanto inclementiùs noſtra ipſi corpora habebimus, tanto liberaliùs Deus mentem noſtram ſuorum cognitione Myſteriorum illuſtrabit. *Aperire ſignacula ejus* QUONIAM OCCISUS ES. Quot erunt pœnæ, tot erunt cognitiones, & quantùm inter nos diſciplina floruerit, tantundem Sapientia reſplendebit. Et quoniam dura quæque patiendi ardor in B. Patris Filiis hodiéque viget, ideo apud eoſdem quoque liberalium artium ſtudia florent, quas quàm opti-

optimi quique commendent, & improbi reformident, vel tacentibus nobis, ſatis Hæreticorum Satyræ loquuntur, qui, cùm ſuorum errorum monſtra videant noſtro forſan aliquanto magis, quàm aliorum ſtylo configi, eò impudentiùs famæ noſtræ obtrectant, & damnatæ improbitatis ſuæ obſcœnum virus liberaliùs in nos effundunt. At enim Chriſto Sapientię Patri immortales gratias debemus: quippe quantò immaniùs iſti nos feriunt, tantò amplioribus laudibus Litteratos noſtros effert Eccleſia. Pergamus modò in hoc inculpatæ vitæ ac Religioſæ Diſciplinæ Martyrio ſanguinem effundere, & Romæ hoſtes Cerberorum inſtar adverſus nos exululare ſinamus; certóq; nobis perſuadeamus, omnes oblatrantium fremitus in cæleſtes quaſdam virtutem noſtram, ringantur licet, latè vulgantium Tubas convertendas eſſe. *Dignus es accipere librum, & ſolvere ſignacula ejus, quia occiſus es.*

23. Nulla verò eruditionis, aut huma-

manæ, aut divinæ copia existimationem nobis ab Academiis, bonis licet, & æquis impetrabit, si Doctiores quàm Sanctiores, melioréſq; Philoſophi quàm Religioſi videremur. Quâ in re S. Auguſtinus illos ab errore deducit qui ſe dicunt, credúntq; veros Jſraëlitas, quos ignea columna illuſtret, & divinæ litteraturæ manna paſcat, quia videlicet veteri Philoſophiâ ſpoliârunt Ægyptum, ejúſque theſauris ditati, admirabiles ſapientibus, & formidabiles contumacibus ſe reddiderunt; quantumvis enim Ægypti manubiis divites fuerimus, haud ideo tamen Theologi, & SS. Triadis Interpretes audiemus, niſi ſolemnes epulas cum amaris, ſpinoſíſque carduis, inſigni pietate celebraverimus, raptúmque aurum, non in torques, quibus noſmetipſos exornemus, ſed in Tabernacula Numinis conflaverimus, divini quàm noſtri honoris ſtudioſiores. In hanc ſententiam ſcripſit Auguſtinus Chriſtianæ Doctrinæ libro ſecundo. *Illud Apoſtolicum cogitare non ceſſet, Scien-*

Lib. 2. de

tia

tia inflat, Charitas ædificat. *Ita enim sentiet*, QUAMVIS DE ÆGYPTO DIVES EXEAT, *tamen* NISI PASCHA EGERIT *salvum se esse non posse. Pascha autem nostrum immolatus est Christus.* Non veterum subtilitatum spolia, sed sacrorum Rituum exercitatio; non gloriosus incessus inter gemmata mirandæ sapientiæ maria, non argumentorum nostrorum sonitu prostrata Jericho, sed celebratum Pascha, & receptus Decalogus nos in Sanctorum Areopagû, & Divini Verbi Collegas cooptat. *Quamvis de Ægypto dives exeat, tamen nisi Pascha egerit, sentiet salvum se esse non posse.* Hoc Pascha, teste Augustino, Christus est, unigenitus Dei, ac Servator noster; non à Magis adoratus, non à Scribis convivio exceptus, non à Principibus Matronis liquidis odoribus perfusus, non plaudentem Hierosolymam ingressus, non prodigiosus mortuorum ad vitam excitator, aut Panum distributor; sed Christus ille, quem Scribæ calumniis oppresserunt, condemnârunt

Doctr. Christ. To. 4. 7. 75.

Præsides, Populus ceu Mimicum Regem risit, Lictores inter duos latrones in Crucem sustulerunt. *Pascha nostrum* IMMOLATUS EST CHRISTUS. Contempti, fatigati, mendici, obedientes, precibus intenti, malè pasti, vestitique, & per voluntarios cruciatus nunquam non Cruci Christi confixi omnium vocibus celebrabimur, & desiderati cunctis gentibus efficiemur. Id certè primis S. Ignatii Sociis evenit, quorum sententiam Summi Pontifices exquirebant, studia Reges probabant, Eruditionem Concilium Œcumenicum mirabatur; illi enim, cùm Sapientiæ fulgorem latè spargerent, Calvarii Tenebris se obtegebant; simul in Lycæis cum summa approbatione audiebantur, simul Xenodochiis famularem operam navabant; honorum titulis, quibus eos fama celebrabat, modestiam, & demissionem subrogabant; iidem qui disputando fulminabant, ad Aram lacrymis diffluebant; Laureis doctarum frontium præmiis, austeritatis Fasces; scientiæ

tiæ radiis è vultu promicantibus, aſperos ſub veſte cinctus; orationis luminibus ſuſpiria; latebras, flagella, clavos, Crucem jungere, deprimere ſe ſe, & ad nihilum quodammodo redigere conſueverunt. NISI PASCHA EGERIT. *Paſcha noſtrum* CHRISTUS EST IMMOLATUS.

24. Cujus rei veritatem confirmat Origines, monétque nos, ut omni curâ provideamus, nè quod in ædibus noſtris inter Sanctitatem & Doctrinam divortium fiat. Non eſt ulla dignitas, inquit magnus ille, primúſque ſacrorum voluminum Interpres, aut amplior, aut altior, aut fructuoſior, quàm Sacerdotis eruditi: ita tamen ut libris Hoſtias, eruditionem pietati copulet; ut in ſe conjungat Syllogiſmos Ariſtotelis, & Jeremiæ Threnos; ut nè ullam earum partium ab animo ſuo excludat, quas in Apoſtolis ſuis, & vel maximè in Apoſtolo Gentium Paulo Deus voluit indiſſolubili nexu conjunctas, Eruditionem videlicet, & emendationem. E tertio

Cælo, ad quod eos Contemplatio evexerit, in profundiſſimos Oceani ſinus ſe demergant; ab Areopago, quem Sapientiæ ſuæ admiratione compleverint, ad carcerem, & equuleos tranſeant. Si nacti Proconſules & Senatores ab ore noſtro pendentes fuerimus; non deſint ſubinde Tyranni atque Venefici, qui dicta noſtra oppugnent, facta criminentur, & membra dilanient. Secus ſi apud nos Sapientia quidem geminato in ſolio reſidens advolutos pedibus ſuis populos deſpiceret; Pietas contrà in angulos retruſa, neglectáq; jaceret: non eſſemus Cælo judice magni, nec præmiis, ſed irâ ſuâ, flagríſque, quibus perduellium ſuorum turba vapulat, dignos Deus exiſtimaret. Eam ob rem Phinees Os clauſum appellatus eſt, quamvis Pontificiæ Thiaræ ornatu fulgeret. Sacerdotii auroram improba vita infecit, & faſtigium honoris à rapinarum humilitate, & licentiæ fœditate in pulverem detractum eſt. PHINEES ORIS OBTURATIO, *vel ori parcens. Sunt aliqui*

Hom. unica in Lib. Reg.

aliqui qui ſecundum iſtum Phineem OBTURATUM OS HABENT, *ſive imperitiæ vitio, ſive conſcientiâ peccatorum: ſed hoc eſt, quod deprecor, ut, ſi quis in Sacerdotalem Ordinem ſe adſcitum videt*, SATIS AGAT ERUDITIONI ET EMENDATIONI *operam dare, nè fortè inveniatur ex iſtis Sacerdotibus, qui & reprobantur, & puniuntur à Deo.* To. 43 14.

25. Tam formidabile decretum ab Omnipotentis Dei indignatione ad Silunthem executioni mandatum, & à celeberrimo Interprete per Eccleſiam vulgatum lætari me non ſinit, dum intelligo, & in hoc, & in quocunque alio huic non diſſimili Collegio juvenes perſpicaciſſimo ingenio, maximis ſpebus, inaudito profectu adoleſcere. Contineo tum meam, tum aliorum hæc talia narrantium lætitiam: Nam ſi, qui tanto opere laudantur, ingeniorum ſuorum perſpicacitati, vitæ, virtutiſque perfectionem non conjungerent, eos utpote non diverſos à Phinee quàm primum deficeret & docendi auctori-

 tas,

tas, & felicitas differendi. Quò fieret, ut omnis illa ornamentorum, quibus excellunt, copia, nihil quidem commodi nobis, incommodi verò plurimum depravatus eorum uſus afferret, ipsíque è canoris Cycnis, quales eos quotidianæ divexationis beata mors efficere debuerat, in faſtidioſas viperas mutati, arrogantiæ, quam malè didicerunt, toxico Societatis matris ſuæ viſcera, vultúmque lacerarent, noxiarum laxitatum, ſententiarúmque legibus adverſarum Auctores, & ambitionis mancipia. Nos quoque tum exclamabimus cum Rebecca: quanto nobis ſatius fuerat, non concipere, non lactare, qui Præſides mœrore affecturus, & in Abrahami Tentoria Chananæorum ritus moréſq; invecturus erat! Et verò, ſi Doctrinâ magis, quàm virtute conſpicui, Scholaſticorum noſtrorum Duces evaſerint, commendabunt illis ſcilicet, non Miſſionum ſtudia, ſed immunitates ac privilegia Cathedrarum, res videlicet à moribus noſtris alienas. Dicent aliorũ

Ordi-

Ordinum Magiſtris ſingulares honores haberi, menſam lautiùs ſterni, ampliora conclavia, inſtructioráque ſeligi, immunitatem à Pſalmodia indulgeri, eoſdem Magiſtros Epomidas geſtare, honorificis titulis decorari, nullis reprehenſionibus caſtigari. Hæc aliáque plura, quæ in aliorum Cœnobiorum aliquo parum memori primæ virtutis, nec ſine Fundatoris ſui, Sanctiſſimarúmque Legum injuria, invaluerunt, memorabunt; ut magnificis imaginibus ſuis Diſcipulis caput oppleant, & profanis prorſus titillationibus eorum corda ſollicitent. SATIS AGAT ERUDITIONI ET EMENDATIONI *operam dare.* Nempe ſi quis Juvenum noſtrorum Ver quoddam Eloquentiæ primùm, tum etiam Philoſophię Autumnum nobis oſtentet, niſi Spiritûs Sancti ardoribus penitus exæſtuet, omnem ille Apoſtolatûs noſtri vindemiam tam pernicioſorum exemplorum, quàm axiomatum non optimorum horribili veluti brumâ vaſtabit, & ex animis tum Di-

cipulorum suorum, tum aliorum, quos frigidissimarum præceptionum suarum Auditores habuerit, omnem veræ pietatis succum exsorbebit: illorum verò præcipua clades extremáque pernicies erit, qui Magistri sui mores actionésque imitati, eundem in docendi munere consequentur. Heu! quanto nobis pauculi Eloquentiæ flores, tenuésque Enthymematũ racemi stabunt? Heù! quibus lacrymis extremam veræ virtutis inopiam, postquam omnem spem bonæ frugis in animis Alumnorum suorum infelix Magister pessumdedit, deflebimus, vanâ illa eruditionis specie decepti? Quam ob rem necesse est, ut quælibet Societatis nostræ Academia Sanctæ Elizabethæ solertiam imitetur. Filium illa ultimis senectutis suæ annis conceperat; distulit nihilominus conceptûs sui fortunam vulgare; & quibus ejus pectus ob hæredis tam optati præsentiâ gaudiis, pertentaretur, altâ prudentiâ pressit. Se ipsam Heroica Prophetis alloquens. Quis, inquiebat, mei fœtus indo-

indolem novit? Quamvis enim ea Zachariæ tam Religiosi Sacerdotis sit proles, non ideo tamen certa sum, futurum, ut in lucem edita, & paternam subinde potestatem egressa, domûs tranquillitati non incommodet, Majorum pietatem non inobscuret, & pravis exemplis civium populariúmque suorum virtutem offendat, non pectus vagis amoribus, & manus cruentâ barbarie commaculet. Esau quoque primogenitus fuit Isaaci, & tamen in Jacobum sæviit, Rebeccam afflixit: cum barbara, & latrociniis assueta gente amicitias junxit, nuptiásque cum Incircumcisorum liberis contraxit. *Concepit Elizabeth, & OCCULTABAT se mensibus quinque.* Luc. 1. 24. Tum denique gravidam se matrémque fassa est, cùm futuri Baptistæ è Divini Filii & Purissimæ Matris præsentia gestientis lętitiam sensit. Postquam itaque, quem conceperat, puerum, rerum futurarum cognitione instructum esse cognovit, in gaudia, & festos denique cantus prorupit, Deum in

fœtu intra viſcera ſua formato laudans, lætáque magis futuræ Sanctitatis indiciis, quàm hærede, ac familiæ ſuæ poſteritate. Id totum S. Ambroſius in admirandis ſuis in Lucam Commentariis divinè prorſus deſcripſit. *Illa, quæ occultabat ſe*, QUIA CONCEPERAT *filium, jactare ſe cœpit*, QUIA GENERABAT PROPHETAM. *Itaque magnâ voce clamavit, ubi Domini ſenſit adventum*, UBI RELIGIOSUM CREDIDIT PARTUM. Quin igitur nos quoque timere non deſinimus, donec ſcholaſticorum noſtrorum indoles inſolitis fervoribus conſecrata, de ipſorum obſervantia erga noſtras leges, & vitæ, quam agent, illuſtribus exemplis nos certos reddiderit.

Lib. I. in Luc. Tom. 43. 29.

26. Si ex me ſubinde quæritis, ecquis ingenioſus ille futurus ſit, qui ſcientiâ, & virtutibus ſuis gloriam nobis ac lætitiam ſit allaturus, quemadmodum vetulæ Matri, & Patri Pontifici lætitiam, ac decus nata proles peperit? Ajo, ab illis duntaxat tantam fortunam ſperari poſſe,

posse, qui Joannem nobis & animi moderatione, & publico se credendi tarditate repræsentabit. Triginta annos Sanctus Christi Præcursor in sylvis latuit, & delatos sibi à Synagoga honores, & Messiæ Titulos constanter rejecit. Concionatus ad Turbas est, sed ut obediret Cælo, improbos à flagitiis coërceret, Israëlitas saluberrimis monitis erudiret: non verò, ut vel à vulgo plausum, vel commoda sibi atque delicias aucuparetur. Si quis à Deo facultatem aut bene dicendi, ac eruditè disserendi nactus est, procul ambitionem, procul cupiditatem omnem habeat: diu lateat, nec aliâ quàm obedientiæ vi protrahi se in lucem, & spectari patiatur. Quantumcunque deinde admirabilium Quæstionum expositione se celebrem reddiderit, Joannem imitatus, nihil de solita vitæ austeritáte remittat, privilegia respuat, commodáque repudiet, quæ indulgentur vel obtruduntur. Concionatus est Joannes cilicio cinctus, Domo destitutus, herbis saturatus, nec unquã eam,

vitæ

vitæ aſperitatem,quam amplexus fuerat, vel in docendi munere, vel in Sectatorum triumphali comitatu mutavit. Hunc agendi modum teneat quiſquis in ſcholis noſtris Sapientiæ lucem aliis præfert. Quòd ſi abhorrere à Præcurſore Christi non volumus, lapidem Ærarium imitemur, qui favillis licet ſtipatus, ac prægnans ſplendoribus nunquam emicat in ſcintillam, niſi chalybis violentiâ ictus. SILICES *obſcuri in tenebris manent*, ETIAMSI ILLUMINATRICEM VIM IN SE CONTINEANT. Verba ſunt Nyſſeni. A tam laudatiſſimis hiſce ſilicibus nimiũ recedunt ambitioſuli Saperdæ illi, qui ſemper ad Vanitatis rationarias Tabulas ſedent, micantibus per aëra digitis, calculos & numeros ſubducturis. Iſti ultrò ſcintillant, & per conculcatam Crucis humilitatem ad primas Cathedras eluctantur. Iniquos appellant Ordinis Præſides, quod ſe aliis, quos ætate, rebúsque geſtis præcedunt, poſtponant. Mihi debebantur (inquit miſellorũ iſtorum

Hiſt. ſex. dier. To. 13. 18.

rum aliquis) munera quæ in alios col-
lata ſunt. At enim obliti ſunt iſti non
exercere Tyrannidem inter nos vel an-
norum, vel aliorum ornamentorum,
præſtantium; cùm S. Pater omnis fa-
cultatis uſum Divinæ voluntatis ſacrifi-
cium, non arrogantiæ Politicæ rapinam
eſſe voluerit. Domus amplas, ſplendi-
da munera, celeberrimas Cathedras de-
beri ſibi jactant. At verò vetuit B. Fun-
dator, nè quis Magiſteria vel munia ul-
trò vel ſuſciperet, vel poſtularet; mul-
tóque magis, nè à ſancto legum noſtra-
rum jugo, & à pia communium Rituum
obſervatione quantamlibet immunita-
tem ſibi arrogaret, edixit. Obmute-
ſcant igitur, qui vel libertatem, vel mer-
cedem poſtulant. Vivitur apud nos
oculis ad propria merita velatis, & arre-
ctis ad Dei vocem auribus, qui nobiſ-
cum Præſidum noſtrorum ore collo-
quitur. SILICES OBSCURI MA-
NENT *etiamſi illuminatricem vim in-
ſe contineant*. Qua in re animadverti
velim in ea proſcriptione, quâ ego & S.
Pa-

Parens Titulorum fumos, & immunitatum corruptelas procul relegavimus, non comprehendi summam illam curam, & opinionem quæ Sapientibus debetur. Imò Præpositis impero, ut Litteratorum, quos veluti Coronas Societatis & Ecclesiæ propugnacula æstimare debent, necessitates sublevent, otia concessa conservent, valetudinem tueantur amanter, vigilantérque provideant omnia illa, quæ nostris Decretis pro illorum commodis stabilita sunt, qui tantum sudoris profundunt, tantámq; nobis gloriam pariunt. Negligi Leges prohibeo, quæ cum Instituti nostri injuria invaluerunt, quæ verò more Majorum fiunt, conservari nihil veto: novitatibus obnitor, quæ inter nos obedientiam, modestiam, Disciplinam, denique virtutem evertunt, relicto & usu & vigore rerum illarum, quæ simplicitati Religiosæ, & Apostolicæ vivendi consuetudini non adversantur. Atq; ideo S. Pater statis reditibus fundari Collegia, in quibus scholæ habentur, passus est,

eſt, ut tum eos, qui docent, tum qui docentur, à Litterarum ſtudiis rerum neceſſariarum penuria non avocaret.

27. Quam animi ad omnia perinde affecti inductionem, conſtantémq; obſervantiam, & regentibus obnoxiam voluntatem exſibilabit infelix aliquis ſerpentis illius Alumnus, qui ad pomorum vetitorũ cupiditatem, & divinitatis fabuloſæ ambitionem Evam impulit: ſibilabit, inquam, exclamabítque: ſi Doctrinam præmia defecerint, & Privilegia negata fuerint Eruditis, continuò inter noſtros Sapientiam tam nobis propriam, & quæ paulo ante à me ipſo ſolitudinum Coronis prælata, & Martyrii palmis vix poſtpoſita fuit, finẽ accepturam eſſe. Ego verò tam perniciosis ſuſurris ſilentium impono, reputaréque unumquemq; veſtrûm cum animo ſuo jubeo, quid acturum exiſtimetis S. Patrem, ſi in hominibus noſtris virtutis ardorem refrixiſſe, impatientiam jugi religioſi, & immunitatum cupiditatem ex admirandæ ſcientiæ fama, quam

quam ſibi comparârunt, invaluiſſe deprehenderet. Ego certè mihi perſuadeo, Jgnatium, ſi unquam ſomniâſſet, fore, ut Modeſtię, Demiſſionis Obedientiæ, ac cæterarum Virtutum ſtudium in pretioſo Sapientiæ pelago naufragium pateretur, omnes nobis Philoſophorum, Rhetorum, Theologorum libros, non ſeptem, ſed ſeptuaginta ſeptem ſigillis obſeraturum fuiſſe. Ille, ille ſi Salutis alienæ ac propriæ perfectionis ſtudio doctrinam obeſſe videret, cum bona Numinis venia de Cælo in domos noſtras deſcendens volumina Suarii & Vaſqueii in Hiſpania, Leſſii & Cornelii in Belgio, in Galliis Theophili & Petavii, Clavii & Gretſeri in Germaniis, in Italia Bellarmini, & tot nobiliſſimorum illorum Scriptorum, qui ex hoc Collegio innumerabiles prodierunt, omnes vel ob Eloquentiæ lumina, vel diſputationum fulmina prorſus egregii, ſuis ipſe manibus cæleſti flammâ armatis hoc ipſo die incenderet. Cùm enim is viveret, Sanctos primùm nos voluit, deinde

de Doctos; quales nempe laudati Doctores fuerunt omnes, & quales hâc tempeſtate ſunt, adjuvante Dei gratiâ, tot hujus Academiæ Magiſtri, tam illuſtri probitate conſpicui, tanto animorum in Communionibus Generalibus juvandarum ſtudio, tantáque alacritate, promptitudinéque detentos in cuſtodiis reos ſolatio aliquo impertiendi. Nunc quoque cum Deo inter Superos degens, nullâ prorſus ratione vult, nos à ſtatutis ſuis in quacunque nominis noſtri Apotheoſi, & qualicunque Cathedræ faſtigio, vel latum unguem diſcedere. Itanè verò deficiet Sapientia, inquis, niſi privilegiis eam remunerabimur, & legibus ſolvimus? Quid? nunquam clariùs in Religioſis Ordinibus ſapientia reſplenduit, quàm cùm in iiſdem ſtudia virtutis vel maximè arderent. Baſilii, Chryſoſtomi, Nazianzenus, & Magnus, Gregorii, Hieronymi, Bonaventuræ, Alberti, Thomæ, & quotquot, unquam prodigioſæ, & incomparabilis Sapientiæ famâ Scripto-

res

res extiterunt, universi humanas, Divinásque Litteras professi sunt, claruerúntque quo tempore illorum Cœnobia, non deliciarum, sed Religiosæ Disciplinæ totidem Paradisi erant. Enumera, si lubet, quotquot Scriptores Religiosi Ordines Ecclesiæ dederunt, & mendacem appella, nisi qui magis Docti, pariter & Sanctiores fuerunt; & nisi Monastici, Mendicantésque Ordines tum maximè Auctorum, & Voluminum copiâ præstantiáque illustrati sunt, cùm in iis maximè regnaret austeritas. Vix dum inauditam Benedicti asperitatem Cistertium instaurârat, cum è Regula ad pristinam severitatem revocata veluti totidem prodigiosæ sapientiæ stellas effulgere Gilbertum, Bernardum Christianus Orbis conspexit. Quod de hoc Ordine dico, quem præ omnibus aliis, & Pontificiæ Thiaræ illustrem, editáque volumina celebrem reddiderunt, de quocunque alio velim intelligi. Verùm enim verò cur ego à Monasteriis non nostris tam exploratæ veritati testi-

teſtimonia emendico? Quis eſt, qui dicat prima Societatis tempora vel Sapientię, vel Religioſę Diſciplinę laude ætati noſtrę concedere? Equidem præcipuos applauſus, quibus Theologia noſtra celebrata eſt, comparârunt Nobis primi Socii Sancti Ignatii, exules, centonibus tecti, ad omnia parati, Deo pleni pompæ commodorúmque omnium implacabiles inimici. Nemo eſt, qui neſciat, quàm prompta illis obedientia fuerit, quàm egena paupertas, quanta in caſtigando corpore atrocitas, quàm profeſſum odium adverſus quamlibet gloriæ ſpeciem, & omnem honoris cujuſcunq; fulgorem. Iis porro, qui primos illos deinceps conſecuti ſunt, annis, vix habemus ſcriptorem, cujus vita & excellens virtus non ſit litteris mandata. Quod autem Seculum noſtrum aut præferre ſanctitate, aut etiam comparare ſe Doctrinæ præſtantiâ primo Societatis ſeculo auſit? Jam verò, cùm hæc ſciamus, cùm manibus tractemus, eritne reperire linguam tam temerariam,

quæ asserat, Eruditionem interituram si Virtus, si Pietas conservetur? Quin, imò, eo ipso momento quo Virtus deficeret, Sapientia quoque omnis cadat necesse est, cujus profectò lucem aut interceptam, aut extinctam nimis veris lacrymis deflent Cœtus illi, qui non inficiantur, se à primæva sanctitate abscessisse, & de beato vigore Contemplationis, & vitæ Apostolicæ remisisse haud parum. Si eruditionem apud nos vigere volumus, augeamus sanè pias Evangeliorum commentationes, & corporis afflictationes asperemus. Sapientia Lilium illud est in Canticis descriptum, quod inter spinas succrescit. Margarita illa Evangelica est, quæ scabro conchylio clausa nascitur. Fac autem, Scientiam inter mellis favos uberiùs provenire, & inter Electri odorem efflorescere copiosiùs, quid demum foret hic noster eruditus, si creata omnia mente teneret, & frigidè scriberet de Creatore? Gravissima oratio est Augustini cum Deo loquentis; at mihi non tam loqui,

quàm

quàm tonare, quàm fulminare videtur, cùm ait: *Numquid Domine Deus Veritatis* QUISQUIS NOVIT ISTA, IPSE PLACET TIBI? *Infelix homo* QUI SCIT ILLA OMNIA, TE AUTEM NESCIT. *Qui te verò & illa novit*, NON PROPTER ILLA BEATIOR, SED PROPTER TE SOLUM BEATUS EST. Quantò præſtat nihil admodum ſcire de tota Eruditionis Encyclopædia, dum Chriſtum Crucifixum nôris! Nihil enim prodeſt, ſi Doctori Angelico in Theologicis Quæſtionibus, & Platoni Philoſopho in texendis ingeniosè ſophiſmatis palmam præripuerimus. Academiis quidem venerabiles ob ingenii perſpicaciam, Cælo verò exoſi, & velut infelices Noctuæ ad ſacrorum voluminum ſolem, lucémque Inſtituti noſtri caligantes decoctæ virtutis violatarúmque Legum rei mitteremur in compedes. Vel unum ſolidæ virtutis, ac veræ Pietatis granũ toto Sapientiæ granario præſtantius eſt. Cedò mihi quotquot ſeu Societatis noſtræ, ſeu

Lib. 5. Conf. cap. 4. To. 19. 118.

aliorum Ordinum ſublimius Cælum tanquam lucidiſſima Sapientiæ ſidera exhibet, quæ ſparſis latè Doctrinæ ſuæ fulgoribus colluſtrent omnia, admirationem plauſúmque orbis univerſi concitent; ſi tamen nec probi, nec Legum ſuarum ſtudioſi fuerint, nunquam illi ſe ab acri objurgatione Auguſtini omni illâ ornamentorum ſuorum copiâ liberabunt; audient vel inviti clamantem *Ecce pulchra ſunt cum eis omnia*, ET IPSI TURPES SUNT. Quantam verò labem nomini noſtro, & huic Univerſitati, quam cæteris omnibus noſtris Lycæis vitæ formam, & Sapientiæ Magiſtram eſſe oportet, dedecus inferrent, ſi Superiorum Scholarum auditores modeſtiam ſuam famámque noſtram furtivâ violatione ſilentii, & confabulationibus eo loco ac tempore vetitis, ſempérque à Religioſa maturitate ac gravitate alienis dehoneſtarent, commaculaséntque? Dici non poteſt, quantum apud exteros ſcholaſticos famæ noſtræ Majeſtas eviluſceret, ſi tam abjectam

Lib. 5. Conf. cap. 5. To. 19. 109.

lin-

linguæ impotentiam, & tam fœdum garriendi pruritum in Theologis,& Philosophis noſtris animadverterent. Incumbit igitur iis, qui præſunt, publicis pœnis inevitabile cæteroqui dedecus antevertere, quod nobis à jactura modeſtiæ, & Religioſæ gravitatis contemptu certo immineret. Nullius vultum vereantur, quamvis ille inter Condiſcipulos tanquam inter Planetas Sol aliquis ornamentis omnibus coronatus refulgeret; quin pœnas repoſcant à tam damnabilis negligentiæ reis. Exclamet, qui Leges vindicat. Societas noſtra longè pluris æſtimat unum Obſervantiæ & Religioſæ gravitatis florem, quàm facultatum non ad Inſtituti noſtri rationes exactarum, & incompoſitæ Sapientię centum penſiles Hortos. Garrulorum voces clamor opprimat Auguſtini. *Ecce cum eis omnia pulchra*, ET IPSI TURPES SUNT. Sed cur ego ſereno cælo tono; & cùm tanta ſit verecundorum & modeſtorum integritas, malè moratos reprehendo? Angelos

video ſilentio, pietate, animo in qualibet Claſſium noſtrarum, & larvas vobis levitatis ab ædibus noſtris pridem exulantis repræſento? Id quidem genus opprobrii nunquam audietur in S. Parentis Academiis; quippe in omnium Filiorum ipſius ore ſemper reſonabit Davidis Oratio Virtutem Scientiæ præponentis. *Bonitatem, & diſciplinam, & Scientiam doce me.* Sic in præſentis ſeculi annum ſexageſimum octavum, quo loquor, uſu venit: Itaq; venturis quoque ſeculis evenire Chriſtus volet, jubebit.

EXHOR-

EXHORTATIO XV.

Habita in Collegio Romano ad Patres Congregationis Provincialis die S. Monicæ Sacro.

Noli flere, Tetigit loculum, & sedit, qui erat mortuus.

Ego ſum Paſtor Bonus.

In geminis Evangeliis, tum Solemnitatis propemodum peractæ, tum ſecundæ Dominicæ poſt Paſcha quam inchoamus *Luc. 7. Joan. 10.*

PRæſidibus Religioſis non minùs corpora ſubditorũ, quàm Animæ committuntur. Quocirca qui præeſt, ſi perfectionem ſubditorum amat, iis de omnibus opportunis ſubſidiis proſpiciat,

necesse est. Cùm eorum necessitatibus paternè, liberalitérq;, consuluerit, accuratam ab iis Legum observationem reposcat. Hanc obtinere Charitatis Balsamo primùm satagat, quo si nihil profecerit, Pœnæ gladio urgeat, ac potissimum exemplo, cujus ea est vis, ut in omnes omnia possit. Subinde qui paret, Rectorem suum amet, eum asperitate morum non offendat, hortetur potiùs, ut per præscriptorum monitorum semitas volentem, obsequentémque se deducat. Id quod totum subditi, tametsi optimi, Præpositis, licet imperfectis exhibeant. Timeat Absalonis mortem, & quibus Chamus devotus est, Diras, qui Regentes ludum facit.

28. Autographum hodie ab Ectypo superatur, & Viduam Naim vincit Monica Vidua Africana. Filium illa nec vivum deseruit nec mortuum: hæc verò non destituit Augustinum, seu Gratiæ vitâ destitutum, seu Innocentiæ postliminio restitutum: præsenti eum vitæ inter dolores peperit, lactavit sedulò, solicitè ac solerter educavit, erudiendum doctissimis Magistris tradidit, nullis sumptibus pepercit, omnibúsque illis rebus quæ bono loco natis, & suorum expectationi præclarè respondentibus necessariæ sunt instructum, clarum inter Cives, & celebrem inter Litteratos reddidit. Subinde ut eum vitæ quoque futuræ parturiret, contempsit Patriam, Cælum mutavit, maria transiit, in Italia cómorata est, monuit, rogavit, compulit ut audiret Ambrosium, tamdiu flevit, preces fudit, semetipsam afflixit, donec eum è fætenti sentina, in quam & Luxuria & Hæreses unà influebant, in vivum Spiritûs S. Templum mutaret, è quo

quo ſubinde in Eccleſiæ utilitatem non pauciora Oracula Sapientiæ quàm Virtutis exempla prodierunt. Eam ob rem B. Doctor bis ſe filium Matris ſuæ fatetur, tum quòd corpus efformâſſet ſibi, tum quòd animo novum decus addidiſſet. Id verò, quod optima Matrona magnanimo, ingenioſóque juveni exhibuerat, id ipſum expromebat in Familiares omnes, quibus & frenum injiciebat monitis ſuis nè peccarent, & vitæ tolerandæ neceſſaria ſedulò miniſtrabat. *Nutrierat filios toties parturiens, quoties à te deviare cernebat. Ita curam geſſit quaſi omnes genuiſſet: ita ſervivit, quaſi ab omnibus genita eſſet.* En vobis modum glorioſiſſimum titulum ſibi comparandi, quem ita demum Chriſtus adeptus eſt, ut ſibi quidem Crucem ſeponeret, ſectatoribus verò ſuis utilitates maximas reſervaret. *Ego ſum Paſtor bonus.* Quoniam igitur ſub hujus diei occaſum operam meam addixi præcipuis Romanæ Provinciæ ſubditis, ac Moderatoribus, ad Congregationem

Lib. 9. Conf. cap 9.
To. 19. 175.

Pro-

Provincialem de more in hunc locum profectis, perfectæ Obedientiæ formá, quam ſubinde ad Collegia ſua reverſi ſibi Sociiſque imprimant, propoſito in exemplum Auguſtino Parenti ſuæ longè obſequentiſſimo exhibebo. His verò induſtrias Monicæ tam amanter naturæ neceſſaria Filio miniſtrantis, tantáque conſtantiâ nova ſemper incrementa Virtutis adjicientis exponam. Tres itaq; partes erunt orationis meæ. Prima Regentes docebit, quanta ſedulitate ſubditorum ſibi corporũ neceſſitatibus conſulere debeant: tum quo ſtudio profectui animorum invigilare ipſos oporteat: ad extremum ſummam reverentiam Præſidibus ſuis omnes debere demonſtrabo.

29. *Ego ſum Paſtor bonus.* Talis non eſt, nec erit unquam, qui neglecto viduarum exemplo, Naim ſcilicet ac Monicæ, non attentiſſimum ſtudium ponet in eo, quod ſervandis ſibi ſubjectorum corporibus convenit. Haud enim ad promerendum veri Paſtoris, ac optimi

Du-

Ducis nomen ſatis eſt, ſubditos ad ardens precandi ſuíque divexandi ſtudium urgere; ſi, quibus eorum corpora premuntur, neceſſitatum oblitus, aut mala, quæ patiuntur diſſimulet, aut negligat ea, quibus juvari queant. Tam perniciosum quorundam Præſidum Errorem ut detegeret, gravi ſono ſuccIamabat in Ægypti Monaſteriis memorabilis ille Pachomii Collega, & celebermus Abbas Oreſienſis: de quo Gennadius, & Bellarminus. *Scripſit librum divino ſole conditum de inſtructione vitæ Monaſticæ.* Sanctus itaque Senex Venerabilium illorum Cœnobiorum Antiſtites alloquens. Vos, inquiebat, ò Vicarii Dei, & multùm mihi venerandi Collegæ, cavete credere, muneri veſtro vos ſatisfeciſſe conſervato in Clauſtris veſtris Angelico Pſalmodiæ ſono, Evangelicæ inediæ cruciatibus, Apoſtolicorum Laborum contentione vehementiſſima, aſperis ciliciorum tegminibus, moleſtiſſimâ quiete ſuper duris ſilicibus, Seraphicâ rerum Divinarum con-

tem-

templatione, protractâ denique in multas horas ſacrorum lectione librorum; niſi Monachis veſtris de idonea corporum refectione, veſte neceſſaria, & uſitata nobis habitatione proſpexeritis. Quemadmodū enim eos Sanctos optatis, ita ſanos velitis oportet: & ſicut alacres illos mentéque fixos in Deum cupitis; ita providete, nè inediâ exhauſti, & viribus defecti, tam ſeveri Inſtituti pondus ſuſtinere haud queant. *O Duces, & Præpoſiti Monaſteriorum*, QUIBUS CREDITI SUNT HOMINES, *nè doceatis eos ſpiritualia*, ET IN CARNALIBUS AFFLIGATIS, *in eſcis videlicet, atque veſtitu, ſed &* SPIRITUALES ET CARNALES CIBOS *pariter tribuite*, ET NULLAM DETIS EIS OCCASIONEM NEGLIGENTIÆ. Age verò ſi Anachoreta quiſpiam ſic alloquitur Rectores Eremi, quo loco ſcilicet mortem potiùs, quàm caſtigatam vitam Monachi profitebantur, & ubi genus ipſum vivendi horrendorum ſuppliciorum patientiam, ac Martyrium, quod-

De Inſtit. Vita Monaſt. To. 73. 147.

quoddam à Sectatoribus suis postulabat: Quid ego de Præpositis Societatis dicam? quam, ut Beatus Fundator perscrutandis difficillimarum Disciplinarum arcanis, Evangeliis xponendis, Hæresibus profligandis percellendis peccatoribus, Ethnicis ad Christum adducendis, Academiarum Catholicarum, utpote Religionis propugnaculorum sacratis laureis promerendis idoneam redderet, austeritate moderatâ, & vitæ quâdam urbanitate uti voluit? Exclamat Archimandrita in arenis Thebaidos: Equidem sacco tegimur, sed, probè textus ut sit, requiro; leguminibus vescimur, sed cum diligentia condiantur; sub tuguriis agimus, sed in iis tam arctè colligentur stramina, ut solitarios Christi servos & à pluviis & à sole defendant; eo fine, ut dum Primogenitos Crucis ad omnem vivendi sentiendíque perfectionem fingimus, eos nec inconsultis jejuniis, nec ærumnosâ nuditate cruciemus. *Nè doceatis eos spiritualia*, ET IN CARNALIBUS AF-

FLI-

FLIGATIS; *& nullam detis eis occasionem negligentiæ.* Faſtidient ſpeluncas, quas Regum Aulis antepoſuerunt, & ſtoreas averſabuntur, quas Attalicis veſtibus prætulerunt, ſi, cùm tam gravia ſufferant miſeri, non Matres ſed Novercas nos experiantur, utique poſtquam intrepidâ fugâ proprios Parentes, & domeſtica commoda deſeruerunt. Veſtiti, Pſalmos decantabunt; cibo refecti, opus facient; recreati, Crucem complectentur; Et ſi nos illis optimi Patres fuerimus, ipſi ſibi cæleſtes fient Tyranni. Tantundem iis edico, qui Domos Ignatii regunt. Cùm neceſſitates corporum ſuorum centum oculis à Nobis obſervari Collegiorum noſtrorum Alumni animadverterint; enimverò inardeſcent animo, omnem Legum apicem conſectabuntur, ad labores Apoſtolicos omnibus votis aſpirabunt, in Angelos Verecundiæ, Pœnitentiæ Martyres, Divinæ Legis Præcones, veróſque primorum Patrum Filios imitatoréſque ſe fingent. Secùs ſi à Præſidibus negligi abjicíque

cíque rerum ſuarum curam, Vitæ verò ſanctitatem tam religiosè à ſe repeti animadvertere cœperint, tum vivendi, tum docendi ardorem remittent. *Nullam detis eis occaſionem negligentiæ.* Id videlicet obtinebimus, ſi Cœnobiarchæ illius præceptioni obtemperaverimus. *Nè doceatis eos ſpiritualia, & in carnalibus affligatis, ſed ſpirituales, & carnales cibos tribuite.*

30. Id quod probè intellexit Baſilius Magnus Religioſæ Vitæ graviſſimus Auctor, & Diœceſeon Antiſtites ſanctiſſimus. Is Cæſaream appulſus, ampliſſimæq; Metropolis illius aditâ Præfecturâ, ad reformandos Cleri depravatos mores, effrenis vulgi licentiam, Nobilitatis faſtum & Senatorum impotentiam, retundendam animum applicuit. Ad Pſalmodiam Sacerdotes revocavit, Plebem ad Sacramentorum frequentiam invitavit, Magiſtratus ad Sacrorum Canonum reverentiam flexit, ad audiendū Dei Verbum populos omnes poteſtati ſuæ ſubjectos collegit. Quod vigi-

vigilantissimus Præsul haud difficulter est consecutus, cùm pari studio allaboraret, ut in urbem revocaretur rerum victui necessariarum abundantia, agris sua cultura redderetur, miseri sublevarentur, oppressi patrocinio juvarentur; mercatores justis lucris potirentur, pacta merces operariis tribueretur. Quo factum est, ut cùm illustris illa Civitas facultatum suarum incrementa, tranquillitatémq; publicam adeò novo Archiepiscopo cordi esse videret, proprias animas illius industriæ atque imperiis non dubitaret committere. *Plura quidem spiritualia*, (quemadmodum de illo litteris testatum reliquit Nazianzenus) SED TAMEN CORPOREA NON PAUCA: NAM ID QUOQUE AD ANIMAM TENDIT PER BENEVOLENTIAM EAM SUBIGENS, *ac velut in servitutem trahens*. Quocirca, si quis est qui subditorum animos præfecturæ suæ concreditos devincire sibi cupit, eorum corporibus blandiatur. Quanta namque fuerit sollicitudo neces-

Orat. 20. To. 1. 15. 189.

necessitates eorum sublevandi, tanta erit animorum præda, excellenti probitate deinceps imbuendorum. Fieri enim prorsus nequit, ut, si subditus in eo, cui paret, materna viscera, teneróſq; sensus erga voluntates suas non inhonestas animadvertat, totum se directioni Ducis sui non committat. Patres mei, & in optimorum Filiorum regimine Collegæ, uti Constitutionum nostrarum studiosos, reverentésque illos cupimus, sic illis provideamus, ut neque cucumeres neque ollas Ægypti, quam fugerunt, suspirare possint. Ita præscripsit Oresiensis, ita Basilius egit, ita primis Creati mundi diebus Omnipotens Deus fecit.

31. Condidit Adamum Pater Æternus, ut & cum Angelis eum laudans, & amans cum Seraphinis, victimis ipsum veneraretur, & Hymnis celebraret. Optabat illum proculdubio in agendo strenuum, nihil humile sentientem, obsequiosum nutibus suis, & in continua flagrantique meditatione suæ Divinitatis

tis defixum. Antè tamen, quàm eum ad tantam vitæ ſanctitatem præcepto ad id tradito erudiret, Hortum deliciis omnibus refertiſſimum illi præparavit, & ut ab una eum Arbore abſtineret, innumerabilium aliarum ſtirpium ſuaviſſimos fructus impunè carpendos conceſſit. Non adducto ſupercilio Sapientia Æterna novum ſuum Vernam allocuta dixit. Cave manum admoveas Scientiæ Trunco; quippe quo tu momento contra edicta mea veneris, eodem, ego ſub pedibus tuis ſepulchrum tibi recludam; túque cum omni poſteritate ac ſtirpe tua mortem oppetes. Sed benigno placidóque vultu ſubjectum ſibi Neophytum ſic affata eſt. Vides, inquit, Adame, totum hunc Terræ Globum? id omne tuum eſſe patrimonium ſcito, túque immenſæ hujus ditionis es Rex. Cernis tot Animantes à me productas? Hæ omnes ſervient tibi. Converte ad Paradiſum oculos, quo gaudes; quidquid viroris, frondium, pomorum oculos tuos re-

creat, universum alendo corpori tuo dedicatum est: promiscuè, ut libet, quolibet cibo vescere, quem Omnipotentia mea usibus tuis protulit. In tanta voluptatum copia nè molestè feras, si tributi vice, quod Divinitati meæ pendas, unam stirpé mihi seposuero, quam mille aliæ arbores circumdant, deliciis tuis liberaliter attributæ. EX OMNI LIGNO PARADISI COMEDE: *de ligno autem scientiæ boni & mali* NE COMEDAS. Proh! quanta quámq; copiosa cupediarum affluentia, ut Adamum subinde unius alicujus dapis Holocausto consecraret. EX OMNI LIGNO PARADISI COMEDE. Id ego Præsidibus non præcipio, quin imò permitto, ut in tanta copia sanctissimarum Legum, quæ Societatis Filiis insolubili nodo tum facultates animæ, tum corporis sensus illigant, sic ut eorum arbitrio positum haud sit, oculos temerè rei ulli adjicere, voculam ullam proferre, quempiam de necessariis suis alloqui, Epistolam resignare, domo pedem efferre,

Genes. 2.17.

ferre, aut gradum incitare, cogitationem ullam ſuſcipere, librum ullum inſpicere, aut horam collocare, voluntati denique cuicunque ſuæ obſequi: permitto, inquam, ut & novorum laborum onera, & renovatorum ſtatutorum vincula adjiciant, ſi modò, cui grave jugum religioſæ auſteritatis & laboris imponitur, nihil ad victum veſtitúmque deſiderari patiantur. Quodſi enim Adamo tam multa largitus eſt Deus, ab eóque tam parum exegit: Nos, qui tantum oneris ab iis, qui nobis parent, pro ſuo in virtutem ſtudio ſuſcipi volumus, moderata ſaltem iis ſolatia miniſtremus; quæ videlicet neque Legibus adverſantur, nec ab uſitato more abhorrent. Nemo noſtrûm dedignetur cæleſtis Patris benignitatem imitari; atque ita vetemus quædam, ut alia liberaliter ſuppeditemus, interdictorum ſeveritatem amantiſſimâ rerum aliarum procuratione temperantes. Ac quandoquidem Religioſæ vitæ rigidus tenor tot commoda & delicias ſubtrahit Sectato-

 ribus

ribus ſuis, curemus ſaltem, ut vulgares illi ac pauculi fructus, quos nulla frugalitas reſpuit; nec acerbi, nec inſalubris omninò ſint ſucci. Atque hîc ego vehementiſſimum quoddam deſiderium, quod ab eo temporis puncto, quo mihi hæc noſtra Reſpub: tradita eſt, mecum crevit, exponere percuperem, vereor autem nè dicturum verba deſtituant, penitúſque obmuteſcam.

32. Quamobrem ad ſacra Cantica me confero, in quibus Æterni Patris Verbum ſic loquitur. *Vox Turturis audita eſt in terra noſtra, Flores apparuerunt in terra noſtra.* Attonitus tanti Principis humanitate Bernardus, exclamat. *In terra* NOSTRA? Igitúrne Cæli Conditor, Angelorum Rex, Æternus Omnipotentis Patris Filius ſuum appellat lutum noſtrum, & de floribus noſtris, & noſtris ſurculis non dedignatur diſſerere? Ad recognoſcendum in hortis noſtris Mala Punica, Aromata, Botros, Favos, Myrrham deſcendit, déque iis tanquam de ſuis rebus loquitur: & qui

Cant. 2. 12.

Pla-

Planetas pedibus premit, in Palæſtina vites colit, & irrigat Cupreſſos? *In terra noſtra. Minimè jam diſſimulare queo, quoniam ecce is,* QUI DE CÆLO EST, DE TERRA LOQUITUR: *utiq; tam dignanter, tam ſocialiter,* QUASI UNUS DE TERRA. *Adverte quantæ ſuavitatis ſit, Deum Cæli dicere:* IN TERRA NOSTRA. Nè, quæſo, grave ſit nobis miſeris Homulis, ad filiorum noſtrorum neceſſitates animos advertere; ſiquidem mundi Rex ad culturam Vinearum, ad Aromatum meſſem, ad pomorum cuſtodiam ſe demittit, nec humilitatem tam abjectarum vocum, ut Horreorum & Torcularium erubeſcit. *Introduxit me Rex in Cellaria ſua, Dilectus meus deſcendit in hortum ſuum ad areolam Aromatum, ut lilia colligat. Deſcendi in hortum meum ut viderem poma convallium, & inſpicerem ſi floruiſſet vinea, & germinâſſent mala punica.* Jam verò quî fieri poteſt, ut, cùm exemplum habeant, non hominis alicujus, ſed Dei, ad explorandos ſapores, liquores,

Serm. 59. ſup. Cant. To. 59. 401.

Cant. 1. 3.

res, lacticinia, vina, & lanas demittere se se illius Vicarii graventur, &, adhibitis publicarum officinarum Ministris, exquirere num sincerus cibus, vestísque idonea familiæ suæ præbeatur. IS QUI DE CÆLO EST DE TERRA LOQVITUR, *tam dignanter, tam socialiter, quasi unus de terra.* Itaq; Verbum Divinum Agricolis, & Olitoribus se communicat, & ejus Minister dedignabitur cum rerum domesticarum Præfectis colloqui, & ad ea loca descendere, à quibus vita pendet tot Sociorum ? Nempe in scholarum inferiorum Magistris laudare solemus elegantiam styli, versuum leporem, Eloquentiæ majestatem, & longè magis in Professoribus superiorum Disciplinarum, Doctrinæ perspicuitatem, ingenii acumen, utilitatem Tractatuum, quibus rebus omnibus allaborant, ut Societati decus suum constet, quo in Sapientum oculis haud mediocriter, resplendet: cur non item illius industriam, qui patienter coquit, qui diligenter suit, qui scitè Aras ador-

nat,

nat, aut ægris ſedulò miniſtrat commendemus? Nè, quæſo, pigeat à Regiminis noſtri faſtigio ad communes neceſſitates expendendas deſcendere. *Flores apparuerunt in terra noſtra. Qui de Cœlo eſt de terra loquitur tam dignanter*, QUASI UNUS DE TERRA. Et Sapientia quidem Divina, ut ſalutem noſtram curaret impenſius, carnem induit, ídque eſſe, quod nos ſumus, voluit. Proinde qui Filios Chriſti regit, non defugiat omnium eorum, qui domeſticos inter parietes bono noſtro laborant, ac ſudant, habitum ac victum ſibi aptare, ac velut unus ex illis operam det, ut iis, quantum quidem paupertatis noſtræ ratio patietur, eſcæ meliuſculæ, veſtis durabilis, ſana cubicula, Villæ frugiferæ, rerúmq; omnium, & paternâ providentiâ digni commeatus ſuppetant. A ſacrorum lectione voluminum ad inſpiciendas Domûs Ephemerides tranſeamus; è Templis ad menſas; ab Academiis ad Veſtiaria reviſamus; neque dedignemur vocibus mechanicis inqui-

nare

nare labra, & abjectis curis mentem implicare: Dummodo meliùs vivat, qui Christo vivit, meliúsque vestiatur, qui se toto mundo exuit. *Qui de Cælo est de terra loquitur,* QUASI UNUS DE TERRA.

33. Neque solùm pro communi solatio de apparatu domestico disseramus verùm & æquis animis feramus, si nonnunquam, haud satis æquum super eo judicium ferant aut etiam sinistros sermones jaciant, qui putant, se à rebus necessariis minùs instructos. Considerate monet Greg. Nazianzenus, Vitulorum audaciam ubera Matrum aviditate nimiâ trahentium: licet enim copioso lacte ubera fluant; nihilo tamen parciùs refectionis suæ fontem famelicus fætus magno impetu stimulat, neq; ideo injuriæ pecus irascitur aut calcibus submovet Juvencum importunum.

Carm. ad Nicob. To. 115. 439

VITULI *Quoque plena parentis*
UBERA FRONTE PREMUNT, *atque*
hunc proferre laborem

Vis

Vis adigit, DULCIS TAMEN HÆC
JUCUNDAQUE MATRI.

Non perturbemur animo, ſi quandoq; Familia, paſta licet, conqueratur. Fortè enim, quod nos putamus ſufficere, idem ſubditis ingratum, parcúmque videtur. Id enim quod ori noſtro manna quoddam exquiſitiſſimè conditum, ſaporéq; imbutum ambroſio probatur, aliorum palato tormentum potiùs, quàm cibus erit. Tum quoque cùm victus nec tenuis nec malignus fuerit, ſi tamen ſubjecti non acquieſcant, non declamemus contra eorum querelas, ſed finem imponamus querimoniis, deſideriáq; licet non nihil immodica expleamus. PLENA *Parentis ubera* FRONTE PREMUNT. Secundum hæc Nazianzenus aliud non multò à priore diverſum paradigma exponit, & numeroſam pullorum cohortem oculis ſubjicit, quam incomparabili curâ Gallina mater jejuna & propemodum implumis educat,

Séque hìc illícque fatigat
Pabula dum proli NUTRIX IMPASTA REQUIRIT.

Illa terram altero quoque passu anxia, scalpit, neque tamen attingit aut semina, quæ detexit, aut lumbricos, quos eruit. Quidquid alimenti reperit, id totum proli, quam custodit, remittit; & incredibili abstinentiâ, faméque se mater conficit, ut pulli pascantur: útque hi pennis muniantur, impasta Nutrix se se ipsa deplumat. Igitúrne in naturæ theatro Brutorum animantium Duces sensu carentes spectemus, injuriarum patientes, & molestiarum avidas, si modò pinguescat soboles, ac recreetur: Et in sanctuariis Gratiæ, qui Dei loco Animabus præest, sic subjectorum necessitatem commodáque, negligat, ut, dum aliæ Animantes esuriunt, ut aliæ epulentur, ille contrà eorum, qui adoptati Deo Filii ultrò se se in servos subjecerunt, molestiis fastidiisque saginetur? *Pabula dum proli* NUTRIX IMPASTA *requirit.* Illud verò longè absurdissimum foret, si cùm omni opere studióque allaborare nos oporteat, ut recreentur, qui nobis sub-

sunt

ſunt, eam neceſſitatem in eos deonera-remus, coactos guſtum ſuum ad pala-tum noſtrum fingere, majoríque ſtudio quod noſtro, quàm quod palato Filio-rum noſtrorum probatur, accuraremus.

34. Non ita profectò mundi Repa-rator egit. Erupit clementiſſimus Meſ-ſias in piæ commiſerationis plenas vo-ces, cùm numeroſam turbam ſuorum in Eremo auditorum intueretur. *Con-vocatis Diſcipulis, ait illis.* MISEREOR *ſuper turbam, quia ecce jam triduò ſuſti-nent me*, NEC HABENT QUOD MANDUCENT. Tantáne, mi Deus, cura te remordeat populi per tres dies incænati? Nunquid non ille tu es Vir-ginis Filius, qui paulò antè deſertis in ſcopulis quadraginta omninò dierum inediam toleráſti, nullâ nec aquæ guttâ, nec panis micâ refectus? Num de alio forſan, quàm de te, Matthæus loqueba-tur, cùm ſcriberet. *Cùm jejunâſſet qua-draginta diebus, & quadraginta nocti-bus, poſtea eſuriit.* Tuam tam diutur-nam gravémque abſtinentiam diſſimu-las,

Marc. 8. 1.

Matth. 4. 2.

las, & auditorum tuorum triduanum jejunium nullo modo ferendum arbitraris? Sic enim verò agere consuevit, qui Dominationis Divinæ modum tenet, is quàm austerus sibi, tam in sibi subjectos pius, non quot mensibus ipse cum incommodis & molestiis gravissimis conflictatus sit, numerat, sed horarum quoque, quibus aliis malè est, censum init. Solvantur, inquit Christus, Omnipotentiæ meæ Cataractæ, rumpantur integumenta Divinitatis meæ, cedat Modestia, quam amo, Potentiæ, quam abscondo; & pauci panes in myriadas excrescant, &, ne vulgus, quod me audit, inopiâ cibi exanimetur, accumbat conviviis vel in nemore. *Manducaverunt*, ET SATURATI SUNT. Hæc illa Monita sunt, quæ Christus non digito suo tantùm descripta, sed exemplo testata reliquit, eo consilio, ut Religiosorum Cœtuum Præsides intelligant id sibi maximopere convenire, ut nullâ, propriorum incom-

mo-

modorum habitâ ratione, aliorum necessitatibus prospiciant, consulántque. Quamobré nihil foret absurdius, quàm si ex illis quispiam Fundatori Ecclesiæ prorsus contrarius ne triduanam quidem in se molestiam toleraret; ærumnas verò subditorum, menstruas licet, annuásque incuriosâ negligentiâ dissimularet. Equidem mea Mens non est, probare querelas Hominum illorum, qui postquam Christi Crucem amplexi sunt, loco fellis ac clavorum, quos ambire, quos consectari debuerant, cubare molliter, & melle saturari cupiunt. Illud affirmo, maximam nobis omnibus, qui præsumus, necessitatem incumbere solatiis illorum invigilandi, qui, ut nos Patres haberent, suos, quos à natura acceperant, deseruerunt; exierunt Palatiis, & paternas ditiones contempserunt. Igitur irrequieto labore investigandum nobis est, quâ ratione sub Præfectura nostra vivere possint hilariter, commodéque, quos traditos à Deo filios accepimus. Non transiliantur limites

pau-

paupertatis, quam profitemur: nihilominus ad ultima illius confinia nos Christus impellat, ut valeant, ut acquiescant, ut recreentur, qui Apostolicæ Disciplinæ grave jugum trahunt; & omnibus illecebris, commodis, rebus omnibus se abdicârunt, quæ Mundus aut iis exhibebat, aut pollicebatur. *Ex omni ligno Paradisi comede.*

35. Quodsi tantâ vigilantiâ subditorum corporibus consulere Domûs Dei Custodes debent: quanto intentiore curâ profectum eorum urgere & virtutis amorem, inflammare illos oportet? Eatenus laxata frena gulæ Adami fuêre, non ut immodicè illecebris se immergeret: id enim animalibus illis duntaxat indulgetur, quæ prona in pastum rostra ferunt: sed ut, quantum satis erat ad vitam cibo potúque idoneo tolerandam instructus, Dominum suum amaret sine modo, totúmque se cultui tam benigni Patris impenderet. Tantumdem, multóque ampliùs Crucifixi Discipulis usuvenit. Huc isti à pater-

ternis ædibus tranſeunt, eâ mente, ut vepres ſibi excolant, quibus pungantur; & ut delicias ac honores, res videlicet à Meſſiæ, quem adorant, moribus prorſus alienas procul à ſe removeant. Quod niſi nobis propoſitum eſſet, ſanè ſacra Cœnobia non in Calvario monte, ut Dei Filio commoreremur, ſed in Aſſueri Viridariis, & Heliogabali Tempe, non ad labores tolerandos, perpetiendáque tormenta cum Sanctiſſimis viris, ſed ad ſatiandas cum Epicuro voluptates, conſtituta fuiſſe crederemus. Quare qui Baſilium laudans cum Nazianzeno canit *Corporea non pauca*, ſubjunget itidem quod eloquens Scriptor laudatæ ſententiæ præmiſit. PLURA SPIRITUALIA. Paſcantur corpora; ſed ut Animi virtutibus augeantur. Non deſint victui neceſſaria; ſed ſanctitatis ardor ad Sydera provehatur, multóque altiùs, quàm Babylonica Fornax ſuas flammas extulerit. *Præcepit ut ſuccenderetur fornax ſeptuplum quàm accendi conſueverat. Effundebatur flamma ſu-* Dan. 3. 19.

 per

per fornacem cubitis quadraginta novem. Omnis rerum corpori necessariarum commeatus in augmentum Disciplinæ, & ad inextinctum incendium religiosi ardoris dirigatur. Hunc agendi modum in suis per Palæstinam itineribus Dei Filius tenuit. *Circuibat JEsus totam Galilæam*, DOCENS IN SYNAGOGIS EORUM, *& prædicans Evangelium Regni*, ET SANANS OMNEM LANGUOREM, *& omnem infirmitatem in populo.* Attentissimus ad Œconomiam Evangelistæ Operis imperfecti Auctor pulcherrimum ordinem, quem iter agens Messias in geminis Gratiis sacræ Doctrinæ, ac depulsorum morborum observârit, nos advertere jubet. Principio quidem ille Terrorem Judicis Divini, æternorum ignium tormenta, Tartarei Tyrannidem Imperii, Regni beati diademata, incomparabile virtutis pretium, execrabilem vitiorum infamiam Provinciis, quas peragrabat, denunciavit. Deinde verò pro miserorum solatio, membrorum usum Paralyticis, lucem

Matth. 4. 23.

cem Cæcis, vitam Mortuis reſtituit. *Primùm docens, & prædicans Evangelium Regni, &* POSTEA SANANS. PRÆMITTITUR, *quod magis neceſſarium æſtimatur.* Equidem non Cuſtodes Hoſpitiorum Evangelicorum, ſed Proditores eſſemus, ſi ſatis haberemus ſervorum Chriſti corpora curare; parum ſubinde ſolliciti, quantos in virtute progreſſus faciant. Non ita: *Præmittitur* QUOD MAGIS NECESSARIUM. *Primùm docens.* ET POSTEA SANANS. Nè patiamur ulli deeſſe, quæ vel teneræ corporis habitudini, vel muneris gravitati, vel etiam innoxii deſiderii qualicunque fragilitati neceſſaria ſunt. Priùs tamen, quàm circumſpiciamus, quid corporibus conveniat, perſpicaciſſimâ curâ provideamus Antidota perfectionis, quæ tum gravioris longè momenti, tum unicus ſcopus eſt eorum, qui inter Miniſtros Evangelii deſcribuntur. *Primum docens, & poſteà ſanans.*

Hom. 8. in Matth. To. 28. 59.

36. Nemo verò eorum qui præſunt,

muneris ſui partibus ſatisfacturum ſe, putet, ſi quàm plurimis edictis, veluti totidem vinculis, ſubjectos quàm arctiſſimè conſtringat: Quippe ubi ſanctarum Inſtitutionū interna Chriſmata defuerint, multitudo Legum animos quidem illigat, verùm eos non inflammat: præcipites voragines Animis laxat, non item alas addit, ut ad Cælum velut argenteis inſtauratæ virtutis pennis evolent. Quare priuſquam novis vinculis curæ noſtrę commendati compeſcantur, benigè ad conclavia noſtra vocentur; noſter ſe illis ſinus aperiat, eorum cordibus noſtra jungantur, certi reddantur de noſtro in illos ſinceriſſimo ſtudio, rite ab illis geſta verbis minimè fucatis collaudentur: interrogentur, quàm vehementer in orando exardeſcant: quàm ſedulò rationes animi ſub meridiem veſperámque ſubducant: quam in ſacra lectione ſuavitatem experiantur: & an penitus in hoc Apoſtolicæ vitæ genere acquieſcant. Subinde ab animi cultura ad corporis curam

facto

facto gradu, hortemur exponere quocunque vel victûs vel suppellectilis desiderio laborant. In hunc modum animus subditorum à tanta tum paternorum Consiliorum, tum indulgentiæ maternæ copia, quâvis cerâ mollior effectus, illam virtutis formam, quam vero S. Patris Filio imprimendam arbitrabimur, haud gravatè recipiet. Secùs si fiat exteriorum edictorum Tuba, sine spiritualium Doctrinarum Harmonia, erga præcepta odium, aversionem à Regentibus, obediendi tædium, & effrenis vitæ insaniam excitabit. Ita S. Augustinus in Libris de Civitate Dei tradidit. NAM SI LEX JUBENS ADSIT, ET SPIRITUS JUVANS DESIT, *per ipsam prohibitionem* DESIDERIO CRESCENTE, *atque vincente peccati, etiam reatus prævaricationis accedit.* Viden, quanto jure intelligentissimus Auctor Operis imperfecti exclamârit. *Priùs docens, & postea sanans.* Non tam igitur odiosa interdicta perstrepant, quàm paternæ voces sonent. Hæ námq; su-

Lib. 2. de Civit. Dei c. 16. To. 37. 66.

premis Domorum noſtrarum Ducibus longè magis, quàm earundem Confeſſariis in ore verſari debent. Peccat igitur haud leviter Præſes, qui Filios ſuos ad pandendos animi ſui receſſus nec allicit, nec beatam imaginem, Divinámq; Chriſti pro ſalute hominũ mortui ſpeciem iis imprimit. *Lex jubens* ſi quando vivifico ſpiritu deſtituatur, plures ſyntereſeos morſus, manifeſto illius, cui frenos injicit, damno parit, quàm in Ægyptiorum cladem culices in aëre Virga Moyſis produxerit. *Si Lex jubens adſit, & ſpiritus juvans deſit, reatus prævaricationis accedit.*

37. Errant verò longè graviùs, qui de ſubjectorum emendatione conclamatum eſſe vociferantur: qui pervicaciam ingenii, animi cupiditatibus ſuis obſequentis, & cæleſtium inanis levitatem, cordis ſtuporem, Legum contemptum, otii ac conſanguineorum amorem, auſteritatis horrorem, commodorum ſtudium, aliáque id genus enumerant, & concludunt: omnem ſacræ Eloquen-

quentiæ & paternæ providentiæ artem atque induſtriam in ſculpendo ſaxo inexpugnabili, & indole recoquenda, quam Tepor faſcinârit, fruſtra futuram. *Quid plumbo gravius?* Tam malè philoſophantes Auguſtinus coarguens, quæ vel argenti vel auri maſſa, inquit, non ad imos receſſus Galilæi maris deſcendit, cùm in ejus vortices aut jactatur, aut cadit: Et tamen ſi ferrarii fabri manu ſenſim tundatur, & in Sphæricum vas ducatur Oceano metallum innatat, quamvis dimidiam ejus partem glareâ compleveris. *Quid plumbo gravius?* ACCEDIT TAMEN MANUS ARTIFICIS AD PLUMBUM: *facit inde vas concavum*, ET NATAT PLUMBUM SUPER AQUAM. Itáne autem Amor Evangelicus Vicariorum Dei non poſſit hoc in animos ſervorum illius, quod in materiam tam refractariam malleus valet? *Accedit manus Artificis, & natat plumbum.* Manus, ait, non pedes: non enim manus Ductori ſuo dat Subditus tepidus, qui ſe ab illo con-

Serm. 147. de Temp. To. 43. 133.

 cul-

culcari videt: imò graviùs etiam injuriæ factæ atrocitatem dolet, & mores penitus solvit. Idem verò flecti [illegible] haud gravatè patietur, si b[illegible] ter illum exhortabimur, [illegible] reddat, qui fuit, esséque desinat, qui est. *Accedit manus Artificis*, ET N[illegible] PLUMBUM. Ah! quot silices in adamantes commutarentur; & quot Carbones Cælum Societatis stellis exornarent, nisi Præpositi desperatam jactarent imperfectorum perfectionem. Admoveamus operi modò manum; intromittantur in viscera nostra Sanctitatis transfugæ; incurvet se super jacentis frigidum cadaver, velut novus quidam Elisæus, miserans & lacrymabundus, qui præesse revocatis in vitam cupit, & tum Augustini artes videantur, nisi quęlibet gravissima massa nataverit, & nisi è lacrymarum nostrarum Jordane puero primùm nato purior egrediatur, quamvis fœdior eum lepra, quàm Naamanum quondam infecisset.

38. Quòd si verò Pietatis stratagema-

mata degener animus eluſerit, & Spiritui Sancto, à quo deficit, repugnare per-[illegible]citer pergat, eo in eventu Eliſæum [illegible]tur, non cùm ille defuncto puero vitam reſtituit, ſed cùm rabidos Urſos è nemore in irriſorum perniciem evocavit. Si obſtinatus rore mollitur, Cælum nè fulguret quidem; ſi verò iners animus perterrefacturum ſe audaciâ ſuâ Rectorem ſuum glorietur; Tum enim verò aër in nubes coëat, & extinctâ omni paternæ charitatis luce, fulminibus opprimatur, qui Cœtum offendit, & frigoris ſui peſte inficit. Hæc Provincia eſt eorum, quibus animorum regnum, & divinorum Tabernaculorum cura commiſſa eſt. *Mihi* PRÆSES *nihil aliud eſſe videtur* (veluti ad Africanum Gregorius Nazianzenus ſcripſit) QUAM VIRTUTIS ADJUTOR ET VITII ADVERSARIUS. Qui ſomnolentos non abominatur, vigilantes conſopit. Qui autem à lethargo febricitantes, & moribundos cauterio excitat, is terrore ſupplicii capitale odium adver-

Ep. 46. To. 1. 1 ſ. 393

versus ipsam somni umbram concitat: simul itaque cum refractariis inimicitias suscipiat, simul teneris amplexibus probos foveat Præses, qui vel nominis hujus mensuram implere, vel mercenarii notam vitare concupiscit: frustra, cæteroqui nudam carnem ferro premet, frustra vitam tormentis potiùs, quàm hordeo & furfure sustentabit. *Præses nihil aliud esse videtur quàm* VIRTUTIS ADJVTOR ET VITII ADVERSARIUS. Nullâ igitur unquam pace frui sinantur, qui eam in Collegiis turbant: nunquam taceant severæ correctiones, aut flagellorum sonus removeatur ab iis, qui sacrarum ædium tranquillitati obstrepunt, & in Servatoris Cœnaculis flammas Spiritûs Sanctis extinguunt. *Virtutis adjutor, Vitii adversarius.*

39. Et quoniam flammas appellavi pro illorum Præpositorum solatio, qui nimium mites ac benigni, vibrare fulmina, & Cometas verentur accendere; adjungo, haud rarò sufficere, si ad rubo-

rem

rem turbatoribus incutiendum exornemus ſanctè viventium pietatem; eóſq; qui in virtutis ſtadio Palmam primis Chriſtianis à Paulo demonſtratam, comprehenderunt, meritis præmiis decoremus. Id me Pater Æternus docet in celebri zizaniorum Parabola: retentis enim ab herbarum infelicium excidio Colonis Magnus ille Pater familias dixerat. *In tempore meſſis dicam meſſoribus: Colligite primùm Zizania, & alligate ea in faſciculos ad comburendum; Triticum autem congregate in horreum meum.* Hîc ego te, rerum omnium Conditor Deus, demiſſo in terram vultu ſupplex rogo, ut pace tuâ mihi liceat intercedere ſententiæ, quam tuliſti: cùm non æquè geminæ illius parti duplex terminus, quem ſcholæ *ad quem* appellant, reſpondere videatur. Non minus Lolium quàm Triticum pariter metuntur, & unà colliguntur. *Alligate ea in faſciculos.* Subinde bonæ frugi horreũ panditur, nec tamen zizaniis fornax accenditur. *Alligate in faſciculos* AD COM-

Matth. 13. 30.

COMBURENDUM, at nè unus quidem carbo aut ardet, aut micat. TRITICUM AUTEM CONGREGATE IN HORREUM MEUM. Cur ſpicas frugiferas remuneraris, & venenata noxiáq; germina non in cinerem reſolvis? At enim reſpondit Mundi Arbiter, ea ipſa præmia, quæ bonis ſeminibus à me decreta ſunt, pernicioſis manipulis intolerabilis inſtar incendii erunt. Quàm primùm enim inutiles herbæ in humum abjectæ, frigoribus, pruinis, æſtui, ac turbinibus expoſitæ præparata bonis frugibus conditoria conſpexerint, quas nullæ ventorum injuriæ, nullæ vermium peſtes, nullus algor nebularum poſthàc infeſtaturus ſit, adeò excruciabuntur, tum invidiâ præmiorum, quibus ſalutaria grana donata ſunt, tum acceptæ injuriæ impatientiâ, ut longè magis eas inviſæ Meſſis felicitas afflictura ſit, quàm cruciantis flammæ ardores torquerent. Tepidis quodcumq; alicujus nominis munus negetur; ferventibus verò Exedræ, Cathedræ, Miſſiones,

& exi-

& eximia quæque committantur, ſemperq; aureis candelabris Miniſteriorum Apoſtolicorum imponantur: ídque ad ignavorum tormentum erit ſatis. Quippe opera eorum facultáſque, quâ pollent, nullâ exiſtimatione dignata in acerbiſſimam illis lanienam, & ſæviſſimas teredines vertentur, quibus eorum membra lacerabuntur, & viſcera corrodentur omni ſpe intercepta à mediis latebris, quas meruerunt, & nominis ſui oblivione unquam emergendi. *Colligite zizania, & alligate ea in faſciculos: triticum autem* CONGREGATE IN HORREUM MEUM. Quòd ſi degeneres animi mittantur in compedes, ut nec explere cupiditates, nec attollere ſe poſſint; contrà optimi quique meritis præmiis ornentur, jubeantúrque aſcendere, quo non aſpirârunt, videbimus profectò, hinc ignaviam fremere, illinc induſtriam triumphare.

40. Abſit verò ut hæc mea ſententia improbis patrocinetur, ut impunè illis abire ſinam, ſi quid peccaverint.

Quem-

Quemadmodum enim dico, concessa Bonis præmia ad castigandos degeneres valere, sic Sacro Sanctæ Trinitatis nomine Præsidibus omnibus edico, sæpe, necessarióque illos cogi, ut ferrum stringant in Turbatores Disciplinæ ac putria Cœtus membra sanam partem contagione trahentia. Decretum tam ineluctabile rogatum à Christo JESV fuit primis statim, quos habuit, sermonibus; cùm è solitudine prodiret in publicum. Id recensetur à Matthæo quinto Evangelii sui capite. *Si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum, & projice abs te. Et si dextera manus tua scandalizat te, abscinde eam.* Equidem summa cura in omni specie vel pœnæ, vel præcisionis adhibenda erit; nè pilus quidem è capite vellatur sine totius corporis maximo dolore. Non puniatur, & multò minùs dimittatur ne minimus quidem & inutilissimus Scholasticorum, aut adjutorum nostrorum, nisi ante tentaverimus omnia, quæ ad eum sanandum, emendandúmque valere potuerunt.

Math. 5. 29.

Quod-

Quodſi ſubinde remediis reſiſtat, qui pendet in caſum, nec ſanitatem æger recipiat, extrahantur è theca exacutæ novaculæ, & immites ſerræ expediantur ad præcidendum à Corpore celebrium licet operariorum brachium, vel à brachio manum, quæ vim Balſami eludens, & decocto Aromatico inexpugnabilis vicinis partibus ſaniem ſuam ſpargit, & toti corpori tabem minatur. Quamvis autem ictûs acerbitatem non ferat, ululétque miſer, obſurdeſcat Chirurgus, nec parcat, aut vitio, quod punit, aut vitioſo, quem reſecat. Ferat immotus atque intrepidus Præſes, ſi, dum cruor fluit, & oſſa franguntur, alter Medicum ſuum probris inceſſat, Tyrannum appellet, & Carnificem vocet; ſectionem nihilominus alter proſequatur; non ignoſcat uni, ut ſervet omnes, ut caveat multis. Sic in Noſocomiis agit Chirurgus mercede conductus, ut ne Chriſti Sacerdotes aut querelas, aut criminationes eorũ, quibus inviſi ſunt, dum ferrum calet, atq; æger ſub ictu eſt,

exti-

extimeſcant. Auguſtinum Apoſtolicæ hujus Chirurgiæ Præceptorem audiamus. *Numquid ululatus ejus, qui ſecatur, retrahit manus Medici* ARTIFICIOSE SECANTIS? ILLE CLAMAT, ILLE SECAT. *Crudelis qui non audit clamantem: an potiùs miſericors, qui vulnus perſequitur, ut ſanet ægrotum?* Calumniis, quàm poteſt, atrociſſimis, & Societatem & ejus Præſides marcidus Prævaricator reprehenſionis, aut pœnæ impatiens, proſcindat, non ideo, qui ejus gangrenæ ac lepræ mederi cupit, aut retundere chalybis aciem, aut fovere vulnus debet. ILLE CLAMAT, ILLE SECAT. Non eſt, nec erit unquam aut execrabilis Cælo, aut Eccleſiæ invisa ſeveritas Cœnobiorum Diſciplinæ ſuæ ſtudioſorum, ſi, ut totus Ordo ſervetur incolumis, aut reſecat Turbatores, aut famæ ſuæ pernicioſos caſtigat. In eo eventu ſectiones medicamenta potiùs, quàm barbaries, remedia magìs quàm carnificinæ cenſendæ ſunt. *Crudelis qui non audit clamantem: an*

Tract. 7. in Ioan. To. 38, 48.

potiùs

potiùs misericors qui VULNUS PERSEQUITUR, UT SANET ÆGROTUM? Blasphemiam diceret infinitis suppliciis dignam, qui Divinam Justitiam crudelitatis, non æquitatis nomine appellaret. Non desinit Deus esse infinitè Misericors vel in ipso purgantium flammarum incendio, in quibus dirissimis suppliciis animam sibi per gratiam desponsatam excruciat. Incomprehensibilis Pietas eum non deserit, nè apud Inferos quidem, ubi sulphuris flumina, & vivaces flammas effundit, quibus non quidem expurgentur damnati, sed exscindantur, nullâ spe ullius unquam veniæ impetrandæ miseris illis relictâ. Damnatorum quilibet ejulat, & quælibet Trinitatis Persona blasphemum exurit. *Ille clamat, ille secat.* Itaq; omnipotentem Deum imitatus vigorem suum expromat oportet, qui livorem aut nævum in Crucifixi Filiis ferre nequit. *Persequitur vulnus, ut sanet ægrotum.*

41. Sed enim gemina conditio requiritur, quæ supplicii horrorem, & ca-

ſtigati dolorem pietati conſecret. Prior eſto. Nè reum prorſus eſſe contendamus, qui culpâ vacat, quamvis aut ſuſpicio, aut invidia, vel etiam fama illi crimen intulerit. Ad qualemcunque delationem diligenti examine trutinetur Error; & ſi de veritate conſtet, impunè non ferat. Lætemur autem magnopere, cùm in clara luce quæſtionis abſq; ullo partium ſtudio habitæ, evaneſcunt umbræ, & Innocentia radiis coronata exſurgit. Videtur interdum indignari Præſes, cùm argumenta defuerint, quibus, qui accuſatur, reus comprobetur. Avertat Deus ab Ædibus ſuis, id eſt, Noſtris tam abominabile præjudicium, ut velimus, jubeamus, reum eſſe, qui defertur. Cupiditas ejuſmodi ad cancellos criminalium Quæſitorum reſideat, quibus equuleus ſæpe delicta non commiſſa, & non cogitata facinora retegit. Sumus non Fiſci Procuratores, ſed Patres: Cuſtodes ſumus, non Venatores. Primi tamdiu per ſophiſmata & cavillationes prolata de captivo indi-

îndicia ventilant, ut denique crimen creent de nihilo,& ad ſecurim damnent eos, qui facinus nunquam nè ad animũ quidem admiſerunt. Poſteriores tantâ cupiditate prædæ accenduntur, ut tranſverſas foſſas tranſiliant, fluvios penetrent, montes percurrant, quo eam vel in laqueos induant, vel ſagittâ confodiant. At verò qui Sacrarum Domorum Cuſtos eſt, quemadmodum vitia non fovet, ſic triumphales Arcus excitat, cùm Jacobum Obedientem ſub fictitiis Eſavi pellibus poſt ſedulam inſpectionem deprehendit. Populum Hebræum æmulemur, qui cùm ad mortem Suſannam traheret, ubi primùm ignoti adoleſcentis voces audiit, non dubitavit cauſam Feminæ Venerabiliũ duorum Senum teſtimonio violati thalami convictæ, atque eam ob cauſam infami ſupplicio lapidationis adjudicatæ denuò recognoſcere. *Revertimini ad Judicium.* REVERSUS EST POPULUS CUM FESTINATIONE. Eodem momento, quo Daniel accuſa-

Dan.13.49. 60.64.

torum rationes confutavit, mulierem abſolverunt; & feſtis vocibus Dei Providentiam celebrârunt, quòd virtutem calumniis obrui paſſus non eſſet. *Exclamavit* OMNIS CŒTUS *voce magnâ*, ET BENEDIXERUNT DEUM. *Daniel autem factus eſt magnus in conſpectu populi* A DIE ILLA, ET DEINCEPS. Secundum eam lætitiam, quam ex patefacta calumnia, & aſſerta Innocentia concipi par eſt, conſequitur; nunquam ab ullo Præſide ſubditum ullum aut injuriâ, aut illatæ ſibi moleſtiæ cauſâ puniendum eſſe. Nollem equidem ullum eorum, qui partem imperii in commiſſum mihi gregem mecum obtinent, in ea, quam exercet, ſeveritate, ejulatus & querelas Rebeccæ imitari. Hujus cæteroqui Sanctiſſimæ Matronæ oratio mihi non probatur: utpote quæ in puerorum conflictu, non eorum diſcordias deflebat, ſed id ſolùm querebatur, quod ab illorum lucta uterus ſibi concuteretur. *Collidebantur in utero ejus parvuli, quæ ait*, SI SIC MIHI FUTURUM

Gen. 25. 22.

ERAT,

ERAT, *quid necesse fuit concipere?* Non deteſtata rixam parvulorum eſt, quâ in lucem editorum fatales diſcordiæ, & bella civilia portendebantur, diviſura Patriarchæ ſtirpem in duas gentes diverſiſſimas moribus, & mutuis præliis concurſuras. Tantum igitur abfuit, ut tot malorum deteſtabile augurium deploraret, ut ſuos illa dolores defleverit, quietémq; membris ſuis è gemino concepto partu interceptam queſta ſit. *Si ſic* MIHI *futurum erat, quid necesse fuit concipere?* Quàm vereor, ut nonnulli Collegarum meorum graviùs ferant Præfecturæ ſuæ incommoda, quàm Legum injuriam: minùs interdum doleant, refrixiſſe in ſuis ardorem virtutis, quàm ſuam in providendis rebus neceſſariis negligentiam accuſari. Non tam verentur, nè in Collegiis ſuis ſtudium virtutis emoriatur, quàm ut adminiſtratio ſua non probetur; quòd ipſis Præſidibus, aut parum utilitatis conferatur in proximos, aut aliæ ex aliis turbæ ſubnaſcantur. Exiſtimationem de-

nique suam, quàm suorum in virtute profectum imminui, disciplinæq; vigorem remitti, queruntur impatientiùs. *Si sic* MIHI *futurum erat*. Aboleat ferro suo Petrus tam cupidum utilitatis propriæ suspirium, efficiátq; ut id unum doleamus, id solùm detestemur, quod nostri Instituti rationibus adversatur, & Apostolicæ Charitatis fulgorem, si non extinguit, certè inobscurat. Sic ille cum duobus perjuris Conjugibus Saphira, & Anania egit. Non iis objecit; quòd se dolo circumvenissent; quòd furto suo se ad inopiá redigerent; quòd sacrilegiis suis exosam Neophytis Religionem reddidissent. Non vocem misit, quæ vel Ærarium Apostolicum interversum, vel Auctoritatem Pontificiam conculcatam perstringeret. Exprobravit peccantibus injuriam Deo illatam, & mendacium in contemptum Spiritûs Sancti compositum. *Mentiri te Spiritui Sancto? Quid utique convenit vobis tentare spiritum Domini?* Ita nunquam dicamus, protritam imperii nostri

Act. 5. 4. 9.

noſtri auctoritatem, aut negatum nutibus noſtris obſequium: id duntaxat queramur, Chriſtum in Legum violatione contemptum fuiſſe. Secundum hæc ubi nulla prorſus fuerit, in eo, qui delicta corrigit, aut proprii contemptûs vindicandi cupiditas, aut accuſatos convincendi impotens deſiderium, armetur flagello manus, & nullâ ratione feratur, ut Templum Dei, vel in ignavi turpíſque otii, vel damnatæ ambitionis, vel deliciarum nimis quàm manifeſtè Cruci adverſantium ſpeluncam convertatur.

42. Muto ſententiam: & è Præſidum manu omnia Terroris inſtrumenta diripio. Subrogo ſeveritatis armis, ſæpe ad emendationem parum fructuoſis, Exemplum vitæ, quod ſemper ingerere pudorem errantibus, & ſtimulos addere currentibus ſolet. Deſcripſit Gregorius Nazianzenus Patris ſui, optimi ſenis, in eam Urbem adventum, cujus Epiſcopus eſſe coactus eſt. Novi Præſulis ætas, afflictæ vires, & veteris matrimonii impe-

pedimenta eum non permittebant litterarum ſtudiis vacare, atque ex Annalium Lectione idoneam peritiam ſibi conquirere. Supplevit ille ſanè gravem utiliſſimarum cognitionum inopiam, excellenti morum probitate, cùm ſe populis, quos regebat, ceu vivum Evangelicæ ſanctitatis ſimulacrum exhiberet. Evaſerat Diœceſis illa Anteceſſorum negligentiâ ſilva quædam impedita vepribus, & ab ſerpentibus inſeſſa. Ad eradicandas itaq; ſpinas, & eliminanda monſtra Magnanimi Antiſtitis ſe fortitudo accinxit, & quod illi vel grave ſenium, vel imperitia rerum, quas non didicerat, negabant; id vitæ ſuæ ſplendore, & quâdam cæleſtis virtutis omnipotentiâ impetravit. *Cùm ſylvoſam & agreſtem Eccleſiam accepiſſet*, FERINOS HOMINUM MORES *haud magno negotio mitigavit, quòd* SE, VELUT SPIRITUALEM QUANDAM STATUAM *ad optimæ cujuſque actionis pulchritudinem expolitam, ad imitandum* PROPONERET. Nemo queratur, ſi ſub Præfecturæ

Orat. 19. To. 115. 160

ctur*æ*

ćturæ ſuæ initia minùs ordinatam Domum, & minùs compoſitos Filios, quibus Pater datus eſt, fortè repererit. Tum quoque (quod Dei Pietas non ſinet unquam Ignatianæ militiæ accidere) cùm in quodam Tentorio noſtro Iſmaël aliquis adoleſceret, & Arcam, non jam Cherubini, ſed infeſto agmine Philiſtæi ſervarent, poſt paucorum dierum ſpatium, ſi Præſes Angelicis dotibus coronatus refulſerit, Agaris Abortus in Rachelis Primogenitos, & legiferarum Tabularum hoſtes, in earum invićtos Defenſores permutabit. In ipſo quoq; Petri Linteo viperas convertet in Turtures, Dracones in Armenta, feras indomitas in Ovium greges: quæ lac præbeant ad Deum Converſis & lanam Sanćtuarii Miniſtris ſuppeditent. Certè mirabiles ejuſmodi cõmutationes morum Apoſtolicis induſtriis Parentis ſui ſumma cum fide filius Nazianzenus adſcripſit. Nihilominus illi, qui vitiis utique non carebant, non erant impii: & ſi præcepta violabant, ſtatuis tamen thura non adolebant. 43.

43. Introſpiciamus itaq; Joſephi carcerem, in quo attinebantur, qui veri Numinis cognitionem non habebant, & ſaxa venerabantur pro Deis. Innumerabilia, & conſceleratiſſima capita funeſta illa Turris claudebat. Eorum quilibet in Judicum libris deſcriptus erat, ſeu quòd latrociniis vias infeſtas habuiſſent, ſeu quòd in ſubterraneis antris pecuniam publicam adulterâſſent, ſeu quòd in vitam Principis conjurâſſent, ſeu ob corruptam in frequentibus Civitatibus omnem Honeſtatem, aut denique quòd omnis Religionis expertes Cælum injuriis appetiiſſent, & Sacrilegiis Aras contaminâſſent. Nihilominus in tanta ſacrilegiorum colluvie animum non omiſit Joſephus Monſtra tam indomita, tametſi ſupra vires id negotium videretur, cicurandi. Quippe cùm á ſupremo Carceris Præfecto integerrimo Juveni damnatæ Turbæ cura demandata fuiſſet, eam ille pro arbitrio regere ſtatim occepit. *Dedit ei gratiã in* Gen. 39. 22. *conſpectu Principis Carceris*, QVI TRADI-

DIT-

DIT IN MANU ILLIUS UNIVERSOS VINCTOS. In hac igitur difficillimæ Provinciȩ adminiſtratione prudens Gubernator non vincula geminando Blaſphemias multiplicantibus; non flagris ſubjiciendo quietis perturbatores; non alimenta ſubtrahendo petulantibus linguis; non immorigeros & contumaces in obſcuriores cavernas compingendo, quam animo deſtinârat facinoroſorum hominum emendationem exorſus eſt. Sepoſitis tantiſper minis, atque ſuppliciis, cæleſtem quandam abſolutiſſimæ cujuſq; virtutis imaginem in ſe ipſo expreſſit. Prolixas preces de genu fundebat ſub auroram: ſub veſperam erectus in pedes haud perfunctoriè Pſalmos decantabat: piè, amantérq; infirmis miniſtrabat, & paternum ſolatium miſeris impertiebatur. Idem liberaliter victum ſuum in egentiores dividebat: nudos veſtium ſuarum parte contegebat, obtrectatoribus ſuis promptè remittebat injurias; tenero affectu illos maximè complectebatur, qui virtutem ſuam calumniis

lumniis impetebant, famam ſuam maculabant, imperio ſuo invidebant. Poſt hæc veneratione ſibi apud Miſeros illos collectâ, Dei omnipotentis unitatem, fabuloſorum Numinum vanitatem, Immortalitatem Animæ, brevitatem vitæ, Judicii ſeveritatem, Æternitatem pœnarum, iis expoſuit: quarum præceptionū efficacitate Perduelles illos omnes in beatos Neophytos veræ Religionis, in conſtantes Dei unius adoratores, in placidas victimas eorum, quibus identidem excruciabantur, tormentorum, in adoptivos Filios primorum Patriarcharum, patientis Abelis, Enochi cæleſtibus viſis recreati, Sacrifici Melchiſedechi, Noëmi communi labe mundi intacti, & Abrahami Angelorum hoſpitis non diſſimiles effigies convertit. In ſumma, infame illud & immenſum Ergaſtulum, ac vitiorum omnium ſentina exemplis Joſephi, in anticipatum Sionis Cænaculum, & præviam Teſtamenti Arcam efformatum eſt. Cujus rei deſcriptionem ex Philone graviſſimo

mo Hiſtorico audiamus. JAM LO- CUS NON TAM ERAT CARCER, QVAM DISCIPLINÆ MEDITATO- RIUM: *admonebantur præceptis Philoſo-phicis*, SED MAXIME IPSIUS DO- CTORIS EXEMPLIS. *Poſtquam enim ſuam vitam* VELUT TABULAM BE- NE PICTAM *in medio propoſuit*, CON- VERTIT ETIAM QVI VIDEBAN- TUR INSANABILES; *exprimente has voces Reſipiſcentiâ: Ubi tantum bonum tam diu latuit, à quo pridem aberravi-mus? Ecce jam effulgente hoc*, TAN- QVAM IN SPECULO *noſtra dedecora videntes* ERUBESCIMUS. En quam divinâ Architectonicâ miſellus Juvenis, primùm venditus, tum per calumniam accuſatus, demum peſſimis modis acce- ptus, è ſpurciſſima creta in fædiſſimo to- tius Ægypti antro Civitatem Dei ada- mantibus opulentam, gemmis pretio- ſam, illuſtrem ſtellis, in virtutis aſylum, & Regiam Divinitatis exſtruxerit: ubi latrones Anachoretæ facti Thebaidas adumbrârunt, Antonios olim atq; Ma- ca-

De Joſeph. To. 11. 146.

carios educaturas. *Locus non tam erat Carcer* QVAM DISCIPLINÆ MEDITATORIUM. Quis jam Ignatii locum tenens minùs compositum commissum sibi Collegium proclamabit, jactabítq; subditorum suorum perfectionem, non ab alia, quàm Omnipotentis Dei manu expectari posse, si spelunca sanguinariis repleta monstris, in Sancta quædam Sanctorum ab invictis Confessoribus, non quidem ob Fidem propugnatam, sed ob conformationem cum voluntate divina, quam in corporum suorum carnificina venerabantur, habitata convertitur ? Omnes ac singulæ Domus, universǽque Societatis Provinciæ sanctissimorum Cœnobiorum, quæ prima Christianæ Religionis Ætas adoravit, gloriam inobscurarent, si Rectores earum se subditis suis vivas Apostolorum imagines; & decem nostrorum Patrum fideles effigies exhiberent. *Postquam suam vitam velut tabulam bene pictam in medio proposuit*, CONVERTIT *etiam*, QVI VIDEBANTUR INSANABILES. 44.

44. Tempus jam eſt, ut, poſtquam tamdiu deſcribendæ Præſidum Charitati ſum immoratus, ad eos, qui parent, me convertam, indicémque quantâ obſervantiâ demiſſionéque animi proſequi eos debeant, qui Dei loco ipſos regunt, & ad Deum dirigunt. Clamat Apoſtolus, OBEDITE PRÆPOSITIS VESTRIS, *& ſubjacete eis: Ipſi enim pervigilant quaſi rationem pro animabus veſtris reddituri, ut cum gaudio hoc faciant, & non gementes; hoc enim* NON EXPEDIT VOBIS. Deponite vos prorſus Patres, ac Fratres mei, in eorum manibus, qui Dei Brachium ſunt, ut & bene vobis precentur, & Sanctos vos efficiant; nec ullâ contumaciæ ſpecie moleſtiam iis creetis, aut animos eorum ſanctiſſimarum Legum manifeſtâ violatione, & neglectis eorum monitis dirum in modum diſcrucietis. Heu magno nimis ſtat illis Animarum veſtrarum cura, ut quibus exactiſſima de iis ratio Chriſto perfectionis veſtræ cupido reddenda eſt. Suſtinete illos, ſi verbis

Hebr. 13. 17.

vos

vos cohortentur, nec amare desistite, si vos pœnis affligant: quippe si vel in agendo pigritiam, vel in precando teporem, vel desidiam in Animarum studio, vel morum inverecundiam, vel sermonis vanitatem, vel ambitionem gloriæ, vel cupiditatem recreationum inusitatarum in vobis dissimularent, suas ipsi animas in præceps, & præsentissimum damnationis æternæ periculum darent. *Sacerdos* (inquit Chrysostomus) *si vitam disposuerit suam*, TUAM AUTEM NON DILIGENTER CURAVERIT, CUM IMPIIS IN GEHENNAM DETRUDETUR, *& non propriis actionibus, sed nostris damnatur. Igitur, cùm periculi magnitudinem videatis, multâ eos benevolentiâ prosequamini.* Moveat, quæso, nos sors illorum, qui ut nos à lapsu & offendiculis servent, periculo propriam salutem exponunt. *Obedite Præpositis vestris, & subjacete eis.* Cavete, nè illorum animos, aut dicto, aut facto, quod proterviam & contumaciam sapiat, exasperetis. Cùm enim sub

Hom. 8. in Ioan. To. 38. 254.

ſub muneris ſuſcepti graviſſimo jugo gemant, videántque inſuper vigilantiæ ſuæ ſementem cadere vel in ſaxa contumacium cordium, vel in ſpinas impatientium animorum, vel in ſemitas profanatas ab iis, qui ad Cenſuram præcepta revocant; tædium laboris concipient, & coram univerſa Societate, ac Deo ipſo profitebuntur in caſſum arenam aratro proſcindi, nec poſſe hominem è carne compactum hominibus quovis ſilice durioribus obluctari. *Ut cum gaudio hoc faciant, & non gementes, hoc enim non expedit vobis.* Ita Servator Trepidos doctrinarũ ſuarum Auditores alloquens, nè vos, inquiebat, adducat Sathan, ut Phariſæos, & Scribas contemnatis, quamvis Naamanum leprâ, rapacitate Giezium, & Cainum invidentiâ ſuperent. Eorum opera ſanè negligite, ſed eorum edicta ſubmiſſo vertice excipite. *Tum JEſus locutus eſt ad Turbas, & ad Diſcipulos ſuos, dicens ſuper Cathedram Moyſi ſederunt Scribæ & Phariſæi; omnia ergo quæcunq; dixerint*

Matth. 23. 1.

rint vobis, servate, & facite, secundùm vero opera eorum nolite facere. Quòd si igitur Apostoli quoque tam gravi, manifestóque imperio à Dei Filio adacti, antequam nova Ecclesia mundo innotesceret, se Primatibus illis Hypocrisi marcidis, & avaritiâ putribus, ac Deicidium animo jam tunc versantibus subjicere debuerunt; quâ demum observantiâ moderatores suos viros edomitorum affectuum, integerrimæ famæ, morum honestissimorum, incorruptarum voluntatum colere debet, qui Apostolus non est? Porrò si tanta reverentia debebatur Moysis Cathedris, quantam esse demissionem nostram oportet erga illos, quos in sedibus suis Christus collocavit? Pergit igitur tonare Chrysostomus. *Nunc non est dicendũ super Cathedram Moysi*, SED SUPER CATHEDRAM CHRISTI SEDERUNT SACERDOTES. Certè Regiis Ministris nemo Nobiliũ non assurgit, nemo nõ promptè famulatur; At sæpe tamen contingit, ut qui altiore in fastigio consistit, sit idẽ & na-

& natalibus, & ingenio, & rebus gestis, & facultate, & virtute multò inferior. *Nonne videtis sæculi Principibus omnes subesse, & sæpe genere, vitâ & prudentiâ potioribus deteriores præponi*, NIHILOMINUS PRINCIPIS QVI EOS PRÆPOSUIT REVERENTIA, NIHIL QVALES ILLI SUNT COGITANT. Itáne ergo, inquit Os aureum fulmine orationem obsignans, ad præsentiam illius intremiscemus, quem nobis profani Principis libido, naturæ genio, amorísque potentiâ conciliante, præfecit, & quem Deus Ducem nobis ad virtutis absolutæ promissam terram futurum consecravit, contemnemus? *Si homo aliquem constituerit, tantus subit metus.* SI QVEM DEUS CONSTITUIT, DESPICIMUS? *Cùm Fratres nostros judicare prohibeamur, contra Sacerdotes linguam acuimus?* Ah! nemo sub Christi tectis degat tam immemor præceptorum illius; nemo in consecratis Deo sedibus in ejus Ministros tantò Scribis meliores, & à Pharisæorum

 sor-

ſordibus remotiſſimos tam injurius vivat.

45. Fac autem eſſe, quod non eſt: finge Antiſtites Ordinis Religioſi Hyrcanis Tigribus maculoſiores, frigidiores nive, nec Æthiopibus candidiores. Non ideo qui verus Chriſti Filius eſt, aut eorum ſtatutis non obaudiet, aut eorum verba non devenerabitur. Tribus omnino vicibus Samuel innocentiſſimus adoleſcens vocatum ſe ab Heli credidit, ſacerdote videlicet, quem è verorum Pontificum Albo Deus expunxerat, & perduellem legúmque ſuarum hoſtem judicârat. Primis tamen vocibus excitatus puer ad ſomnolenti Senis grabatum accurrit. QVI CONSURGENS *abiit ad Heli, & ait:* ECCE EGO, *quia vocâſti me.* Non ſibi ſomnũ interrumpi queſtus, non ſaltèm ſecum ipſe ſic eſt locutus: hic homo, qui duobus Filiis ſuis Ophni & Phinee infinitam morum licentiam, indulget, ſummámque vitæ turpitudinem nullâ famæ reverentiâ, nullo publicæ offenſionis reſpe-

1. Reg. 3. 5.

ſpectu diſſimulat jam tertiò ſomnum meum interpellat; nempe ut ſuum, quod in me habet, imperium oſtentet, mactare me vult nocturnâ inſuper quiete poſt multiplices diei labores negatâ. Nihil horum aut conſideravit, aut dixit obedientiſſimus Clericus; ſed continuò ad Antiſtitis pedes velut oracula excepturus advolavit, nullo vel exordio querelæ tam imprudentem accitum perſtringens. Quæ obſervantia adeò Patri Æterno placuit, ut continuò eam magnificis viſis, & incomparabili Prophetiæ dono remuneratus fuerit. PER EUM (teſtatur S. Gregorius) QVI REPROBANDUS ERAT DIDICIT: *ut ſciamus, quia Majorum imperia* TUNC ETIAM VENERANDA SUNT, *cùm ipſi laudabilem non habent vitam, quia eorum doctrina, quæ pravâ opinione poteſt ſuperbis vileſcere*, HUMILES AUDITORES *facit ad divinæ familiaritatis celſitudinem pervenire.* Nemo verò unquam erit, tuente nos ſingulariſſimâ Dei Providentiâ, inter S. Patris Vicarios

In 1. Reg. 2. To. 25. 35.

aut tam negligens, aut superis adeò invisus ut Heli, veternosus in cervicali, ad victimarum dissipationem, & Tabernaculi profanationem cæcus. Anne igitur si Præsulem impium in veteris legis caligine tantâ veneratione perfectissimus Minister prosequitur, quamvis virtute illum longè superaret, & illius Thiaræ Successor destinatus esset, erit aliquis in nova, qui post votam Christo Obedientiam obsurdescere Ducis sui mandatis ausit, & quodammodo flocci-facere, quem illius loco Rectorem accepit?

46. Est sanè in ea, quam recitavimus, historia vis ingens ad persuadendum, ut Christum in iis, quos suo nobis loco esse voluit, omni obsequio veneremur, licet vel ipsi invisos, vel nobis quoque exemplo suo perniciosos: nihilominus, ut nè quis causetur, arduam nimis Samuelis perfectionem esse; En vobis feminam impiam, hac in parte illo nón multò inferiorem. Proscripserat Saul, & ab omni quâ patebat, imperio

rio ſuo, veneficas mulieres univerſas faceſſere juſſerat: ſubinde Philiſtæorum haud procul à Tentoriis ſuis caſtra metantium metu exanimatus temerarius Princeps, tamdiu ſe in omnem partem verſavit, ſuóſque percunctatus eſt, donec in latentis ſagæ ſpeluncam deveniret. Quo loco ubi Regem agnovit mulier, ejúſque poſtulata intellexit, nihil ſuper exilio, bonorúmque proſcriptione, quâ mulctata illo jubente fuerat, queſta defuncti Samuelis umbram, quam petierat, excitavit, quæ Tyranno imminentem cladem denunciavit, & vaticinata mortem eſt. *Cras autem tu & Filii tui mecum eritis.* Conſcia prænunciati funeris Circe, &, quod conſequens erat, nihil amplius ab illo utique proximo die morituro, aut metuens, aut ſperans, venerata tamen Chriſma, quo delibutus ille quondam, & Principatum reverita, quo potitus fuerat, ſubmiſſis precibus eum adegit, ut cibum caperet priùs, quàm moreretur, oblato vitulo, qui ſolus illi in iis anguſtiis, in quas,

1. Reg. 28. 19.

 pro-

proſcriptis artibus ſuis, devenerat, reliquus erat. *Ecce obedivit ancilla tua voci tuæ: nunc igitur audies tu vocem ancillæ tuæ*, UT COMEDENS CONVALESCAS, *& poſſis iter agere*. Tam laudabili obſervantiâ, quam venefica femina Imperatori ſuo, licet ſibi & contribulibus ſuis adeò exitiali conſervârat, obſtupefactus Petrus Damianus, divino quodam dicendi genere, exquiſitiſque plenam ſententiis Epiſtolam ad Deſiderium Cardinalem S. Cæciliæ ſcripſit. *Ille omnes Ariolos de terra Iſrael eraſit: ac per hoc eidem muliercula* OMNEM QVÆSTUM SOLITÆ DIVINATIONIS ADEMIT. *Illa vitulum paſcualem, qui ſibi de conſumpta vix paupertate ſupererat, coxit, & azymos panes appoſuit. Eo tempore fecit, cùm illum nôſſet illico* MORITURUM, ATQVE IDEO NEC SPERARET JAM PLACIDUM, NEC PAVERET IRATUM. *Quis hoc faceret* CORUSCANTE EVANGELIO, *quod hæc Mulier ſub umbra Legis egiſſe deſcribitur?* Servet bonum Numen, non modò

Lib. 2 Ep. 13. ad Deſid. Card.

To. 54. 26.

dò Religioſos Societatis, ſed quotquot Sectatorum ſuorum in Eccleſiæ Catholicæ Cœnobiis degunt, ab eo pudore, quo confunderentur, ſi coram Sanctiſſima Trinitate compareret venefica mulier, quæ Principem ſuum, tametſi ſceleſtum, damnatum, acie victum, imminentem morti, majori reverentiâ proſecuta fuiſſet, quàm inter inſolubilia votorum aut ſolemnium, aut ſæpius iteratorum vincula obedientiæ Alumni habuerint erga eos, à quibus expreſsè ipſius Dei nomine ad ſanctitatis adeptionem promovebantur? Si illa inter Tartarea carmina Devotionum ſuarum ut Regi ſuo morem gerat, non advertit animum, an inchoet, aut finiat imperium: *Cùm nec ſperaret jam placidum, nec paveret iratum*: nos cogitabimus ſcilicet, an Præfecturam adeat, an deponat Præſes; alterum neglecturi, alterum timidiùs ſuſpecturi? Abſit hæc à nobis ſervilis planè verſutia, nihílque in Præſidibus noſtris præter ſolam Servatoris effigiem, quæ ex illis effulget, cujus

cujus nomine & cujus loco ejus Ovile custodiunt, à nobis honoretur.

47. Væ autem illi, qui à celebri admirabilíque illa Vate diversus animi sui Patrem, & B. Patris Vicarium, non eâ, quâ par est, observantiâ persequeretur. Haud enim manifestam irati Numinis vindictam tam degeneris Religiosi vecors temeritas effugeret. Sanè nullæ nostræ preces, nulla consilia nostra, nullæ nostræ suppetiæ satis forent ad eum, qui legitimam Præpositorum in se potestatem contemneret, ultimæ illi ruinæ, in quam ad seculum redeuntes haud dubiâ morte aguntur, subtrahendum. Quantumcunque David juberet, obtestaretúrque omnes Exercituum suorum Duces, ut vitam perduellis Filii Absalomi conservarent: *Præcipit Rex dicens, servate mihi Puerum Absalon*: Deus tamen illũ ad mortẽ adegit tribus lanceis confossum, & è propriis capillis è quercu suspensum. Adeò scilicet implacabile sibi Cælum reddunt, qui cùm vitam profiteantur non latitantem in solitudine;

2. Reg. 18. 5.

ne; non alternis concinentium Choris addictam; non nuditate gravem, aut Cilicio asperam: sed unius obedientiæ laude Anachoretarum, Monachorum, ac severissimi cujusque Instituti sectatorum præmia æquantem; hoc ipsum tamen decus, aut negligunt, aut contemnunt, *Obedite Præpositis vestris, & subjacete eis.* Id verò si facere monentur ii, qui stramento indormiunt, quià carnibus abstinent, qui levidensâ teguntur, qui somnum vigiliis interrumpunt, qui bipalio terram versant; multò ampliùs hoc ipsum præstare jubentur, qui obedientiam loco Patrimonii, & pro summa rei se habere confitentur. Hæc quemadmodum recreari nonnunquam corpus, & à plagis nonnullas inducias indulget, ita frequenter laboriosas peregrinationes ad Fidei Christianæ rudimenta rusticanis hominibus tradenda, periculosas navigationes ad Barbaras Gentes, Ecclesiæ aggregandas, protractas vigilias ad moribundos procurandos, nauseas & acerba sensibus fastidia

devo-

devoranda, ad ſolandos expiandóſque remiges; odioſam objectionem ad infimas ſcholas, ad docendos multóque magis emendandos pueros, aliáque id genus obnoxiis ſibi hominibus injungit. Quibus rebus fit, ut quem vitæ ratio non inſigni auſteritate ſpectabilem reddit, is in obedientia perpetuum animi corporíſque martyrium complectatur. Ab hac tam opulenta hæreditate, proculdubio excidit, qui non totum arbitrio Rectorum ſuorum ſe committit: nam ab illorum imperiis qui pervicaciter ſe ſe abjungeret, is Abſalomi perfidè à Patre ſecedentis ſupplicium incurreret. Quantacunq; enim vocis contentione inferiores Magiſtratus, Vicarios meos, cohortarer, *Servate mihi puerum Abſalon*: nè illum mihi correptionibus affligatis, ſed conceſſis feriis eum conciliate, blanditiis emollite, vibrata ad eum emendandum flagra continete, pectus illi reſerate, uberibus lactate, hæc inquam me necquicquam monente vociferantéque, interibit ille nihilominus juſtâ

ſtâ Chriſti ſententiâ perſeverentiâ illum privantis, qui obedientiam exuit.

48. Equidem rariſſimi ſunt Abſalomi Gubernatoribus ſuis tam prẹfractè contumaces. At fortè non ita infrequentes ſocios habet Maria Moyſis Soror, quam miſerum in modum ob querimonias in Fratrem eúmque dominantem, ſparſas lepra depaſta eſt. Nihil ampliſſimæ Matronæ profuerunt Fides, quam ſervârat, Propheta, quem erudierat, Oceanus, quem non expaverat, laudes, quas Dei honori accinuerat, Probitas, quam in Aula conſervârat, Regnum, quod adoptato à Regina in Filium fratri diſſuaſerat. Eam ob rem Jo. Chryſoſtomus: *Nihil ei profuerunt*, exclamat, HÆC OMNIA *ad effugiendam iram Dei. Sed nec Moyſes. Qui tantum populum poſt recentem illam impietatem precibus obtinuerat, pro ſorore ſupplicans placare Deum non potuit.* Ejecta Tabernaculo fuit infelix, communibus caſtris, & hominum Cœtu ignominiosè proſcripta, fœdis inſuper ulceribus ex-

Hom. in c. 16. ad Rom. To. 42. 206.

cru-

cruciata est, ut & damnatam fugerent omnes, & leprosam universi abominarentur. Tam gravi supplicio affecta Hebræarum copiarum Imperatrix fuit, quòd nuptias à Fratre minore cum Æthiopide contractas non eâ, quâ decuit reverentiâ comprobârit. *Dicet quis, ille Moyses erat, poteram ego dicere* ILLA MARIA ERAT. Adeò videlicet indignè fert Deus, non dignis honoribus eos coli, quos ejus loco Rectores accepimus. At verò ut hæc mihi terrorem haud sanè levem incutiant, longè me tamen magis exterrent diræ illæ, quibus omnem Chami progeniem Noëmus devovit. Hic enim, cùm fœdè nudatum Patrem conspexisset, non contentus ejus turpitudinem petulanti cachinno traduxisse, fratribus insuper, quod tegere, premereq; debuerat, nunciavit. Cujus facinoris indignitatem gravissimis verbis Ambrosius insectatur. PROCAX VIDIT, *modestus erubuit*, PIUS TEXIT. En autem! fulmen, quod ita jubente Deo universam Irrisoris

Lib. 1. de Virg. To. 58. 62.

ſoris ſtirpem funditus eradicavit: *Evigilans Noë ex vino, cùm didiciſſet quæ fecerat ei Filius ſuus minor, ait. Maledictus Chanaan, ſervus ſervorum erit fratribus ſuis.* Atque hîc ego tam ſeverâ ſententiâ attonitus ita ratiocinor, & orationem abſolvo. Imprudenter ſanè Patriarcha, tum potavit, tum obdormiit: veriſſimáque erant, quæ ille de indecora ebrii ſenis nuditate ſolis quidem fratribus, nullo indicio ad feminas, reliquámque familiam delato, indicaverat: neque tamen minùs piorum Cœtu proſcriptus ipſe eſt, Cælo verò excluſi omnes ejus Nepotes vulgò creduntur. Quo verò ſupplicio dignum arbitrabimur eum, qui de Præſide ſuo inſuper falſa confingeret; aut ſiquidem non comminiſcitur, ſed fortè reperit labeculam aliquam, eam per ſummam impudentiam domi foriſque publicaret? PROCAX VIDIT, *modeſtus erubuit*, PIUS TEXIT. Eo uſque progreditur ſacrilega quorundam irreverentia, quos non filios, ſed privignos ſuos ſacri dicere Or-

Gen. 9. 24.

dines

dines possint, ut perruptis omnibus verecundiæ retinaculis, nullo communis famæ respectu, obtrectent Patribus suis, & per imprudentiam ab iis commissa, qui pupureis aureísque palliis velare debuerant, ea Chaldæorum Ægyptiorúmq; oculis objiciant: è quibus ii scilicet fabulas populo dabunt, utramque paginam in libris suis facient, &, quod per fora declamitent, nanciscentur. *Viri memoriam tanquam* SOPITOS JAM CINERES PROFANA MANU VENTILANT, *&, quæ silentio sepeliri oportebat* REDIDIVA OPINIONE DIFFAMANT, *sequentes omnino vestigia Authoris sui Cham, qui nuditatem venerandi Noë non modò operire neglexit*, VERUM QVOQVE IRRIDENDUM CÆTERIS ENUNCIAVIT. *Unde tantam læsæ pietatis meruit offensam*, UT ETIAM POSTERI IPSIUS *peccati sui maledictis obligarentur.* Ad tam horribilemCensuram Oris proterviam, & Præsidum suorum Censores vocat S. Vincentius Lirinensis. Sicut enim Sacro-

Adv. Haret. To.34, 122.

crorum Ordinum nullus vel medios invadentium tumultus, vel capitalium inimicorum ſuorum impetus, à quibus impugnatorum ſcelerum, & Hæreſum debellatarum nomine vexantur, labem ullam aut ruinam, timere aut poteſt, aut debet, ſi modo in iis concordia Superiores inter & inferiores firma conſiſtat: ſic quantumcunque virtutis ſtudia floreant, diſciplina vigeat, & primævæ Leges conſerventur, nullus Cœtus ætatem ſibi promittat, aut à ruina ſecurum ſe putet, ſi diſcordiæ tyrannidi ſubjaceat. Qua de re Joan; Chryſoſtomum audiamus *Nihil eſt quod Eccleſiam Dei ita deſtruere & diſſolvere poteſt*, UT QVANDO DISCIPULI MAGISTRIS, ET PATRIBUS FILII, ET PRINCIPIBUS SUBDITI NON MAGNO STUDIO COHÆRENT. Si ergo ſalvam Societatem invictámque cupimus adverſus inſultus eorum, qui eam ideo, quia errores confutat, quia peccantibus non blanditur, quia primævam fundatæ recens Eccleſiæ Pietatem in Or-

Hom. in loc. Paul. Rom. 16. Salut. Priſcill. To. 42. 205.

thodoxis instaurat, eversum eunt: necesse est, ut ii qui nostris hominibus præsunt, Monicam imitentur, quæ benignissimo affectu Familiæ filiísque, & quo corpora reficerentur, & quibus virtutum studia inflammarentur, providit: subjecti verò Augustinum æmulari par est, qui memoriæ posterorum & venerationi orbis Christiani Matris suæ famam immortali cum laude, tum observantiâ suâ, tum scriptis voluminibus commendavit. Sic equidem hac tempestate usu venit minimo huic Ignatii Gregi, me forsan uno excepto, ut nemo sit Præsidum, quibus illius curam Beatus Fundator commisit, qui non verè nullóque reclamante dicere possit. *Ego sum Pastor bonus;* nempe qui & corpora suorum curet, Animásq; sibi subjectas, ac dictis suis audientes ad sanctitatem promoveat.

EX-

EXHORTATIO XVI.

Pridie Epiphaniæ

Et Apertis thesauris suis obtulerunt ei munera, Aurum, Thus & Myrrham, *Matth.* 2.

MAgi minùs Christo dederunt, quàm nos illi per nostra Vota donavimus: Nihilominus majora illis, quàm Nobis præmia persoluta sunt: nempe quos iteratus Stellæ conspectus, & Angelorum manifesta præsentia recreârit. Donorum nostrorum vilitas à parum firmo proposito ea conservandi, augendíque proficiscitur. Incredibile dictu est, quantopere DEO inconstantia eiusmodi displiceat; eam ille severè in Lothi Conjuge, in Populo Israëliti-

co, & in primis Apostolorum Asseclis castigavit. E contrario Electionis ad Gloriam minimè obscuram notam Sancti Viri semper crediderunt in virtutis complexu constanter hærere, nec unquam ex angustis Perfectionis semitis, seu pravis Consiliis, seu exemplorum contagione, seu denique actuosæ virtutis tædio seduci.

49. ECquid demùm hi Principes Christo dederunt, quod à nostrûm quolibet, & oblatum Divino Infanti, & consecratum Deo majore quoque animo copiáque non sit? Quod si mihi non creditur, legatur sanè Munerum Index quem primus Ecclesiæ Protonotarius S. Matthæus descripsit. Eò loci non reperietis quidquam præter pauxillum auri, parum thuris, myrrhǽq; non plurimum: Dona, ut ego quidem existimo, Evangelicæ Viduæ convenientiora, quæ minuta duo

duo in Gazophylacium injecit, quàm tribus Orientis Regibus, quos ad Messiam adorandum Cælum ipsum tam illustri prodigio invitârat. Futurum nempe arbitrabar, ut tanti Reges Deum à se in Mendico agnitum testaturi amplissimas tota urbe Bethlemo ædes illi coëmerent; duplici eum suppellectili tum campestri, tum urbanâ donarent; lautissimum patrimonium constituerent, útque pro dignitate, splendidissiméque vitam exigeret vectigales illi redderent Provincias suas. Denique in eo Potentiæ, Majestatis, Opulentiǽq; fastigio collocarent, ut Herodis gloriæ ac luxui posset non invidere. Sed enim Viri summæ Dignitatis ac Potentiæ omni largitionis suæ munerúmque, quibus semet exuerunt, illum cumulârunt, copiâ, tribus urnis, Aromatum nonnihil & Monetæ continentibus concluserunt. Cùm interim nos Hæreditates, Patriam, Corpus, Animam, Libertatem, Spes, res omnes, mundúmq; adeò universum Deo dedicaverimus, ut ne-

mo ſit omnium noſtrûm qui cum Petro dicere non poſſit. *Reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te.* Quæ voces multò veriùs in hac Aula ex ore multorum ſonant, qui Cenſus, Latifundia, Primogenituras, Sacerdotia, Dynaſtias ſeu Nobilium Comitatuum, ſeu amplorum Principatuum, haud vana maximarum Dignitatum, quas Chriſtiani in Eccleſia ſuſcipiunt, ſemina, ad Infantis Divini pedes abjeciſtis. Et Magorum tamen Liberalitas Feſto cultu à populis Chriſtianis anniverſariâ pietate celebratur, támque accepta fuit Æterno Patri, ut id demonſtraturus, ſtellam, denuò ſuper Tugurium accenderit, juſſerítque de Cælo Angelos deſcendere, qui nova itinera Regiis Peregrinis commonſtrarent, ut tuti ad ſua Regna reverterentur, & ſubmiſſos è Cælo Archangelos ad reditum Prodromos habuiſſe gloriari poſſent. Nos interea, qui plura, quàm illi offerimus, obtulimúſque nato Infanti, nec prodigioſorum luminum ſpectacula promeremur, nec propitia reſpon-

reſponſa, referentibus Beatis Spiritibus
accipimus. Quî fit igitur, ut, qui tam
parum donavit, tantum recipiat; quiq;
tantum dedit auferat nihil? En vobis
tanti diſcriminis cauſam! Haud equi-
dem multum Sancti Reges donârunt,
ſed irrevocabilis inter vivos ea donatio
fuit: neque ſolùm ea, quæ Chriſto do-
no dederant, non retraxerunt, verùm
etiam in Orientem reverſi Eleemoſy-
narum munificentiâ, ſanctitate ſacrifi-
ciorum, probæ vitæ præclaris exemplis
reperti Meſſiæ ſparsâ famâ, novis & con-
tinuis ea incrementis auxerunt: cùm
propriis Regnis veritatem ipſos ante
quatuor Evangeliſtas inferrent. E con-
trario fieri poteſt, ut inter Nos ſint, qui,
quod Chriſto obtulerunt, reſumant, vi-
tam agitantes ſeu minori ſenſuum cir-
cumſpectione, quàm jurata Deo inte-
gritas requirat, ſeu minore rerum ne-
ceſſariarum inopiâ, quàm Chriſti Pau-
pertas à Profeſſoribus ſuis exigat, aut de-
nique minore ſubmiſſione erga Præpo-
ſitorum ſuorum imperium, quàm obe-
 dien-

dientia præſcribat: Votum unicè proprium eorum, qui in Societate JEſu in Cruce mortui, ut Patri obediret, ſtipendia faciunt. Hæc in offerendo inconſtantia, hæc munerum revocatio iis favoribus nos privant, qui in tres Reges collati fuerunt. Id quod hac veſperâ expendemus, demonſtraturi talem munerum oblatorum corruptelam reddere nos primùm accipiendis gratiis divinis ineptos, tum etiam Dei in nos iram provocare. Qui metus, ut ſpero diligentiam noſtram exacuet, quâ provideamus, ut in craſtina votorum Inſtauratione, quam unuſquiſque Donationem faciet, perfectam perpetuámq; efficiat.

50. Exigui pretii eſt quantumcunq; virtutis ſtudium, tametſi Dei cauſâ ſuſceptum, ſi debitâ conſtantiâ deſtituatur. Audeo igitur Regis ejuſdémque Vatis admirationem non mirari, cùm ſummis laudibus exornaret animam perturbationibus ſuis ſuperiorem, domitricem vitiorum, & Virtutibus opulentam. *Adſtitit Regina à dextris tuis in veſti-*

vestitu deaurato circumdata varietate. Psalm. 44.
Et illum quidem attonito similem & coronæ fulgura, & gemmarum lumina reddunt. Ego verò nisi quid aliud addatur, tam excultam Principem, aut contemno, aut certè magni non facio. Quippe tam coronæ liquefieri, quàm vestes deperdere colorem possunt; ipsæ quin etiam gemmæ, quamvis sint naturâ suâ durissimæ, nescio quâ ratione in adulterinos lapides degenerant frangi facillimos. Donec igitur in anima ad omnem honestatem compositissima perseverantiæ symbola conspiciam, ejus virtutem adorare nec licet, nec lubet. Id fortè ipsum Propheta mente præcipiens, ut ab omni contemptûs injuria tutam præstaret, subjunxit. *Omnis gloria ejus Filiæ Regis ab intus* IN FIMBRIIS AUREIS. Animadvertite, inquit David, nec à me quidem Reginæ, quam exhibui, honores ullos decerni, priusquam de illius in acquisitis ornamentis constantia mihi constet. Ego enim, sicut & vos, nisi in desideriorum constan-

ſtantia ceptæ perfectionis perſeveranti-am prævideam, parvi eum pendo, qui ſub primos Converſionis ſuæ dies pro-bitatis minimè ſolidæ utcumq; ſpecio-ſum diadema fronte præfert. Quam ob rem profiteor, omnem Animæ pre-tioſiſſimis coronis redimitæ gloriam è limbo chlamydis pendere, aptiſſimo ſci-licet Hieroglyphico Virtutis ad mor-tem uſque perſeverantis. *Omnis gloria ejus* IN FIMBRIIS AUREIS. Idcirco Gregorius, Omne, inquit, Regium Pa-ludamentum quâvis ruſticanâ Leviden-ſâ vilius eſt, niſi aurum, atque ornamen-ta oſtentet in fimbriis: ſicut è contra-rio ubi gemmis limbus diſtinguitur, qui-libet pannus purpuram æquat. FIM-BRIÆ *finales veſtimenti partes ſunt*, QVÆ *idcirco in Sponſæ Chriſti decore* LAUDANTUR, *quia nulla eſt virtu-tum gloria*, SI LUCERE *ante vitæ con-ſummationem* DESISTAT. Itaq; non modò admiratione digna virtus non eſt, niſi radicibus hæreat, quibus ad ultimos uſque vitæ halitus ſe ſuſtentet, ſed neq; lau-

Lib. 6. c. 1. in Lib. Reg. To. 25. 121.

laudes, quas ſtrenuæ virtuti damus, pro-
meretur, Nulla eſt, NULLA EST VIR-
TUTUM GLORIA, *ſi lucere ante vitæ*
conſummationem deſiſtat. Favillæ ni-
mirum aut faces, non autem Planetæ,
vel Stellæ ſunt ardores illi, qui dum na-
ſcuntur ſoles quidam videntur, ſed ſub-
inde media in luce extinguuntur, & oc-
cidunt. Ipſa quoque Innocentia, ſi in-
ter ſplendorum ſuorum radios ad oc-
caſum vergit, in oculis Dei plus tene-
brarum, quàm lucis habet. *Nulla eſt*
virtutum gloria, ſi lucere deſiſtat. Neq;
aliam eſſe cauſam dicas magnæ illius pe-
nuriæ Cæleſtium viſorum, dulcium la-
chrymarum, altiſſimorum ſenſuum,
quâ nonnunquam Religioſorum Clau-
ſtra laborant, licet iis minimè deſint ho-
mines, quorum ingens in Deum amor,
& à Mundo averſio, ſed fragilis tamen
& imbecilla virtus eſt. Mirum dictu!
Aſpectus rerum Cæleſtium, ſuaves in
Deum raptus; ſolatiorum & lachryma-
rum inexhauſti fontes quotidianus ve-
luti panis, & communis olim victus erat

Ni-

Nitriæ, Syriǽque Cœnobiis, & Sylvis Ægyptiis. Evolve modò Annales illos, & in quolibet Anachoretæ antro, Monachi Cellâ, Leones feritatis oblitos, prodigiosas dapes, Oratores Angelos, rerum futurarum perinde ac præsentium cognitiones reperies. Nunc verò sunt ædes innumerabiles, in quibus Viri degunt Apostolicum asperrimúmque vitæ genus, nuncupatis in eum finem Votis, professi; neque tamen eventus futuros prævident, aut cælestium epularum micis saturantur. Age enim, quis neget omnia Tyrocinia non secus ardere ac Sinai quondam scopulus flagrabat, cùm Deus in Marmoreis Tabulis primam Legem Moysi describeret? Num fingi potest aut humanarum rerum contemptus, aut amor cælestium par illi, quem animo totóque corporis habitu præferunt, qui nuperrimè de paterna domo digressi sunt? An non in iis Paupertas prorsus Apostolica, Castitas suppar Angelicæ, Obedientia perinde cæca, perinde ma-

gna-

gnanima, quàm Abrahami fuerit? Ærumnarum ſitis, deliciarum horror, cognati ſanguinis oblivio, honorum fuga, commodorum odium, nonne apud recentes Religioſos in eundem prorſus conſummatæ perfectionis gradum evecta eſt, quem Philo Hebræus in primis Crucis Sectatoribus & deſcripſit, & veneratus eſt? Jam ſi principiò vitam omnes egimus, hodiéque agunt omnes eximiæ virtutis exercitatione ſpectabilem, eccur adeò pauci tam generoſæ militiæ ſtipendium capiunt? Hujus ænigmatis œdipum paulo ante Gregorium audîſtis. *Fimbriæ finales veſtimenti partes ſunt: quæ idcirco laudantur,* QVIA NULLA EST VIRTUTUM GLORIA, SI LUCERE *ante vitæ conſummationem* DESISTAT. Negat Deus tot aliis tam ſanctè viventibus favores Anachoretis olim conceſſos, quoniam præſens inconſtantia brevem ætatem vigori noſtro minatur. Sanè haud pauci Monachi nobis, ſi Conſiliorũ, quæ ſequimur, magnanimitatem, & magnitu-

tudinem abdicationum ſpectes, in ſpeciem nobis inferiores erant, qui jam tum pavimenta lachrymis inundabant, & cum Deo de facie ad faciem loquebantur, ſed enim exiguam illam particulam quæ ipſis de mundo, rebúſque terrenis obvenerat, ſic reliquerant, ut planè deliberatum haberent nunquam neque in memoriam, neque ad linguam revocare quæ ſemel abjecerant: In id unum intenti, ut Monaſticorum rituum ceptam obſervantiam novis incrementis exaggerarent. Huic à Deo præviſæ conſtantiæ laxabant ſe ſe cæleſtium deliciarum fontes, & in pectora de cepto virtutis tramite dimoveri ſe nunquam paſſura torrentis ritu Divinæ Miſerationes influebant. Contrà quem pœnitere factæ donationis aliquando poteſt, is divinorum favorum innundationi adverſum aggerem objicit.

51. Et profectò hanc timoris mei cauſam memorabili facto Evangeliſta Joannes confirmat. Copioſa hominum turba ſe Chriſto junxerat, poſtquam de arca-

arcanis ad Divinum cultum, vitámque futuram ſpectantibus præclarè diſſerentem audîſſet. *Multi crediderunt in nomine ejus.* Atque hîc plauſum dant Sacrorum Evangeliorum Interpretes, &, ò ingentem, inquiunt, animorum noſtrorum lætitiam, dum Dei noſtri voces tantis honoribus excipi conſpicimus! Nulla, reponit Auguſtinus, cauſa lætandi, ſed maximum tum iis, qui eum ſecuti ſunt, tum nobis, qui hanc ab illis ſui deditionem factam legimus, erubeſcendi argumentum eſt. *Multi crediderunt in nomine ejus: & quid ſequitur?* IPSE AUTEM JESUS NON CREDEBAT SEMETIPSUM EIS. *Magna res, & mira res! Credunt homines in Christum,* ET CHRISTUS NON SE CREDIT HOMINIBUS. Quantò arctiùs illi ſe cum Meſſia conjungebant, tantò ſe longiùs ab iis ipſe removebat; neque cum iis aut arcana pectoris, aut animi conſilia communicabat. Neque hoc eò factum eſt, quòd ſimulato ſtudio illum aſſectarentur: quippe cujus doctrinam

Ioan. 2.

Tract: 11. in 2. Tom. Ioan. 38.58.

nam seriò, atque ex animo venerabantur. Illam scilicet diffidendi, nec se novis hisce Discipulis suis credendi Christus causam habuit, quòd parum constantes, parúmque firmos in traditis à se præceptionibus futuros cognosceret. Nempe paulo post dicturi erant infelices. *Durus est hic sermo, & quis potest eum audire?* Idem vereor nè multis Evangelicæ Paupertatis amatoribus hodiéque accidat. Enimverò magnis animis commoda, luxúmque paternæ domûs relinquunt, in domum Dei dura quæque toleraturi transmigrant: Eò loci precibus vacant, famulantur, jejunant, abjiciunt se se, & molestiarum tolerantiâ, & innocentiâ morum tum ardorem Apostolorum, tum Angelorum candorem repræsentant, nihilo tamen minùs Cælum æreum, & rore siccum, & marmoream Terram, & sterilem frugibus experiuntur: ideóque aridi, solatiíque expertes ipso, quod Christo præstant obsequio, oppugnare potiùs quàm tueri Evaugelium sibi videntur. *Multi*

Ioan. 6. 61.

credi-

crediderunt in nomine ejus. At ipſe Jeſus non credebat ſemetipſum eis. Et non cum Auguſtino exclamabimus? MAGNA RES ET MIRA RES! *Homines credunt in Chriſtum, & Chriſtus non ſe credit hominibus!* Itaq; ſolatia illa, quæ fluminis ritu in quorundam Dei ſervorum conclavibus ſcaturiunt, aliis ſe negant, nè ſtillâ quidem torrentium illorum aſperſis, qui redundant in primos; & tamen qui talibus deliciis deſtituti ſunt, non minùs probam, minúſque auſteram vitam, ut videtur, agitant, quàm illi, qui gratiarum toto mari obruuntur. Quod enim vitæ genus, aut ferventius, aut caſtigatius fingi poteſt eo, quod profeſſi ſumus, quódq; Societatis Filii in Probationis ædibus profitentur. Quàm enim opprobriorum avidi, quam honoribus inimici ſunt! Quàm seriò ſibi cavent ab omni nævo vel leviſſimæ culpæ! Quàm ſtudioſè omnibus ornamentis excellentiſſimarum virtutum ſe adornant! Omnes eorum cogitationes in eo vertuntur, ut Chriſtum Barbaris

 Gen-

Gentibus, vel ſermone perſuadeant, vel fuſo ſanguine approbent: aut ut inter Orthodoxos, tum exemplis inculpatæ vitæ, tum ſoliditate doctrinæ gloriam ejuſdem quàm latiſſimè proferant. Vox omnis, motus, deſideria, ſuſpiria eorum univerſa eò tendunt, ut aut Innocentiam, quam cum Baptiſmo acceperunt, redintegrent, aut Provinciam Apoſtolis dignam obtineant, quam nulla prodigia quidem illuſtrent, innumeri verò labores exerceant; eo videlicet Conſilio, ut obſcuri vivant, & in tormentis vitam ponant. An autem hoc non eſt in Crucifixum credere, & cum Chriſto Cruci configi? *Multi crediderunt in nomine ejus.* Utrum deinde tantæ vitæ aſperitati, & tanto virtutis ardori conceſſa quondam Sanctis Viris pręmia reſpondeant illorũ experientiæ, in quos illa conferuntur, judicandum relinquo. *At Jeſus non credebat ſemetipſum* EIS. Num fortè ſuſpicari poſſumus obdureſcere Deum ſibi ſervientium pietati? ſequentem ſe fugere? ſpinas pro floribus repen-

rependere? totúmque illi negare, qui totum dedit? *Magna res, & mira res!* Vah Inconſtantia! quantum ex virtute viventibus obes! Equidem copioſiſſimos imbres miſerationū ſuarum Chriſtus effunderet in Tyronum noſtrorum quemlibet, quemadmodum etiam in me ipſum, & quemcunque alium ſimili mecum tepore languentem ſparſiſſet, niſi Teporis ſemina in illis, & in nobis prævifa effeciſſent, ut favorum ſuorum fontes nobis occluderet. Non eſt parca gratiarum ſuarum Divinitas; nec avara in cæleſtibus illuſtrationibus, ſuaviſſimíſque lachrymis indulgendis, verùm juſtè ſapientérque cavet, patrimonium Omnipotentiæ ſuæ in homines prodigere perfidioſo famulatu, & degeneri à Diſciplina ſeceſſu illud diſſipaturos. Promptiſſimus ad pluendum manna Deus eſt: ſed vult ſcilicet, ut urnis haud quaquam fragilibus excipiatur.

52. Huc pertinet, quod ingenioſè S.Bernardus annotavit; aquæ videlicet mutationem in Canæ nuptiis, non in

vasis crystallinis, aut luteis, sed in Hydriis marmoreis factam fuisse: ut sciremus, velut ipse ait, Christum sua dona conferre, prodigiosásque metamorphoses pravis habitibus in habitus Apostolicos commutatis, patrare in solis illis animabus, quas ipse constantes videt, & immutabiles futuras prævidet. *Erant ibi lapideæ Hydriæ sex. In eo, quando dicuntur lapideæ, non solùm duritia, sed multò meliùs* SOLIDITAS *potest intelligi: quoniam non lavant hæc, nisi* FIRMA STABILITATE PERMANSERINT. En vobis clavem, quâ impenetrabilis, uti videbatur, sententiæ arcanæ notæ aperiuntur. Obdurat Cælum, quia nos videt non duraturos. Voluntatis nostræ Inconstantia ineptos nos reddit prodigiorum gloriæ, ac cælestium sensorum suavitati, quæ sicut divina liberalitas iis paternâ indulgentiâ dividit, qui non aguntur in transversum; ita sanctâ parsimoniâ illis negat, qui à sanis Consiliis desciscunt; nec expectat dum omnino deficiant, utpote præsenti vitio

Ioan. 2. 3. Serm. 2. in Dom 1. post Epiph. To. 43. 120.

vitio Inconſtantiæ jam nunc infecti. Et profectò Theſauros ſuos oppidò viles ſibi eſſe demonſtraret Deus, quos in vitro, quod, *cùm ſplendet frangitur*, ſeponere non dubitaret; Sunt enim non pauci ferventiorum quoque de numero, qui verbo quolibet, aut exemplo ſociorum offenſi continuò vacillant. Primæ contemptus alicujus, aut ludificationis ſyllabæ ruborem illis exprimunt, & quàm primùm occurrerit ubi molliùs, majorique cum dignitate ſedeant, per ſummam ignaviam ſe à Cruce refigunt: oculos ſubinde ad omnem licentiæ libertatiſque, quam in aliis fortè animadvertunt, lucem attollunt, & fatuos illos ignes, veluti prodigioſæ columnæ Iſraëlem in ſolitudinem ducentis flammas venerati, pedem ab aſcenſu Calvarii retrahunt, & veſtigia ſequuntur infelicis illius, qui de Jeruſalem deſcendens in Jericho barbaris latronibus in prædam ceſſit. Fallitur enim verò, fallitur, qui putat, Chriſtum Animabus illis, quę leviſſimarum arundinum inſtar, ad o-

mnem auræ motum ſe circumagunt, & Chamæleontis ritu colorē in horas mutant, ſe Thaumaturgum exhibere aut velle, aut poſſe. In eorum videlicet cordibus aquam in vinum vertit, in quibus voluntatis firmitatem, & vitæ totius conſtantiam deprehendit. Sunt ea Decreta voluntatis, ſed inania, nec ullos habitura ſucceſſus, quibus interdum nobis blandimur.

53. Ad hoc forſan excitare nos voluit S. Joannes, cùm à Civitate Dei argentum prorſus excluderet, ſolúmque aurum inferret; quo & plateæ conſtratæ, & ſtructæ Turres erant. Fateor me ſat diu ignoráſſe hujus proſcriptionis arcanum, neque etiam nunc curioſitati meæ, quî ſatisfaceret, nôſſem, niſi in Plinium incidiſſem, utriuſque metalli præſtantiam acri judicio ponderantem. Ille quoque dubitavit aliquamdiu, jurène aurum argento præferretur. Hujus certè color longe vivacior eſt, ſimiliórque puro liquidóq; aëri, ſuóſque radios majore vi, ac longiùs jacit præ metallo illo, cui

cui majus pretium communis æstimatio fecit. *In argento* CLARIOR EST MAGISQVE DIEI SIMILIS, *& ideò militaribus Signis familiarior, quoniam is* LONGIUS *fulget.* Quâ igitur ratione metallum tam fuſcum, ac pallidum palmam præripit alteri, quod illi ſplendore præſtat? Ad extremum poſt diligentiſſimum examen fatetur Auctor duas potiſſimùm dotes Auro ineſſe, ob quas cæteris metallis imperet. Prior eſt, quòd candentium carbonum, ac effervеſcentis catilli ardoribus invictum purius inde, ac penitus incorruptum exiſtat. Altera, quámque ille pluris etiam facit, quod partibus ſuis ita coactum, compactúmq; ſit, ut earum nè atomum quidem deperdat, ſive manibus tractetur, ſive malleis tundatur, ſive denique ad lævigandam chartam adhibeatur: quam nunquam Auro, quemadmodũ argento, plumbóque ſignaveris. *Altera cauſa pretii major,* QVAM MINIMUM USUS DETERIT, *cùm argento, ære, plumbo* LINEÆ PRODUCANTUR,

Plin. l. 33. cap. 3.

manúſque ſordeſcant DECIDUA MATERIA. Atque hæc vera cauſa eſt, ob quam Deus à cæleſti ſua Sione argentú excluſerit, in quam tantam auri copiam admiſit. Fieri enim poteſt, quamvis id incredibile videatur, ut inter Ignatii Filios commoretur aliquis, qui ubivis locorum, ac temporum aliquam ſui partem, neque modicam relinquat, dum vel in colloquiis multùm de ſolita gravitate remittit; vel in ſpectaculis paſſim occurrentibus frena ſenſibus laxat; vel litterarum ſtudiis etiam eas horas impendit, quæ ſacrę lectioni, meditationíq; fuerant conſecrandæ; vel in Villis, cùm relaxatur animus, præſcriptos modeſtiæ, ac fortè Charitatis etiam limites tranſilit, & aut prorumpit in aſpera ac inſolentia verba, aut animo ſaltem commovetur, conturbatúrque: Vel in itineribus immodico ſtudio quidquid eſt incommodi emolitur, ſectatúrque delicias, vel in Magnatum Palatiis profanos reſumit animos, ac Religioſæ humilitatis faſtidio capitur. Verbo, ceu

argen-

argento factus esset, ubiq; lineas ducit, familiariúmque suorum aut præclara virtutum studia debilitat, aut conceptos ardores restinguit. *Cum argento, ære, plumbo* LINEÆ PRODUCANTUR, MANUSQVE SORDESCANT DECIDUA MATERIA. Alii contrà semper sibi similes, sempérque optimi, non patiuntur animum suum vel minimam propositæ sibi virtutis jacturam facere: perinde Deo conjuncti cùm in Palatiis & in foro versantur, quàm cùm contemplationi vacant in Oratoriis, aut intra Templorum adyta precibus insistunt. Apparent ubique locorum affabiles, sed serii; Studiosi, sed pii; industrii, sed Religiosi; negotiosi sed secesſûs amantes; familiares omni hominum generi, verùm cum ea morum gravitate, quam Muneris sanctitas ab Altarium Ministris exigit. Ut adeò velut purissimum aurum, nè punctum quidem de substantia sua deperdant, seu dum ferias habent in umbra, seu cùm conviviorum hilaritatibus, aut Tribunalium causis inter-

 sunt.

ſunt. *Altera cauſa pretii major* QVAM MINIMUM USUS DETERIT. Ideo illi ad altiſſimas cognitiones de Deo ſubvehuntur, amoríſque ſuaviſſimas delicias, quibus nemo niſi Sanctus perfruitur, perſentiſcunt; ut jam exuti carne, & Choris Angelicis annumerati, cæleſtem beatitudinem præcipere quodammodo videantur. Ego porrò ſicut his ſua Conſtantiæ præmia invideo, ſic aliorum levitatem tum ab Evangelicarum nuptiarum thalamo, tum à Divinarum litterarum adytis perpetuò exulaturam prædico. Nec enim Deus inconſtantibus hominibus aut Ambroſiæ ſuæ pocula propinare, aut theſaurorum ſuorum committere claves dignatur.

54. Quæ quidem jactura, tametſi graviſſima luctuoſiſſimáque ſit; pauperem ea tamen magis, quàm miſerum facere; & coronas quidem capiti diripere non verò flagellis virgíſque corpus objicere videri alicui poteſt. Jámque ad alteram diſſertationis hujus partem devenimus, in qua ſcenam illam ſubtra-

ctorum

ctorum favorum minus Tragicam in aliam longè funeſtiorem, nempe ſuppliciorum, quæ ceptum virtutis iter deſerentibus certiſſima imminent, cum acerbiſſimo animi mei ſenſu ac dolore convertere cogor. Non habet Eccleſia, ſi Martyrium excipias illuſtrius facinus Votis Religioſis; quæ tamen ipſa S. Bernardus Martyrio componere, & in aliquo ſenſu præponere veritus haud eſt: illorum ſcilicet ſuppliciorum atrocitatem iſtorum diuturnitate compenſante. Quòd ſi tamen in eorum conſervatione conſtantia noſtra vacillet; enim verò Apoſtatis, quàm Martyribus propiores efficimur: Quamobrem, quod cum Deo regnaturis elaborare diademata debuerat, idem ignaviæ fœda ſtigmata & transfugarum ignominiam nobis inurit. Patuit illud in Anania primo Votorum Chriſto nuncupatorum violatore. Huic, cùm partem pretii ex agro divendito malâ fide retinuiſſet, voluntatis, quâ eum ipſum fundum ſponte Deo donaverat, inconſtantiam

tiam tantâ vehementiâ Petrus objecit, ut in publico Chriſtianorum Cœtu ad pedes ſuos exanimem proſterneret. Sceleſte! inquiebat, Quis unquam à te Majorum tuorum facultates poſtulavit? aut quæ vis te adegit, ut paupertatem Chriſtianam profiterere, ſi ſubinde de tuo vivere cogitabas, nec te ſacrorum Œconomorum arbitrio permiſſurus eras? *Nónne manens tibi manebat, & venundatum in tua erat poteſtate? Quare poſuiſti in corde tuo hanc rem?* Act. 5. 4. Antequam Eccleſiæ te dicares, integrum tibi erat fruíne velles lanâ gregum tuorum, armentorum tuorum butyro, agrorum tuorum ſegete, vinearum tuarum vindemiâ. Poſtquam verò vitam inter nos, qualem perfectionis ſtudioſi agunt, te acturum profeſſus es, longè aliter ſe res habet. Poſt ſolemnem enim bonorum tuorum conſecrationem, omnis, quam retines, pecunia commeatûs teſſeram tibi præbet ad Inferos, & æs omne quod in Ciſtis tuis numeratum habes, in hoc valebit, ut te

Luci-

Lucifero mancipium emat, & libertate dejiciat Filiorum Dei. *Quare igitur posuisti in corde tuo hanc rem?* Votum emissum in manus meas est; sed à Deo in Ephemeridas suas relatum. *Non es mentitus hominibus, sed Deo. Audiens autem Ananias hæc verba, cecidit, & expiravit.* Patres Fratrésque mei, dum in seculo viveremus, nostro arbitrio agitare vitam licebat. Postquam verò Christo per tria Vota, quæ sub crastinæ lucis ortum in hoc Collegio plerique instaurabunt, nos consecravimus, alieno arbitrio nobis omnino vivendum, & promissorum fides prorsus, & ad unguem exsolvenda est. Si enim Ananias, eò quòd ex uno de tribus, quæ Deo nuncupamus Votis, & eorum quidem ignobiliore, partem aliquam detraxerit, animam cum infamia publica, & fortè non sine damnationis æternæ periculo ejecit; quis læsi Numinis vindictam effugere se posse confidat, si non unius modò donationem revocaret, sed omnium? Inquirat unusquisq; in conscienti-

entiam ſuam, expendátque: Num illud obſervet, quod promptiſſima, maximáque voluntate in primo ſuarum oblationum ſacrificio donavit? Animadvertatur quoque, non eſſe vota noſtra vota communia, ſed vota ejuſmodi, qualia nobis declarat præſcrbítque Inſtitutum noſtrum. Quapropter amari à nobis Paupertas debet ut Mater; defendi ut murus: unde ſi hæc ferretur quidem, non amaretur tamen; non jam illa paupertas foret quam profitemur. Utrùm deinde arripiantur incommoda, expetatúrque penuria, eo deſiderio, ac ſenſu, quo in abſentem Matrem Filius fertur; quam ut reviſat, omnes furentis Oceani minas ſpernit: unuſquiſq; veſtrûm ſcire meliùs poteſt, quàm ego divinare. Sic quoque non eſt illa Caſtitas noſtra niſi æquet Angelicam, nullo cujuſcunque rei objectæ ſenſu nobis relicto, ac deletâ omni etiam umbrâ delicti. Idem de Obedientia dico eorum, qui nobiſcum degunt: quæ mentis oculos obnubere, Voluntatis pro-

propenſiones omnes injectis vinculis coërcere, ac per omnia Cadaveribus nos ſimiles reddere debet, abſque ullo principio vel motûs regentium imperio adverſantis, vel cupiditatis ad ea, quæ nobis vetita ſunt, propendentis. Quod ſi verò, quod abſit, indicatæ conditiones votis noſtris abeſſent, nos quoque Sacramenti, quod Deo nuncupavimus, Fides, Religióque deficeret. Quòd ſi verò contingeret fædifragum aliquem in Societate verſari, eum S. Pater iiſdem Apoſtoli verbis coargueret. *Nónne manens tibi manebat, & in tua erat poteſtate? Quare poſuiſti in corde tuo* HANC REM? *Non es mentitus hominibus, ſed Deo.* Equidem haud prætermiſiſſem, proſequeretur Ignatius, ad aliorum Ordinum auſteritatem fingere Aſſeclas meos, niſi præſcriptorum Votorum perfectione expleturum me crediddiſſem, quæ per promulgatas Leges jubere ſuperſedi: Lino vos, non ſacco veſtivi; victum, qui tolerandæ vitæ ſatis eſſet, præſcripſit; non vos ad contemplatio-

num

num nocturnarum Vigilias, & ad abſtinentiæ quotidianæ rigidam conſuetudinem adegi. Indulſi, ut, qui doceret, diſceretur per Autumnum, & interdum in anno Camporum amœnitate recrearetur: Non ſomnum vobis nocturnâ Pſalmodiâ interrupi. Contentus eſſe volui horâ unicâ orationis mentalis per diem, & duobus ſolidis horæ quadrantibus perſcrutandæ conſcientiæ ſemel ante prandium, atque iterum poſt cœnam quotidie impendendis; ſolas ſextas ferias Dolorum Chriſti recordationi pro conſuetudine Pietatis veſtræ communi abſtinentiâ conſecratis; Auſteritatem ciliciorum, & flagellorum cruciatus ferè magis Fervoris veſtri arbitrio, quàm legum mearum ſeveritati permiſi: non vos aut nudis pedibus ingredi, aut raſum verticem circumferre, aut in ſylvas abdi, aut habitare Tuguria volui; quòd exiſtimarem futurum, ſi tam pauperes velut Adamus in ſtatu Innocentiæ; tam incontaminati, uti Seraphini fuerunt in Cælo; Præſidum imperio

perio tam eſſetis obſequentes, quàm Patri ſuo Chriſtus extitit; ut, quas aliis Cœtibus Coronas tum veſtis aſperitas, tum Clauſtri ſolitudo contexuit, vel æquaretis, vel etiam vinceretis. Quo circa niſi demandati officii munera ſedulò exequeremini, nec pro meis vos agnoſcerem, nec temperare mihi poſſem, quin pro ea cura, quam inſtitutæ â me Societatis gero, prçceptionum mearum violatores eodem Petri dicto fulminarem. *Non es mentitus hominibus, ſed Deo.* Et quamvis, qui Leges convellunt exanimes, aut mortui palàm non procumbant; ruinæ tamen occultæ, imminentiáque ſupplicia longè ſunt Saphiræ funere deteriora.

55. Quis verò vobis ſenſus eſſet, ſi à fulminatorum Conjugum feretro animos potiùs caperem, quàm deſponderem? Revaleſco, inquam, nec repentinam mortem perjurorum illorum exhorreſco. Inducere enim in animum meum haud poſſum, eſſe aliquem inter nos, qui per nefas eripere Deo auſit,

quod illi Religiosè dedicavit: longè me terret magis Lothi uxor quæ repentè de femina in statuam mutata est: magísq; etiam, quàm ejus supplicium, ejus recordatio, quam âdeò severè Christus imperavit, animum meum commovet, atq; artus quatit. MEMORES ESTOTE *uxoris Loth.* Hoc nimirum, hoc est, quod sanguinem mihi eripit, & omnem ex animo fiduciam delet. Certè Ananias facto ipso peccavit, consecrati videlicet pretii sibi parte reservatâ. Hæc contrà, nec ad suburbia Sodomæ, nec ad mœnia rediit: urbem duntaxat respexit, & ob unius obtutûs audaciam, vitam perdidit, & formam. Itaque reus est mortis, non is modò, qui datam fidem perjurio fefellit, ipsóque opere debitum receptis Ritibus cultum proculcat, verùm ille quoque sibi horrendum excidium accersit, qui aliquantulum de constantia propositáque firmitate remittit. Certè neque Lothus, nec ullus ex ejus familia è damnata ditione se discessurum juravit, aut reditum

Luc. 17. 32.

sibi

ſibi nuncupato Voto interdixit. Nihilominus quæ relictæ Patriæ gloriam uno contuitu, quodam veluti humanitatis ſenſu, inobſcuravit, non mortem ſolùm oppetiit, ſed eſſe corpus, & cadaver, quod humari poſſet, deſiit. *Memores eſtote uxoris Loth.* Quis jàm hujus moniti terrore non obrigeſcat, qui affectum atque animum referat vel ad patriam, quam deſeruit; vel ad conſanguinitatem, quam contraria ſuadentem non audiit; vel ad dignitates, quas ſprevit; vel ad commoda, quæ neglexit; vel ad luxum, quem velut omnis Pietatis excidium, & actam de pauperibus prædam eſt execratus? Moritur enim verò, qui nullo patriæ deſiderio procul explorat, num paterna domus ardeat, & cognati flammis hauriantur: Et vivet is, qui neceſſariorum ſuorum negotiis vacat; quem Patriæ ſuæ cura ſolicitat; qui amicorum cauſis ſe implicat; qui familiarium ſuorum fortunæ applaudit; qui Dignitates, Magiſtratus, Infulas Domeſticis & Gentilibus

ſuis conquirit; qui, cùm miſerari debe-ret eos, qui ad honorum faſtigia lethali plerumq; vertigini obnoxia evecti ſunt, miratur, palpat, extollit: & ceu Chri-ſtus non Paupertatem ſanctam, & divi-tias infelices appellâſſet, papilionis in-ſtar illuſtres Principum ſplendores, vel cogitatione, vel cupiditate circumvo-lat, ſuáſque interdum pennas in ea flam-ma relinquit. Quî fieri poteſt, ut mo-deſtiam Chriſtianam, & vitam Religio-ſam non averſetur, qui Magnates tantis plauſibus effert, tantíſque laudibus ſe-culi triumphos celebrat? Et ſi faſtidiú ejuſmodi animos noſtros occuparet, quis noſtrûm ſe ab illius ingratiſſimæ Gentis ſacrilega nauſea intactum ſerva-ret, quæ Deum coëgit, magnam par-tem Electi ſibi populi venenato igne ab-ſumere? Deſcribitur hiſtoria vigeſimo primo Numerorum capite. Poſt diu-turnum per Arabiæ deſertæ circuitum, Panis Angelici faſtidium Iſraëlitas cepit, ut jacere in Cælum querimonias aude-rent, ollis, cæpiſque Ægyptiis Cæleſte

Man-

Manna poſtponentes. *Anima noſtra jam nauſeat ſuper* CIBO ISTO LEVISSIMO. Incredibile dictu eſt, quàm querelis adeò impudentibus offenſus ſit Deus. Siccine vos, qui non ita pridem, cùm cæleſte Coriandrum videretis, tanto favore attoniti, lætique miraculo exclamabatis. *Manhu? quid eſt hoc?* Jam cibum omnes Regum dapes ſapore vincentem pertæſi ad paludoſos cucumeres aſpiratis, ſuſpiratiſque carnes Ægyptias? Hæc ingrati animi labes nec Phineæ gladio Idololatras trucidantis, nec vaſtis terræ hiatibus in ſeditioſorum exitium apertis expiari poteſt: inuſitatis noviſſimíſque ſuppliciis tam novum & inauditũ ſcelus vindicandum eſt. *Quam ob rem miſit Dominus in populum* IGNITOS SERPENTES. Tanquam ſi Deus diceret: His, qui meas epulas ſervilibus menſis anteponunt, non ſatis ſunt vel aſpides, quorum veneno tollantur, vel fulmina quibus in cineres redigantur. Igitur venena flammis jungamus, & in populorum ingratiſſimorum excidium,

Num. 21. 15.

dium, qui prodigiosæ dapis fastidium, & anonæ servilis appetentiam in animis suis conjunxerunt gemina suppliciorum ac carnificum monstra componamus. Jam verò acerbiore supplicio dignum, & fædiore ingrati animi crimine maculatum negabimus, qui, cùm primis Religiosæ vitæ annis summâ animi sui voluptate ac Societatis veneratione, momentis, locísque omnibus exclamare solitus esset, *Manhu? quid est hoc?* nunc verò vitæ genus tam sanctum fastidiret? osculabatur miser, imò tunc minimè miser, vestis suæ centones, tanquam Principis purpuram; arripiebat ultrò semesi panis reliquias, tanquam Assyriorum Regum cupediæ forent: lætabatur, projectum à se patrimonium, antequam id sibi mortis necessitas eriperet. Mille grates Cælo rependebat, quòd mortalis Parentis loco, Patrem sibi Deum dedisset: Palàm profitebatur coram sodalibus nuper suis, seculi dignitates non aliud, quàm deceptorum hominum prestigias; & opprobrium Christi ve-

sti veram demum immortalitatem gloriæ, & virtutis triumphum esse. Jam quoties aut vestem mane caperet, aut sub noctem poneret in solum usque, pronus se submittebat, quòd videret se Christi servis accensum, institorem factum æternitatis: cum haud dubiâ spe, fore, ut olim cum Deo regnet, & extremâ mundi luce super Apostolorum Thronos omnium populorum Judex considerat. Secundum hæc in contraria mutatus, ac tam beatam sortem pertæsus sacrorum votorum aureas catenas diffringit, Sanctarum Legum pretiosa vincula abrumpit, Religiosæ Disciplinæ sacratissimum jugum excutit, noxiæ libertati corporis sensus & facultates animæ redonat, ipsâ vivendi licentiâ magis quàm linguâ vociferans. *Dominum nescio, & non serviam.* Hunc talem, qui tam bonæ Matris nec Filius, at neque Religiosi Ordinis privignus jam esset, certè Fundator noster jam Cælo receptus, nec pro Christi Milite, nec pro Vineæ suæ Operario agnosceret: quò

fieret, ut tantæ Matris informis abortus ſtultis Virginibus luce oleóque deſtitutis aggregatus, unà cum his æternam repulſam ferret. *Neſcio vos.*

56. Neque verò hyperbolica hæc oratio mea videri poteſt: haud enim acriora verba Legislatori noſtro commodavi, quàm audientibus, quos ducebat Populis, Moyſes protulerit. Hic, poſtquam Decalogum recitâſſet, ritus deinde ſanè per multos duodenis Tribubus promulgavit, edictúmque diris tam horrendis concluſit, ut qui eas audit, omnibus artubus contremiſcat. Si quis, edicebat Propheta, tam temerarius inter vos erit, ut ſecum ita diſputet: ego quemadmodum promptiſſimè duarum Tabularum præceptis obſequar, ita plurimis illis, minutiſſimíſq; notationibus, quæ ſcilicet duræ ſervituti omnes naturæ propenſiones ſubjiciunt, haud quaquam ſubſcribo, nec obedientiam ſpondeo. Si quis veſtrûm vel tacitus ita ſecum ratiocinatus fuerit: Quid curet Deus, veſcárne aut abſtineam tali volu-

crum

crum aut piſcium genere? Quid ad ejus cultum confert, ut toties abluar, totiéſque ſacrificem, quoties id facere immenſus Cæremoniarum liber jubet? Si quis poſt tam impias voces alias nihilo meliores adjungens, &, Deum, inquiet, amabo, ſtatuas abominabor, ſobolem meam, méque ipſum circumcidam, Decimas Sacerdotibus perſolvam, ab aliorum opibus, & thalamo mihi temperabo: quod reliquum eſt, hominem me eſſe recordabor, nec in tam moleſtas compedes temerè me immittam. Hæc, inquam, talia diſſerens iratum ſibi Cælum, superóſque omnes infenſos habeat. *Dominus* NON IGNOSCAT EI: *ſed tunc quàm maximè furor ejus fumet, & Zelus contra hominem illum* ET SEDEANT SUPER EUM OMNIA MALEDICTA, *quæ ſcripta ſunt in hoc volumine.* Tantundem ſibi dici audiret, qui ſervatâ ſolâ Religioſorum Votorum ſubſtantiâ, ſalutem nihilòminus, aut etiam perfectionem conſecuturus ſibi videretur. Sicut enim

Deut. 29.

qui

qui hæc ſacrilegio temeraverit, æternis ignibus ſe addicit, ſic qui eadem ornamentis ſuis per injuriam exuerit, maximo ſalutis periculo, graviſſimiſque pænis contemptæ Perfectionis ultricibus obnoxium ſe reddit. SEDEANT *ſuper eum* OMNIA MALEDICTA *quæ ſcripta ſunt in hoc volumine.* Animadvertatur autem vis Tropi, & devotionis vehementia terrorem incutiat. Non enim ſatis illi eſt, ſi hominem illum immenſa Moles ſuppliciorum, quæ in perduelles decreta ſunt, aut feriat, aut conterat: ſed incumbere, ſed inſidere firmiter tum artubus, tum animo delinquentis prædictæ omnes calamitates jubentur; ſic ut nunquam à virgis & plagis interquieſcat, & nunquam non ſub ictibus Aſiæ gemat. *Sedeant ſuper eum omnia maledicta.* Vereor autem nè prǫnunciati cruciatus tam firmiter conſideant, ut nunquam ab opprimendo Legum Violatore ſint diſceſſuri. Heu me! Virtutis inconſtantia ad horrendam Gratiæ jacturam viam ſternit, nec

levem

levem metum injicit, nè damnationis æternæ horrendum quoddam ſit præludium. Quod quidem diſſimularem, niſi palàm à Chriſto denunciatum, & ab Auguſtino creditum, atque ab eodem in voluminibus ſuis amplificatum fuiſſet. Expendens itaque S. Doctor tremendum illud effatum. *Oves meæ vocem meam audiunt*; Animadvertite, inquit, non univerſæ quidem legis obſervantiam à Servatore noſtro exigi, ut abditæ illius Prædeſtinationis veluti teſtimonium in te agnoſcas; ſed ut certis quibuſdam vocibus obaudias, quæ tanquam Teſſera Electos à reprobatis diſtinguunt. *Eſt aliqua* VOX, *eſt, inquam, vox aliqua Paſtoris* IN QVA OVES *non audiunt alienos, in qua* NON OVES *non audiunt Chriſtum*. Extat nimirum in ſacris Litteris Axioma ejuſmodi, è cujus præſcripto qui vitam inſtituunt, ſalutem ſuam in tuto collocant; qui negligunt, in certum interitum prolabuntur: ſuper eo, qui cæleſtis Regni ſocius cum Sacra Trinitate futurus eſt, cum

Tract. 45. To. 38. 173.

ſedu-

ſeductoribus non diſputat, ſed aures iis occludit, qui ſibi ut modum aliquem in fideli ejus obſervantia ſervet, Auctores ſunt. Contrà, quos infelix æternitas manet, ii edictum graviſſimum Chriſtianíſque omnibus propoſitum convellunt. *Eſt aliqua vox Paſtoris, in qua Oves non audiunt alienos, in qua non oves non audiunt Chriſtum. Quæ eſt iſta Vox?* QVI PERSEVERAVERIT *uſque in finem, hic ſalvus erit.* HANC VOCEM NON NEGLIGIT PROPRIUS, NON AUDIT ALIENUS. Intelligitis, opinor, veri Servi Dei; Quiſquis Perſeverantiæ Tabulam non amplectitur, ſubmergetur. Illi duntaxat portum tenebunt, qui, dum in præſentis vitæ pelago fluctuant, Sirenibus illis aures occluſerint, quæ à propoſitæ virtutis firmitate, & fervoris conſtantiâ nituntur ipſos abducere. *In qua* OVES NON AUDIUNT ALIENOS. Qui Agnus Chriſti eſt, is quàm primùm adulatorum à Crucis complexu ipſum avocantium vocem exaudit, in Leonem ſe con-

convertet. A quibus diversi prorsus atque alieni Iræ Filii, quorum temeritatem Christus nullis objectis repagulis sistit. *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit. Hanc vocem non negligit proprius, non audit alienus.*

57. Neque verò sibi quisquam blandiatur & dicat, fieri non posse, ut, qui vitam agit in Ordine Sanctissimis Legibus instituto, tametsi nonnihil de studio virtutis remiserit, subinde non damnet incuriam suam, & in complexu Sponsi extremum diem claudat. Faxo enimverò, ut Fiduciæ tam debili fundamento innixæ animus concidat, transplantatâ in hanc Aulam portentosâ illâ arbore, ex qua suspensus Judas crepuit. Vitam perfidiosissimus Proditor in Collegio Apostolico sub ipsius Dei ductu, ac Magisterio egerat. Nihilominus, postquam ab ea, quam primò sibi proposuerat vitæ sanctitate abduci se passus est, ad commovendum ejus animum, nec Messiæ monita, nec collata Sacerdotii dignitas, nec, cùm Cœ-

næ

næ adhiberetur, miſsûs Servatori communis favor, nec Azymorum Religioſa Solemnitas, nec pacis oſculum, nec Verbi humanam naturam induti primùm ad pedes ſuos proſtrati, ſubinde in horto ſanguineo ſudore ſuperfuſi ſpectaculum quidquam valuêre. *Judas de Apoſtolatûs faſtigio in proditionis Tartarum labitur, & nec familiaritate convivii, nec intinctione buccellæ, nec oſculi gratiâ* FRANGITUR, *ne quaſi hominem tradat, quem Filium Dei noverat.* Hæc Hieronymus. Eadem ego quoque ingemino longè maximâ, quæ in reſurgendo eſt, difficultate attonitus. Neque verò Judas uno, lethalíque ſaltu ex apice Apoſtolatûs in proditionis barathrum præceps iit: Pedetentim eò uſq; devenit, ut vel Luciferum ſceleris improbitate ſuperârit. Indulſit ille non nihil amore peculii depoſiti, quod in Divini Magiſtri, atque undecim Diſcipulorum neceſſitates aſſervabat: ſubinde ab amore ad rapinam argenti progreſſus eſt. Poſt hæc adeò divitiarum cupiditati ſe per-

Ep. 3. ad Heliod. Jo. 17. 20.

permisit, ut triginta nec amplius solidis Verbum Æternum Pharisæorum furiis vendiderit. Cæterum sub prima Apostolatûs exordia nullo Apostolorum, inferior erat ille infelix demum latro. Etiam ipse non minùs, quàm alii Discipuli, pro sanctissimæ Doctrinæ, quam à Magistro acceperat, confirmatione prodigia edidit; sanitatem ægris restituit, Energumenos Dæmonum Tyrannide, liberavit. Si quis porrò primam labem quam animus ille detestabilis passus est, divinare posset, deprehenderet is, vastam illam sacrilegiorum admissorum, voraginem pandi cepisse à foramine, non laxiore, quàm quod digito aperires; nempe vel ob somnum non promptè interruptum sub auroram, ipsúmq; temporis, quo precibus vacandum erat, momentum: aut ob jejunium ante solis occasum solutum: vel ob voculæ, quâ perstringebatur impatientiam: seu deniq, ob levissimam gloriolam patrata manibus suis miracula interposito scilicet nomine Messiæ, quem prædicabat, jactan-

jactantis. Tam longè nimirum procurritur, cùm ab arrepta semel virtute vel latum unguem deflectimus. An majorem hujusce rei testem requirimus, quàm celebrem illum Colossum Regibus Chaldæis Babylone visum? Nihil interesse videbatur, quòd aureo capiti, pectus non usquequaque responderet, quod tametsi metallo tam puro non constaret, ex argento tamen erat. *Hujus statuæ caput ex auro optimo erat*, PECTUS *autem & brachia* DE ARGENTO. Ain verò statuam in ignobilius metallum degenerare? jam vos non ruituram modo, verùm etiam ex auro tam perfecto in impium ferrum, & fragilissimam cretam abituram expectate. Quæ tam pervulgata historia est, ut si referrem, & injuriam vobis facerem, & abuti tempore videri possem. Quisquis itaque in Votorum suorum perfectione torpere cœpit, non credat se in mediocritate quadam virtutis perstiturũ. Imò è Religiosæ Disciplinæ prototypo, in perniciosæ, abominandæ, & miserabilis licen-

Dan. 2.32.

licentiæ monſtrum convertetur; & tametſi eum inſtituti quod profitetur, excellentia in ſolidiſſimum Coloſſum erexiſſet, ad ictum tamen lapilli unius in minutiſſimum pulverem diſſolutus ventis ludibrium fiet. In peſſimos optimi evadunt, ſi aliquantulùm mutantur.

58. At quoniam Hieroglyphicis plena fides haberi non poteſt, tranſeamus à ſymbolis ad Annales, & peroremus. Cùm Bernardus in Chriſti ad mortem damnati contemplatione alienatum à ſenſibus animum defigeret, audirétque populum contra mitiſſimum Servatorem vociferari: *Tolle, tolle, crucifige eum.* quodam miſerantis animi, & ardentis amoris æſtu abreptus credidit, tam impias voces ex Idololatrarum faucibus erupiſſe, & Crucem in urbibus Tyri aut Sidonis, in quibus conſceleratis Numinibus Thus adolebatur, & Deus Abrahami maledictis impetebatur, Dei Filio ſtatui. Itaque Meſſiam velut indignabundus alloquebatur. Et, ò mi Deus, inquiebat, cur Hieroſolymis es

 egreſ-

egreſſus, quorum Cives effuſo agmine obviam progreſſi, protenſis jactatiſque per viam palmis te Regem Iſraëlis conſalutârunt? Quem in finem à Colonia tam ſancta digreſſus, ad gentem tam nefariam te contuliſti, in qua ſi fortè Chananæorum Mulierum aliqua Numini tuo Aram ponit, infinita eorum turba eſt, quæ Crucem tibi attollat, & vitam eripiat? Sic dicebat, querebatúrque Religioſiſſimus Contemplator, cui amoris vehementia mentem, & Hiſtoriæ memoriam abſtulerat. Ah! Bernarde, non Tyri verſatur, nec Sydone JESUS contemnitur. Clamores Populi Sionis plateas perſonant, & Civitas, in qua degere Chriſtum cupis, illa eſt, quæ ad Columnam religatum flagellis cecîdit, quæ in Prætorio ſpinis coronavit, quæ in foro latroni poſtpoſuit, quæ in hoc uno curas omnes conſumit, ut eum inter geminos latrones tribus clavis Cruci confixum pendentem videat. Illa, illa Civitas quæ non ante aliquot luſtra, ſed ante pauculos dies Filium

lium

lium Hominis celeberrimâ pompâ receperat, & per omnia compita festis vocibus inclamârat. *Hosanna Filio David:* Illa jam adversus eum rugit, ejúsq; mortem flagitat, frustra repugnante vel Innocentiâ, quam agnoscebat; vel prodigiis, quæ ab eo patrata fatebatur. Quod ubi advertit Bernardus cadentibus in ora lachrymis exclamabat. *O quàm dissimile* REX ISRAEL, *& non habemus Regem nisi Cæsarem. quàm dissimiles* RAMI VIRENTES ET CRUX, *flores & spinæ.* Ita nimirum illæ quoq; animæ, quæ præter Christum imperare sibi neminem patiebantur, aliam à Cruce sponsam non amabant, quorum desideria universa in sola Demissionis Evangelicæ abjectione sic acquiescebant, ut eorum vanitatem riderent, qui exedrarum ac gloriæ ambitione tangerentur: ambitionis subinde mancipia, factæ, ac repudiato omni eo, quod vel corpori vel animo molestum est; in ea ipsa schola, in qua contumelias, & opprobria non æquo duntaxat animo, ve-

Ser. 3. in Annunt. To. 9. 221.

rùm etiam libenti tolerare Christiana patientia nos docet: Icari sibi alas accommodant, quibus se ad fluxæ dignitatis gradum aliquem efferant; cúmq; nullum deliciis esse locum vident, ubi Paupertas regnat, omnémque peregrinum fulgorem à Crucis obscuritate, quæ sola lux nostra est, excludi sentiunt, exiguas illas laudes, quas illis Puerorum, quos docent, peranguſtum sanè Theatrum decernit, in amplissimæ gloriæ & triumphi argumentum trahunt. Denique cùm nec odoriferas rosas, nec inauratos Narcissos herilium commodorum spinis Crucifixi possint innectere, lappas saltem, malvásque, hoc est furtiva subsidia, vetitáque Legibus fomenta, conantur inserere. Itaque, qui paulò antè otium cane pejus & angue oderat, jam laborem ceu grave jugum fugit, & Evangelicæ Legis severitatem detestatus ipsis Virorum Nobilium lautiis videtur invidere. Quibus rebus omnibus id demum Infelix consequitur, ut Hierosolymitanam Catastrophen renovet, ac men-

mente magis quàm linguâ, moribus magis, quàm vocibus clamet. Crucifigatur Crux, imperet otium! *Quàm dissimiles* RAMI VIRENTES ET CRUX, *spinæ & flores*! Videre nimirum est aliquando mollis otiosæque vitæ corollis redimitos, quorum tempora nuper spinæ ac Rubi coronabant. Neque hoc tam miserabilis Metamorphosis maximum malum est. Quippe si tam monstrosa mutatio in aliquem nostrûm caderet (à qua ut abesse plerosque dico, ita vereor, ut absint omnes) minùs profectò inconstantia nostra quàm Judæorum, qui Christo dirissimæ necis auctores fuerunt, inexcusabilis foret. Equidem haud diffiteor, populum illum in contraria versum esse, sed enim Scribæ litterati, opulenti Pharisæi, Sacerdotes Bysso adoperti, Pontifices Infulis ornati eum de sententia dejecerunt. *Principes autem Sacerdotum & Seniores* PERSUASERUNT POPULIS *ut peterent Barabbam, JEsum verò perderent.* Quis verò nostrûm, qui ab arduo Perfectionis cli-

Matth. 27. 20.

vo, & orandi ſtudio in deſidiæ, profanarúmque actionum plana devolvitur, cauſari poteſt, ad id ſe vel graviſſimorum Patrum auctoritate permotum, vel laudatiſſimorum de Societate Virorum exemplis provocatum fuiſſe? Nempe ſi verum fateri volumus, ſodalis unius ignaviâ, & otio marcentis oratio vel aſpectus, conſtantiam noſtram expugnavit. Quæ imbecillitas degeneris animi S. Auguſtinum inſolabili dolore lancinabat: Is enim cùm audiret, Conſtantes Dei ſervos à Davide hortenſibus arboribus comparari, miram quandam arborum calamitatem deplorabat. Videbitis, inquit beatus Scriptor, Ceraſum ac Pyrum in eam proceritatem tum ſtipitis, tum ramorum, eámque pictorum fructuum ſpeciem excreviſſe, quam Princeps ſtirpium illarum cultor optaverat. Nihilominus, ſi accidat, ut Colonus arborem ſupernè truncet, alteriúſque generis tenuiſſimum ſurculum trunco inſerat; arbor tota poſtquam reviruit, adolevítque, fructus profert non

non radici, quæ in altum depressa eam sustentat, nec trunco cui innititur, sed insititio surculo similes, quem stipitis lateri ferrum inoculavit. *Quod enim inseritur*, HOC CRESCIT, *& invenitur* NON RADICIS FRUCTUS, SED SURCULI. Ergóne tot annorum Disciplinæ, cui assuevimus; tot monitis, quæ à virtutis Magistris accepimus; tot exemplis optimorum senum; tantæ Legum seu scriptarum, seu per manus traditarum, Divinorúmq; impulsuum quibus tanto tempore obsecuti sumus, Sanctitati; promissis denique Perseverantiæ præmiis, & decretis Inconstantiæ suppliciis, anteferemus aut tepidi Condiscipuli pestiferum consilium, aut perniciosum exemplum Viri, quem à Calvarii ascensu lassitudo revocavit, & in arenosæ vallis paludes præcipitem egit ignavia? Avertat bonum Numen, ut unquam in Domo tam Sancta, ut hæc est, inter Religiosos tam ferventes, quales sunt omnes hujus primariæ nostræ Academiæ Alumni, ullus adolescat, qui

In Psal. 72. To. 12, 279.

non in dies, & in virtutis ſtudio, & exempli claritate proficiat. Singuli atque univerſi quemadmodum Sanctos Magos Munerum Chriſto Nato datorum pretio ſuperamus, ita ſpero nos ipſis nec in virtutis profectu, nec in conſiliorum ſanctitate ceſſuros. Ita quidem facient omnes, imò verò faciunt.

EXHORTATIO XVII.

In Pervigilio Epiphaniæ.

Venimus adorare eum. Tunc Herodes mittens illos in Bethleem, dixit: Ite & interrogate diligenter de Puero, ut & ego veniens adorem eum. *Matth.* 2.

PEjores Herode, multóque perniciosiores illi Religiosi sunt, qui à pristino fervore degeneres à Disciplinæ studio revocare conantur, quos vel ætate, vel loco præcedunt. Quo sacrilegio nihil est aut magis invisum Deo, aut virtutem ex animo colentibus exitiosius. Hujus reus est, qui perfectionis incurius vivit, tametsi verbis abstineat.

No-

Nocet enim exemplo, quamvis pravis consiliis parcat. Rejiciamus tepidos, palámque profiteamur: Duces nobis Sanctos nostros Parentes semper futuros, non illos qui frumentum electum suffocant, & abominanda Zizania disseminant.

59. QUàm gratus jucundúsque amatoribus Christi accidit adventus Magorum, qui omnes exemplo suo primi docuerunt Christo Puero consecrare quidquid vel haberent, vel essent: tantam iisdem pariit molestiam Herodis incredibiliter anxii, furentísque in Sanctorum Regum accessu metus, atque tristitia. Miseram enim verò acerbámque sortem! quod in vita Christiana nunquam à virtutis amatoribus, qui munera, & sacrificia Christo pro salute nostra in fœno deposito deferre parant, disjungantur animi tepore languentes, & improba corda; quæ ad colendum Messiam euntium itine-

itinera obſident. Semper, inquam, veris Orientis Divini Aſtronomis theſauros Regnorum ſuorum, & mentis ſuæ affectus dedicare cupientibus ſe ſe Herodes aliquis, infenſus virtuti & Servatoris inimicus opponit; qui ſacratiſſima Holocauſta & religioſæ Pietatis obſequia improbet: linguâ lapſus ſum; cogórque, tum ut nè mentiar, tum ut ab impio illo Tyranno ſcelera, quæ non admiſit, removeam, quod dixi indictum velle. Tametſi enim Rex iniquiſſimus novum Iſraëlis Principem odiſſet, non tamen Magis dona, quæ Illi ferebant, rapuit, aut à deſtinato ad tugurium itinere prohibitos vetuit pedibus Infantuli centonibus malè tecti, & quod miſerius eſt, in ſtramentum abjecti, capita coronata ſubmittere. Quin oppidulum quoque ubi eum naſci oporteret, demonſtravit: Cúmque profiteretur, ſe quoque faſciis, quibus Imperator Cæleſtis involutus eſſet, proprium diadema ſubſtraturum, animos inſuper iis addidit, ut iter proſequerentur, ut Urnas ef-

fun-

funderent, séque ipſos Divino Monarchæ vectigales ſubditóſque dicerent, dicaréntque. *Ite, & interrogate diligenter de Puero, ut & ego veniens adorem eum.* Quod dum mecum ipſe perpendo, adeò commoveor animo, ut lingua, me ratióque deficiat, & quo me vertam prorſus ignorem. Quòd ſi enim hâc veſperâ dicendum mihi eſt, quid de iis ſentiam, qui bonorum ſtudia, & obſequia, quæ Chriſto alius ſua vota inſtaurando, alius verò vitam ſuâ ad omnem ſanctitatem conformando meditatur, vel pravis exemplis, vel perniciosis conſiliis remorari conantur: cogor contaminare hunc locum dicto aliquo nunquam fortè à vobis aliàs audito, nec cogitato; quódq; blaſphemiæ ſimile, primo quidem aſpectu, videri poſſit. Audite quid dicam. Non conſtitui hodie quemquam veſtrûm ad trium ſanctorum Regum, qui Dei Filium ſacris muneribus, Auri, Thuris, & Myrrhæ devenerati ſunt, imitationem provocare. Quippe, qui hoc ipſum exequi ſtatuit, acri-

acriùs ad votorum ſuorum metam properat, quàm ut ſtimulis habeat opus. Ad illos igitur verba facio, qui propriâ ſocordiâ non contenti, aliis perfectionis ſtudioſis palmas ſuas invident, & deteſtabili temeritate pietatis iter illis interrumpunt, ut nè ad abſolutiſſimam vitæ perfectionem, & beatam ſortem flenti, trementiq; Infantulo famulandi contingant. Hos ego, per quidquid ſacrum eſt, quæſo, atque obteſtor, ut ad Herodis exemplum ſe conforment, & ut minùs pernicioſi, planéq; non ſint peſſimi, illo nolint eſſe pejores: ídq; in Dei domibus præſtent, quod crudelitatis illud, & turpitudinis monſtrum inter execrabilis ſuæ domûs parietes agere non dubitavit. Averſentur, ſiquidem iis ita lubet, cum Herode Servatoris præſepe, atq; omnia illa lineamenta quæ in ſtabulo, quod præſentiâ ſuâ Deus Cælo auguſtius reddidit, vitam Religioſam adumbrârunt: dummodo à Chriſti mendici cultu, & à Paupertatis ſuæ rationibus eos non retrahant, qui eam voto profi-

profitentur. Ut adeò in paucissimorum quorundam infelicitate utcunque acquieturus sim, siquidem illi Tyrannum tot diris devotum, sanguinis domestici hirudinem, & juratum Christi nati hostem in ea quam diximus, parte imitentur. Tam monstrosa impietas, quæ ad Cunas Servatoris currentes supplantat, nonnunquam intra Religiosa etiam claustra nefario ausu se penetrat: atque hoc primum consectabitur Oratio mea: videbimus deinde quâ ratione tam enorme flagitium perpetretur ab iis, qui Bonis Bonum dissuadent. Denique, si tempus patietur, optimum quemque clypeo communiemus, quo se adversus virtutis suæ insidiatores tueatur.

60. *Venimus adorare eum. Audiens autem Herodes Rex turbatus est.* Incredibile dictu videtur, quòd homo Evangelicis præceptis eruditus propriâ tepiditate contentus non sit, nisi ardoré quoq; in ferventibus restinguat. Nihilominus haud ausim feliciorem mihi Præfecturam

ram polliceri, quàm Gregorii Magni gubernatio fuerit. Hic coram Orbe Chriſtiano univerſo non dubitavit profiteri vivere Romæ ſub ductu ſuo Sacerdotes & Clericos otio atq; ignaviâ tam perditos & virtutis conſectandæ tam ſupinè negligentes, ut propriis detrimentis non contenti, pedes eorum, qui vel ad Chriſti Præſepe lachrymis perfundendum, vel ad Calvariæ Montis apicem per inſignem vitæ aſperitatem conſcendendum curſu tendebant, damnatis artibus implicarent. Exponens igitur verba illa, quæ Ezechiel ſecundo Viſionum ſuarum capiti inſeruit: *Increduli & ſubverſores ſunt tecum*; flens, clamans, ejulans. Igitúrne inquit, ſatis improbis hominibus non eſt, graviſſimam obligationem, quam iis ipſum vitæ genus, quod profitentur, imponit, flocci feciſſe; niſi Sanctuarii Miniſtros in terram proſternant, & in pulvere verſent, & tum à frequentia in Choro, tum à Divinis officiis eos, qui Pſalmos concinunt, & ſacris operantur retrahant?

Ezech. 2.

hant? *Increduli.* Turpe hoc quidem homini Christiano, & animadversione dignum facinus est, præmiorum juxta & suppliciorum, quæ vel beatos, vel damnatos manent, oblivisci: At verò propriam felicitatem simul contemnere, simul alienam detestabili perfidia oppugnatum ire, Cæli aspectum intentis in illud oculis invidere, morum deniq; suorum licentiam alienæ modestiæ ruinâ involvere, id demum sacrilegium est flammis vindicandum. INCREDULI ET SUBVERSORES. *Minùs mali essent* (sunt eæ dolentis gementísq; Pontificis voces, in homilia nona super paulò antè relatum Prophetam) *si qui increduli sunt*, SUBVERSORES NON FUISSENT. *Hi namque* SI TENERIORES *quosdam bona incipere, & mala devitare conspexerint*, MODO IRRIDENDO, MODO DESPICIENDO, MODO LAUDANDO, CORDA INNOCENTIUM DEFLECTUNT, *eorúmque itinera pervertunt.* Eo prorsus modo Innocentium animos hoc genus

Hom. 9. in Ezech. To. 32, 100.

nus

nus insidiatorum vulnerat, quo Joabus Parricidam Absalomum confecit. En tibi tres lanceas, quas illi virtutis hostes pectoribus eorum infigunt, qui à minimis quoque labeculis puros se se conservant. MODO IRRIDENDO, MODO DESPICIENDO, ET MODO LAUDANDO *Innocentium corda deflectunt*. Itaque impium certamen à ludibriis auspicantur, profectûs sui sollicitos ac salutari timore anxios, velut inexpertos rident, & vultus eorum pudore confundunt: eorum animum ac frontem tum candore individuo comite custodiæ sensuum, tum purpurâ, quâ suorum alumnorum genas verecundia pingit, exarmare allaborant. Ubi pudori non cesserit, quem impugnant, contemptûs Arietem admovent, pulsant, quatiúntque reluctantem. Quem impetum vix est, qui immotus excipiat: nam qui honestis natalibus, ingenióq; non hebeti præditus est, minus grave arbitratur mucronibus offerre pectus, quàm ludibrio atque contemptui esse, MO-

DO IRRIDENDO, ET MODO DESPICIENDO. Muſſant at ſic ut exaudiri ab iis, quorum Religionem derident, poſſint: Iſtis etiamnum labra primo lacte madent, quod in vitæ Religioſæ infantia inſtillatur iis, qui renaſcuntur in clauſtris. Neſciunt miſelli, quàm adultos dedeceant ſcrupuloſæ anguſtiæ, quibus veluti faſciis infantes, qui nuper in lucem prodiêre involvi ſolent. In præceps ruere ſe arbitrantur, ſi Matris brachia exeant, ſi pedibus ſuis paſſum figant. Quaſi verò qui tutelam jam receperunt, alterius arbitrio uſq; eſſe obnoxii debeant, quemadmodum puerili nutricis ductu opus habent, cùm primùm ingredi ceperunt. Quem ergò in finem è Probationis Domo in Collegia translati ad ſtudia Litterarum fuimus, ſi tam caſtigatè, tam modeſtè, tam obnoxiè, tam religioſè vivendum erat, ut in illis vivebatur? Sub hæc ab iis, quibus venenata ſibila noxiarum ſuaſionum hactenus neglectui eſſe vident, contemptim vultum avertentes eos grandes pue-

pueros, & viros etiamnum ab ubere pendentes appellant. Quodsi quis eâ est circumspectione, atque constantiâ, ut amaros eorum risus rideat, ac interrito vultu quamlibet torvùm tuentes ferat, audeátque contemnere perniciosam eorum familiaritatem: eum illi extremo agmine suarum laudum circumfundunt, quorum blanditiis vix est inter homines natos ullus, qui non se dedat. Peramanter itaque eos monent, haud obscurum sibi esse, quot quantísque naturæ, generis, propriǽq; industriæ ornamentis sint exculti. Promittunt, si ad communis vitę modum se conforment; contemptâ pristini moris infantiâ, Domûs delicium, ac totius Ordinis ornamentum futuros: nominis celebritatem, populorum studia, Cathedrarum fastigia, Magistratuum honores, admirationem universorum, iis tanquam è Tripode vaticinantur. Tam gratis auguriis eos titillant, solicitántque, ut ab immortalibus Cedris nivalis Libani ad lenem Jerichuntinorum pratorú tem-

periem ſe demittant, & Regionis quidem illius virentia Roſaria iis commonſtrant; at enim lethales illius angores, quibus oppreſſus eſt, qui eò loci in militari via ſpoliatus, & vulneratus à Latronibus fuit, dextre diſſimulant. *Modò irridendo, modò deſpiciendo,* ET MODO LAUDANDO *Innocentium corda deflectunt, eorúmq; itinera pervertunt.* Nempe quod addit Gregorius. *His ſua pœna non ſufficit, id agunt* NE SOLI MORIANTUR. Quaſi verò ſubjungit Gregorio Epiphanius. MULTITUDO PECCANTIUM CRIMEN MINUAT, ET NON NUMEROSITATE LIGNORUM MAJOR GEHENNÆ FLAMMA SUCCRESCAT.

Epiſt. 73. To. 17. 298.

61. At enim mirum, inquies, non eſt, talem Impoſtorum fæcem ſub Gregorii Pontificatu in hac Urbe viſam fuiſſe; eâ nimirum tempeſtate, quâ in orbe Chriſtiano tunc depravatiſſimo in iiſdem plateis confuſi, permixtíque agitabant Catholici, Ariani, Manichæi, & Agnoitæ: unde proclive cogitatu eſt, ab

ab hominibus Hæresis veneno infectis eos, qui virtutem colebant, aut derisos, aut contemptos, aut oppressos fuisse. Jam verò ab Electo Religiosorum Cœtuum Grege non modò ea mali contagio procul est, verùm etiam metus: in quibus videlicet omnes Christi Agni, Angeli sunt fide, moribus, lanæ candore, pabuli salubritate, Pastorúmq; curâ pervigili. Totum id quidem de Ovili Societatis nostræ verè dici existimo. Non eam tamen Sanctis Mileti gregibus audeo præferre, quos tres ipsos annos fletu, sermone, exemplo, dies noctésque Sanctus Paulus pavit, ac rexit. *Vigilate, memoriâ retinentes, quoniam* PER TRIENNIUM *nocte & die* NON CESSAVI *cum lachrymis monens unumquemque vestrûm.* Tamen è Cœtu tam bene instituto, & tam parvo credentium numero oves dissipandas devorandásq; à Lupis prædixit Apostolus. *Ego scio* QVONIAM INTRABUNT LUPI RAPACES *in vos* NON PARCENTES GREGI. Hoc etiamnum parum

Act. 20. 31

 est.

eſt. Prævideo, inquit, futurum, ut ex vobis ipſis, qui modò me auditis, & inſolabiles lachrymas in amplexus meos infunditis, Baſiliſci ſurgant, qui occidant, & Dracones qui devorent, cum irreparabili pernicie ſimplicitatis Chriſtianæ, & ejus, quam tradidi, doctrinæ. Non magnopere vereor Neronis Miniſtros, cujus immanitas quantò crudeliùs ſæviet, tantò pluribus cælitibus noſtras Catacumbas implebit. Degeneres animos vereor, qui Confeſſores Chriſti, aut in victimas vanitatis, aut etiam in Fidei Deſertores commutabunt. ET EX VOBIS IPSIS *exurgent* VIRI LOQVENTES PERVERSA. Quod ſi verò è ſubterraneis ſpecubus in quibus Gentium Doctor Cælo Martyres educabat, integritatis corruptores emerſerunt; quæ deinceps Sodalitas immunitatem ſibi à corruptelis arrogabit, ut planè ſecura ſit, vel à dictis, vel à factis, quibus aut debilitatur virtus, aut prorſus evertitur? Heu me! quàm metuo, ne qui ſocietatem ſuam ſanctiſſimis Legibus,

bus, veluti quandam ſanctitatis ſcholam inſtituit; in qua ſuppares Apoſtolis Diſcipuli Eccleſiæ Chriſti formarentur ab excelſa illa Beatorum ſede filios ſuos inclamet. ET EX VOBIS IPSIS *exſurgent viri loquentes perverſa.*

62. Sed hic quoq; eſt, qui dicat, luctuoſiſſimam ejuſmodi calamitatẽ Aſiaticis Chriſtianis inſtitutis quidem ab Apoſtolo; ſed non item voti Sacramento adſtrictis incubuiſſe; infelicéſq; Neophytos tunc oppreſſos ea clade fuiſſe, cùm à Magiſtro ſuo, quem neceſſaria in Judæam profectio ipſis eripuerat, eſſent deſtituti. INTRABUNT *Lupi rapaces in vos, & ex vobis ipſis exſurgent viri loquentes perverſa.* Augurio verò tam funeſto præmiſerat Apoſtolus id eventurum ſcilicet, poſtquam ipſe fuiſſet digreſſus. POST DISCESSIONEM MEAM. Apud nos verò attentiſſimâ diligentiâ oculatiſſimi Rectores pro diſciplinæ noſtræ conſervatione excubant. Et primùm quidem Reſpondeo, non defuiſſe gregibus Mileſiis Præſides,

vero primævæ Ecclesiæ spiritu imbutos, & à Christi sanguine tum quoque adhuc tepente incensos ad vitam pro populorum sibi commissorum salute, cùm ita res ferret, profundendam: quos videlicet perdocuerat Paulus, sibíq; Vicarios substituerat. *Attendite vobis, & universo Gregi, in quo vos* SPIRITVS SANCTUS POSUIT EPISCOPOS *regere Ecclesiam Dei.* Ajo præterea, tametsi, quod non crediderim, Magnanimi Athletæ illi Cruci se per vota primis, qui Hierosolymis erant, Christianis usitata, non confixissent, explevisse illos tenacissimi hujus vinculi vicem Baptismi novitate, sitique Martyrii. Nihilominus nè orationis simplicitatem in Quæstionum conflictus mutemus, cum Hieronymo ad Eremos transeamus, dispiciamúsq; utrum interDei servos nulli Disciplinæ impugnatores delitescant. Quis negare ausit, inter omnia Orientis Cœnobia ea longè celeberrima fuisse, quæ erant in Nitria, quorum incolis Monachis pro cæna erant crudæ radices, & lym-

lympha: Non diſſimilis victui veſtis, aut etiam gravior: cùm aſperis ciliciis, hirto ſacco, & duriſſimis ſtoreis ſe tegerent. Erant earum ſpeluncarum habitatoribus vigiliæ longiſſimæ, anguſtiſſima quietis, longiſſima precandi ſpatia, perpetuum ſilentium, continuatus labor in iis horis, quas vel Pſalmodia in Choro, vel mentis inter contemplandum abalienatio reliquas fecerant. Nihilominus inter tam numeroſas cohortes aſperrimæ vitæ ſectatorum non defuerunt, qui Crucem odiſſent & aliorum fervorem ſuâ glacie reſtinguerent. *Contendi in Ægyptum, luſtravi Monaſteria Nitriæ*: ET INTER SANCTORUM CHOROS ASPIDES *latêre perſpexi.* Torquet enimvero animum meum tam mæſta narratio; útque conſtet, quàm juſtæ nobis ſint cauſæ timoris, ita porrò diſſero. Quod ſi per vaſtas ſolitudines, quas vitæ genus plus quàm humanæ proximè Cælo admovit, penitúſque à mundo avulſit, fædæ tamen Harpyæ inter] innocentiſſimas

Lib. 3. adverſ. Ruff. To. 17. 282.

can-

candidiſſimáſq; Columbas volant; quis deinceps ſibi promittet fore, ut ædes Deo conſecratæ in mediis Urbibus poſitæ, obſeſſæ à Laicis curationis egentibus, coactæ ad eorum audienda negotia deſcendere, Diſciplinarum deinde, non ſacrarum modò, verùm etiam profanarum ſtudiis immerſæ id evitare queant, quod nec ſylvæ nec rupes effugerunt? *Inter Sanctorum Choros* ASPIDES *latêre perſpexi.* Extra dubium quidem eſt, intra conſecratos Deo Religioſarum ędium parietes, tum juſtos, tum etiam Sanctos magno numero florere, ac denſa venerabilium virorum agmina cenſeri: *Inter* SANCTORUM CHOROS. Negari tamen haud poteſt, tam grandibus animis miſcere ſe nonnunquam Homulos ignavos, tam virtutis vacuos, quàm plenos ſui. Quid dico? Infidi quoque ac peſtilentes ſanctiſſimorum Monachorum cœtibus ſe inſerunt. ASPIDES *latêre perſpexi.* Quibus in verbis animadverti velim, non lacertos, aut araneos, at ne quidem vulgares ſerpentes à S. Do-

S. Doctore nominari, ſed rabioſiſſimas Aſpides, quibus inſanabile virus,& mors in morſu eſt. Age porrò ſerpentum iſtorum, quibus venenum erat tam peſtilens, non unus, ſed multi erant: ASPIDES *latêre perſpexi.* Id ſcilicet Hieronymus dicere voluit: ſi quando à virtute Cœnobiorum alumni degenerârint, damnum irreparabile, & immedicabile vulnus accipi. Quippe Profeſſionis excellentia, veſtis ſanctitas, vultûs ac ſermonis gravitas, ætas, populorum veneratio tantam vim eorum opinationibus addunt, ut cùm in prava conſilia proruperint, major illis fides, quàm Oraculis Delphicis, & Arcæ Teſtimonii adhibeatur: Quò fit, ut, qui illos audit, rectè omnia acturum ſe arbitretur, ſi ex eorum præſcripto vitam inſtituat, & exempla inſiſtat: ratus, ſe Joſue cujuſdam in Terram Sanctam Hebræos ducentis veſtigia conſectari. *Inter Sanctorum Choros Aſpides latêre perſpexi. Venenum Aſpidum inſanabile.*

Deut. 32. 33.

63. Atque hinc ſceleris illius magnitudo

tudo exurgit, quod me demonſtraturum eſſe recepi, cùm oppugnatores virtutis Herode pejores appellarem. Cujus rei veritatem penitiſſimè cognoſcemus, ſi attentis auribus excipiamus horrendum illud tonitru, quod in capita inferiorum Tabernaculi Miniſtrorum Cælum excuſſit. De illis Spiritus Sanctus pronuntiavit. *Erat peccatum Puerorum* GRANDE NIMIS *coram Domino.* Quod tamen nè de duobus quidem Heli Filiis, Ophni & Phinee ſcriptum fuerat, quamvis Sanctuarii cenſum decoquerent, & in Arcæ conſpectu fœdâ libidine ſe contaminarent. Et hi certè Sacerdotii ritus neglexerant, Legis tabulas conculcaverant, Matronarum pudoré oppreſſerant, Domum Dei in libidinum Theatrum converterant. *Quare facitis res hujuſmodi, quas ego audio*, RES PESSIMAS *ab omni populo.* Hæc tamen ſacrilegia non velut intolerandum nefas Patientiæ Divinæ à Sacrarum Scripturarum Dictatore ſpiritu compellata fuerunt. De aliis nimirum dictum eſt.

1. Reg. 2, 27.

Erat

Erat peccatum Puerorum grande nimis coram Domino. Quid demum admiſerunt iſti, quod tantopere Deum offenderet? Auferebant ſacrificaturis victimæ portionem aliquam, &, ut in cæna lautiùs gulam haberent donaria minuebant: aliàs Boum atq; Arietum adipem, aliàs pulpam Altaris Religioni Holocauſtis ſuffurati. *Quod furtum*, QVIA ISRAELITAS AB OFFERENDIS GREGIBUS *& immolandis Holocauſtis* AMOVEBAT, adeò Conditoris Majeſtatem offendit, ut in pœnam retracti à Tabernaculo populi familiam Pontificis funditus everteret, ejúſq; ſtirpem ab Holocauſtorum adminiſtratione in ævum omne proſcriberet. *Erat ergo peccatum Puerorum grande nimis coram Domino*, QVIA RETRAHEBANT HOMINES *à ſacrificio Domini*. Videtis, quanta ſit ejus improbitas qui frigidam ferventibus affundit, & ad ſummum Carmeli apicem virtutis alis evolantibus pennas evellit? Quod ſi quando in Domibus Deo ſacris committeretur, in immane

ſacri-

ſacrilegium cederet, quo videlicet Religioſæ vitæ Tyrones à cepto ad perfectionem itinere retraherentur. Semper itaq; inviſus Superis & hominibus execrabilis erit, quiſquis à Religioſæ Diſciplinæ cuſtodia Deo dedicatas animas, cujuſcunq; demum eæ conditionis ſint, dehortatur. Quanto autem deteſtabiliorem magíſq; execrandum reputabimus, qui in teneriorem ætatem, quæ etiamnum ſua vota inſtaurat, & Apoſtolicos triumphos meditatur, tam ſceleſto latrocinio graſſaretur? In hos eſt illud Bernardi ſermone tertio de Epiphania. *Herodiana malitia, & Babylonica crudelitas eſt*, NASCENTEM *Religionem extinguere velle*, & ALLIDERE PARVULOS ISRAELIS. Hæſi aliquantum ad primas hujus querelæ voces, dubitabámque an Bernardi diras proferrem, quòd is Perfectionis turbatores Herodis improbitati compararet. *Herodiana malitia*. Quippe Princeps cætera ſceleſtiſſimus Reges iter facientes nè Puerum adorarent, aut ſuis ſe theſauris exuerent,

Ser. 3. de Epiph. To, 43. 72.

non

non ſolùm non impedivit; Id quod faciunt ſcilicet irriſores turbatoréſq; diſciplinæ: verùm etiam eos ad ceptum iter proſequendum eſt hortatus, ſed iis inſuper Præſepii locum demonſtravit, ſed promiſit, ſe quoque pari cultu atq; obſequio nati Regis cunas veneraturum. *Ite, & interrogate, ut & ego* ADOREM *eum.* Tum deniq; placuit, graviſſimas Bernardi querelas recitare, cùm intellexi tam malignos Animos Pharaoni conſceleratiſſimo Regi componi, qui infantulos, quot quot illibatam vitam Abrahami Deo victuri circumcidebantur, Nilo ſubmergebat. Tales prorſus ſunt omnes ii, qui in Evangelicæ Doctrinæ Tyronibus venerationem, quâ religioſas omnes conſuetudines colore ceperunt, elevare conantur. Cujus ſceleris immanitatem quemadmodum Deus non tulit, & crudeliſſimum Tyrannum cum omni exercitu ſuo, nullo vel gregario milite tantæ cladis nuntio ſuperſtite, ultricibus undis ſuperobruit. *Unus ex eis non remanſit;* ita ſuppliciis acerbiſſimis

Pſ. 105. 11.

mis mactat, Oceanóq; alio littoribus destituto, & violentarum perturbationum ac convulſionum, quæ nullum eos vexandi, agitandíq; facient finem, animas Plagiariorum ſubmergit.

64. Ad hanc ſtragem reſpexit S. Hieronymus, cùm Sabinianum Diaconum increpans, qui Virginem quandam pudoris ſui florem puriſſimo Camporum Lilio dedicare parantem à propoſito conabatur abducere, in Regum Hiſtoriis repentinam Ozæ mortem legere juſſit. Iſte veteris Legis aut Sacerdos, aut Diaconus, quia Dei Arcam, quæ triumphali pompâ in Urbem à Davide deducta, conſternatis bobus, & in aurigantes contumacibus aliquantum vacillaverat, extenſo brachio à caſu retinere conatus eſt, ſubito fulmine proſtratus animam in ipſo currûs, & rotarum complexu efflavit. Jam ſi (ſubjungit Hieronymus) qui inanimam Dei Arcam retinet, nè cadat, tam miſerè vitam abſolvit, ecquod demum ſupplicium de te ſumendum putabimus, profane ſacrorum

rum Minister, qui vivam immortalis Dei Arcam evertere niteris? *Oza Levites, quia Arcam Domini quasi ruentem sustinere voluit percussus est, cogita quid de te futurum sit,* QVI STANTEM DOMINI ARCAM PRÆCIPITARE CONATUS ES. Utinam verò liceret Elisæi oculis intueri occultas carnificinas, quibus ultores Angeli eos excruciant, qui animatas Dei Arcas, in quibus Deus manu suâ Tabulas suæ Legis, Deliciarum suarum Manna, florentem virgam innocentissimarum cogitationum reposuit, impellunt, & in pulvere versant. Videremus sanè fulminatarum animarum fumantia busta nequitiæ suæ & alienæ cladis justissimas pendentium pœnas. Obversetur interim animo formidabilis illius Molæ species, quam Servator eorum, qui exemplo suo pusillos offendunt, collo appendit, quâ subinde in altissimas voragines furentium marium mergerentur Balænis præda, & Monstris pabula futuri. *Expedit ei, ut suspendatur* MOLA *asinaria in collo ejus,*

Epist. ad Sabin. To. 17. 192.

Matt. 18 6.

& DEMERGATUR *in profundum maris.* Quamobrem horrorem incutiat vel sola suspicio, ne fortè, non dicam extinguantur, verùm etiam tantillum minuantur Spiritûs Sancti flammæ in pectoribus illis, qui in amore Innocentiæ adoleverunt. Si enim Deus illi non parcit, qui pueros turbat, quos ei nativa eorum simplicitas admovet : exigat secum unusquisque, in quantos furores Filius Hominis, severissimus Judex vivorum atq; mortuorum, sit exarsurus, si quem viderit ferventes animos à Crucis suæ complexu, & pedum suorum osculis temerariè abstrahentem. *Oza Levites quia quasi ruentem Arcam Domini sustinere voluit, percussus est; cogita, quid de te futurum sit,* QVI STANTEM DOMINI ARCAM *præcipitare conatus es.*

65. Terrerent, inquis, ista me quoque, si piè atq; ex virtute viventes sacrilego impetu in ruinam impellerem, & ex ipso Thaboris apice, quo loco cum Christo in cælestem pulchritudinem transformantur, nivibus amiciuntur, ac liliis

liliis coronantur, quot quot eò ſunt evecti, in paludoſum cænum præcipites agerem. Nunquam enim in animum meum induxi, ut Giganteis paſſibus ad metam tendenti, palmam inviderem: Per me ſanè ſacros libros evolvant; oracula divina contemplentur; ſacroſancta vota ad amuſſim expleant; Majoribus obtemperent, Inſtitutum deament, ſi qui tanto virtutis ſtudio tenentur: nihil obſto, omniáq; iis ultro permitto. Id ago ſolùm, ut inurbanum quendam, ruſticúmque timorem eis excutiam, & neſcio quam importunàm ineptámque Religionem ſilentii modeſtiæque, ac minimè neceſſariæ, certè nimiùm anxiæ in caſtigandis ſenſibus diligentiæ dedoceam. Cùm iſta pro communis vitæ uſu aptaverint, auctor iis ſum, ut Religioſæ vitæ ſubſtantiam cuſtodiant. Hoc tu fatearis, & à culpa immunem, liberúmq; à Mola te arbitraris? Non poſtulo, ut de hoc facinore tuo aut in Sionis Cænaculo, aut in templi adyto judicetur: Babylonem in jus eamus; ut

eò loci ſacrilegiorum tuorum atrocitatem intelligas. Audite atque inhorreſcite. Nabuchodonoſori immenſus Coloſſus ſe ſtitit, qui & vultûs ſui majeſtate, & totius corporis proceritate vel ipſum Principem in ſtuporem & venerationem rapiebat. *Tu Rex videbas, & ecce quaſi una ſtatua grandis, ſtatua illa magna & ſtaturâ ſublimis ſtabat contra te, intuitus ejus erat terribilis.* Neque diu reſplendentis ſimulachri ſpectaculum tenuit. VIDEBAS ITA. Cùm neſcio quo pacto à vicino monte ſe lapis reſolvit. Hic ceu ingenio ac ratione præditus præceptiſq; inſtitutus eſſet, nullâ metalli ullius, quod venerabilem Statuam componebat, injuriâ vel attactu, in ſolos Machinæ pedes prudentem iram effudit: & cretam, ac ferrum ſapienti, uti videbantur, conſilio confregit, quibus fuſi Gigantis cætera membra relucénſq; ex iis ſplendor non mediocriter dehoneſtabatur. *Videbas ita, donec abſciſſus eſt* LAPIS *de monte ſine manibus: & percuſſit ſtatuam in pedibus ejus*

Dan. 2. 31.

FER-

FERREIS ET FICTILIBUS, *& comminuit eos.* Hoc nimirum prudens illud consilium est, quod ceperas; puerilibus scilicet timoribus eximendi solicitos Legum custodes, nè videlicet dubitarent supervacaneas squammas, exterioremq; corticem vitæ Apostolicæ abjicere, dum interim incorruptam medullam & intactum stipitem servarent: futuri nihilominus instar Palmarum in Cades. *Percussit statuam in pedibus ejus ferreis, & fictilibus.* Age videamus modò, quis argenti nitor, quis auri fulgor statuæ pectus & caput illustret. Iterum atque iterum circumspicio, nec quidquam ex tam vasto pretiosóq; corpore reliqvum esse perspicio. NULLUSQVE LOCUS *inventus est eis.* Ità ne verò! immensi simulachri solæ pedum plantæ tanguntur; luti sordibus emaculantur; ignobilitas ferri detrahitur; & ad ictum ejusmodi Mons tantus auro argentóq; in tam elegantem Monarchæ effigiem factus evanescat? Id certè illic evenit. PERCUSSIT STATUAM IN

PEDIBUS EJUS *ferreis & fictilibus, & comminuit eos.* TUNC CONTRITA SUNT *pariter ferrum testa, æs, argentum & aurum, & redacta quasi in favillam æstivæ areæ, quæ rapta sunt vento.* Num ergo falsus ego Vates fui, cùm dicerem, quòd quàm primùm tu illum, qui prorsus, & ex animo se Deo conjunxit, sanctâ illâ rusticitate, & beatâ superstitione, quâ disciplinam colit, privâsses, futurum, ut simul à Sanctitate removeres, adjungeréſq; illum, imò ceu adacto clavo funestis umbris deplorandæ vanitatis, effrenísq; licentiæ larvis configeres? En! ut, attritâ cretâ, dissolvatur æs, destruatur argentum, aurum fugiat, pereátque. Nempe qui verecundiam, & solitudinis amorem amittit, nec precum studia, nec propensionem ad voluntarios cruciatus, nec fidem erga vota, nec amorem erga Religiosum Ordinem retinet. Proh temeritatem execrandam! nolle in Colossis sacrarum Familiarum, quod in iis Spiritus Sanctus voluit. Prôh sceleris novi monstrum!

ſtrum! in ſtatuis Crucifixi ſeparare, quod Deus conjunxit. Quiſquis extremam illam è luto cruſtam abjectæ in ſpeciem, ſed ſanctæ demiſſionis atq; modeſtiæ vel leviter abraſerit, aut de ferro, quod totum in ſe coactum illos ſcilicet refert, qui ſecum unicè habitant, & ſuâ ſe virtute involvunt, quidpiam limâ deterſerit, videbitis, non poſt annos demum & luſtra, ſed eodem momento ampliſſimam illam cęleſtium ornamentorum, & Chriſtianarum virtutum moſlem ruere, totámque in pulverem deſidere. *Percuſſit ſtatuam in pedibus ejus ferreis, atq; fictilibus.* TUNC *contrita ſunt pariter ferrum, teſta, æs, argentum, & aurum.* Animadvertatur autem, ut tantum decus, ac formidabile ſimulachrum diſſolveretur, nec cuniculis igniariis, nec arietum impulſibus opus fuiſſe; in hoc valuit lapilli unius attactus, & continuò tam formoſum corpus, omníq; gazâ, quam nobis Indiarum fodinæ tranſmittunt, perfectum concidit, & everſorem pulchritudinis ſuæ eò uſq;

amplitudinis provexit, ut lapis in Montis jugum perpetuo dorſo Orientem Occidentémq; contingentis excreſceret.

66. At enim, reponent aliqui, nos, quid ſentiremus exprompſimus nonnũquam iis, qui nos in diſcendis tradendiſve litteris, in quibus ſcilicet ſapientiâ creſcimus, tanquam potiores, magíſq; provectos venerabantur: nec tamen, quæ ſic deflentur, quǽque Daniel ominatus eſt, detrimenta, ruináſq; conſecutas vidimus. Illo loco ſententia noſtra remanſit, quo nos illam depoſueramus. Adeóq; qui nobis fidem adhibuit nullâ virtutis factâ jacturâ, emendavit ſe ſe ab odioſa profeſſione auſteritatis ingratæ videntibus, & forſan etiam ipſi auctori noxiæ. Ego verò infirmæ juxta & inani defenſioni clypeum extorqueo, apertiſſiméq; pronuncio, fieri poſſe, ut effatum aliquod rudibus animis, aut parum, aut nihil in virtutum profectu progreſſis, haud admodum noceat, cùm tamen idem animis Spiritu Sancto plenis, & divini amotis beatâ flammâ jam

jam feliciter ardentibus, longè graviſſimum exitium inferat. Principis alicujus hortum ingrediamur denunciatæ cladis Hieroglyphicum inſpecturi. In ima villæ parte, ad quam & è ſemitis ſordes, & è fontibus aquæ deſcendunt, deprehendetis ingentem cloacam excavatam, ut eâ ſubinde vel fæcundentur, vel reparentur Arbores. E fimeto ſub auroram exurgunt graves exhalationes, & quamvis toto diei tempore perſeverent, non tamen in toto, qui hortum ambit, aëre, vel conſpiciuntur nubes, vel grandines timentur. Vix autem ad ſecundam aëris regionem peſtilens vapor ex illo & aliis ejuſmodi ſterquiliniis pervenit, cùm paulatim in ſpiſſas nubes denſatus ſolem inobſcurat, Cælum eripit, diem tenebris involvit, tonitrua, fulgura, fulmina miſcet, ac vel violentis imbribus, vel glacie in lapides duratâ, ſegetes opprimit, arbores exſtirpat, vineas depopulatur, tecta domorum diffringit, latifundia inundat, mapalia evertit, prædatur manipulos, armenta ſub-

ſubmergit, ac totam latè regionem ita vaſtat, ut cadaveribus, ac ruinis oppreſſa funeſtum ſui ſpectaculum præbeat. Jam verò quis unquam in animum ſuum inducere potuiſſet, futurum, ut tenuiſſimi vapores, qui è vicino aëre ne nubeculam quidem ſuſpenderant, ſubinde ab eminentiori loco agrorum animantiúmq; tantam ſtragem ederent? Ah! Quod fimus in craſſi impuríq; aëris, quem trahimus, infima regione non efficit, in puriſſimo Elemento aëris nobis ſuperioris exequitur, & dum hic graveolentiâ ſuâ vix nares offendit, illic accenditur in fulmina, & in grandinem congelatur. Idem efficit, qui de accuratâ Religioſæ Diſciplinæ cuſtodiâ parum honorificè diſſerit. Vix aliquod ille damnum infert in vulgari vita acquieſcenti: verùm iis, qui cum Paulo in tertio Cælo degunt, incredibilem perniciem affert. Quare vocum illarum halitus, quæ mediocres animas vix inumbrant, in Juvenibus magnanimis, & quos in Apoſtolicarum cogitationum altitudinem ſuus fervor
eve-

evexit, horridas nubes, grandines, lapides, tremendos ſtrepitus, & populantes omnia flammas producunt. Quamobrem nemo poſt hæc arbitretur, eum vel levem, vel etiam nullam noxam admiſiſſe, qui compertum ſibi eſſe glorietur, quòd perſuaſionum ſuarum tenebris vix levi umbrâ ejus, à quo jam intepeſcente auditus eſt, candorem tinxerit: ſiquidem damnum illud, quod improbæ ſententiæ, & pernicioſa conſilia Tepidis non inferunt, per horrendam ruinam datur aliis, qui ſuorum caſtigatione membrorum Chriſti vulnera referebant, & mentis ſuæ integritate illibatas Angelorum nives, & Seraphinorum ardores repræſentabant.

67. Et quoniam in Agris conſiſtimus, obteſtor omnes, ac ſingulos, ut oculos in Granum Taxi vix adſpectabile defigant. Hoc, ſeu de induſtriâ terrâ obrutum, ſeu fortuitò in agri ſulcos delapſū continuò terra complectitur, illique animando vigorem, pinguedinem, ſuccos ſuos, & ipſos Cæli rores impendit: ſen-

ſenſim ac molliter illud extendit, ſtudiosè educat, ingeniosè attollit, & quidquid Alimenti vel ab Agricolis accipit, aut virium è Cælo trahit, impertiens, in truncum durat, in ramos dilatat, frondibus veſtit, & venenatâ ſubſtantiâ complet, quâ inſtructa feralis arbor, ſub umbra ſua conſidentes affligit, & fructuum ſuorum veneno improvidè veſcentes interimit. Quod hactenus dixi, multis ante ſeculis à S. Gregorio Homiliâ vigeſimâ ſextâ in Evangelia deſcriptum fuit. *Ecce in grano tenuiſſimi ſeminis* TOTA LATET *quæ naſcitura eſt* ARBORIS MOLES. Equidem haud poterat luculentiùs exponi calamitas hominis pravis ſermonibus aurem præbentis. Vix enim frigidiſſimorum Dogmatum infelix auditor dicentem intellexit: non audiri qui taceat; præcurrere oportere, qui pene relinqui nolit; qui Patronos ſibi conciliet, eum ad Cathedras provehi; qui ſuperſtitiosè omnes Legum apices conſectetur, Sodalibus invisum fieri, non placere Præſidibus, à ſuf-

Hom. 26. in Evang. To. 32. 262.

fra-

fragatoribus nullâ memoriâ dignari: qui se Regentium arbitrio exponat, profiteatúrque, nullum se onus subterfugere, nullâ excellentiæ cujusquam ambitione teneri, eũ in obscuros angulos abstrudi, & jugo oppressum ingemiscere. Hæc, inquam, ubi primùm jactari sensit illico miser ille omnes ingenii pessimis dolis capti, vires in examinandis monitis, quæ accepit, & denunciatis infortuniis considerandis insumit. Ut adeò tenuissimum semen, vel prolatæ sententiæ, vel etiam particulæ unius, cùm ab homine præstigiis ejusmodi circumvento expenditur, in venenatam arborem Cruci penitus adversantium Consiliorum excrescat. Quò fit, ut, qui priùs divinâ luce collustratus in propriæ abjectionis Calvario, & Dolorum Colle, nullos aut splendores, aut commoda quæsierat, jam honores appetat, & ad solum nomen opprobriorum Christi contremiscat. Sic est profectò, IN GRANO *tenuissimi seminis* TOTA LATET, *quæ nascitura est, Arboris moles.*

Vel

Vel una falſa perſuaſio totam animam ſúſque déque vertit, & inchoatum Apoſtolum in faſtidioſum conſummatúmq; Politicum transformat. Evæ quoque ſatis fuit, paucas voces promiſſæ Divinitatis auſcultâſſe, ut ad vetitam arborem procurreret, pomum decerperet, & gulam, quo peritura erat, cibo expleret.

68. Sic eant ſanè, qui ſerpenti prava conſilia ſuggerenti, & licentiæ ſemina ſpargenti aures commodant: ita complures exclamant. Ego verò inquit aliquis, quamvis confitear in me primęvos ardores refrixiſſe, quibus me ſub prima derelicti mundi tempora obedientiæ victimam Deo conſcravi; non tamen vitæ in deterius verſæ, aut teporis mei ſocios quæſivi. De Cruce deſcendi clavorum & ſpinarum impatientiâ victus: neminem verò, ut inde ſe refigeret, hortatus ſum. Dum itaq; mihi liceat in pratis quieſcere, & inter violas ſomnum capere; nullum ex Olivarum Colle, ac Sinai ſcopulo in Ægypti planitiem & valles Chaldæas detractũ eo.

Tu

Tu verò, qui de Calvario deſcendiſſe, & floribus indormire te fateris, tacere te putas, quamvis nec ſyllabam in contemptum Perfectionis proferas? Goliathi clamores ſtridoribus tuis vincis. Enimverò vocibus ejuſmodi ii nè quidem, qui Pſalmos componunt, & Gigantes proſternunt, ſat fortiter repugnant. Quod ſi fidem dictis non invenio, Davidem è Regia ſua exanimatum, & horrore palpitantem in hunc locum evocabo. *Salvum me fac Domine*, canit, *Pſal.* 11. 1. precatúrque optimus Princeps frigido ſudore perfuſus, *quoniam defecit Sanctus*. Ad te confugio, mi Deus, opem tuam imploro; quippe prælia cum Philiſtæo à me pugnata puerorum ludicra ſunt, ſi cum difficillima lucta, quâ modo conflictor, componantur. *Salvum me fac Domine*. Sancti prorſus Prophetæ brachio indigeo, qui me in caſum nutantem ſuſtineat: nec hoc eſt ſatis. Angelorum manibus opus mihi eſt, quæ jam jam ruentem confirment; & hoc quoque parum eſt, Tu mihi, Omnipotens

tens Deus, tu neceſſarius es, ut à te retentus in præceps non ruam. *Supernâ mihi manu opus eſt, cæleſti ope & divino auxilio.* Et unde obſecro tam forti Bellatori tantus pavor? *Quoniam defecit ſanctus.* Explicat ſententiam Joan: Chryſoſtomus, aitq; Magnanimi Regis metus inde provenire, non quòd Hieroſolymis deeſſent aut juſti, aut Sancti; ſed quòd in Civitate Dei, qui quondam ſanctitate & integritate vitæ conſpicui erant, ſubinde perſeverantiâ deſtituti, Sancti eſſe deſierint, & nihil ſupra plebem ſapere ceperint. *Et non dixit, Salvum me fac Domine, quoniam non eſt Sanctus, ſed quoniam* DEFECIT SANCTUS. Nulla verò ſatis Eloquentia exprimat, quàm longè retrocadant, ſibíque diverſi efficiantur, qui in virtute profecerant, cùm, quos prius in Probationis Domibus ceu Prototypa Obſervantiæ erga Leges, & Auſteritatis exempla ſuſpexerant, eos ſubinde in ſtudio virtutis elanguiſſe, & mores minùs, etiam quàm mediocriter probatos, totámque

In Pſal. 11. *To.* 31. 44.

que

quæ aliam à prima ſpeciem præ ſe ferre conſpiciunt. Se ipſos ſic alloqvuntur: Quod ſi is, qui oculum à terra non ſublevabat, niſi ut Cælum aſpiceret; qui vocem non mittebat, niſi quæ ad inflammandos tepidorum animos valeret; qui librum non aperiebat, niſi Divini Scriptoris; qui rubore ſuffundebatur, ſi fortè generis ſui nobilitas in memoriam illi vocabatur; qui conſanguineorum ſalutationes, atq; negotia nè reſponſo quidem dignabatur; qui ſtudiosè veſtigabat omnes ſe ſe affligendi horis omnibus occaſiones; qui non alias deſideriis ſuis metas præſtitui patiebatur, quàm vel arduos montes, in quibus Chriſtianæ Doctrinæ ſcholam aperiret; vel Indorum populos, pro quorum ſalute ſanguinem daret; jam oculis libertatem, linguæ licentiam indulget; litteras ſcribit, non provocatus, Myrrham vitat, aromata colligit, fomenta poſtulat, ſomniat Præfecturas: argumento nimirum eſt, aut Tyrocinio perfunctos Diſciplinæ ſtudium dedecere, aut vitam

remissam prodesse: dum is, qui gnavam ac strenuam est expertus, tam apertam ab ea discessionem facit. DEFECIT SANCTUS. Quod si Deus Omnipotenti suâ dexterâ mentem in bono non stabiliat, virtutis constantia servari prope non potest. Expendite jam, an obmutescat, qui à virtute deficit, & utrum qui à flammis ad frigora transit, non potiùs incrementa Sanctitatis deridere videatur?

69. Et ego circumduci me scilicet ab istis, fidémque mihi fieri patiar? quasi verò linguâ taceant, cùm tantis clamoribus eorum vita vociferetur. Heù nimiùm quantùm laborant, ut Novitiis hominibus imitationem frigoris sui persuadeant: rati si sui similium turbam nacti sint, aut impunitatem, aut certè faciliorem errandi veniam obtenturos esse. *Intenderunt arcum* REM AMARAM. *Volant lethales sagittæ, & non ambiguum est, quid efficiant, scilicet ut sagittent in obscuro* IMMACULATUM. Non designat oculis, quos sermonum

In Psal. 36. To. 15. 46.

suo-

ſuorum glacie feriat homines abſolutæ perfectionis, ætatis maturæ, diuturnǽq; conſtantiæ; ſed Juvenes ſimplices, & inexpertos, quibus omnis fabulator Samuelis inſtar eſt, & vox quælibet tanquã vitæ ritè inſtituendę fundamentũ habetur. *Ut ſagittent in obſcuro immaculatum. Non ſanctum, non fidelem, non juſtum*, SED IMMACULATUM *ſagittant, ſimplicem, & ex nova nativitatis infantia* TENERUM. *Hunc ergo ſine metu contradictionis* PER RERUM IGNORANTIAM *in obſcuro poſitum vulnerabunt. Ait enim: ſubitò ſagittabunt eum, & non timebunt.* Dictitant: Religioſum quoque Mundum ijsdem ſemper cardinibus circumactum, concluſiſſe optimos pariter & mediocres, alacres & moderatos, in obediendo cœcos, & oculatos in diſcernendo. Affirmant etiam primis fundatorum Ordinum temporibus vixiſſe in illis homines propriorum commodorum non immemores; & licet Cruci affixos, non fellis tamen & aceti, ſed vini atq; Ambroſiæ

guſtum expertos: conſuêſſe ſenes actorum temporum prodigia commemorare, quæ ſi quis probè expenderit, manifeſtè deprehendere, fieri non poſſe, ut Cætus humani Choris Angelicis ſint meliores, quos inter tot ſint reperti, qui Homini-Deo ſubjicere ſe detrectârint. In memoriam revocant ambitionem filiorum Zebedæi, Jacobeæ Familiæ invidentiam, Iſmaëlis & Iſaaci ludos, Abrahami pro vita curam, ſororem conjugem appellantis. Quorum ſcilicet non optimis exemplis eos confirmant, ut nè maculas illas vereantur, quas tepidè vivendi conſuetudo nunquam vitat. Ideoq; tantum abeſt, ut eos, qui ſenſim primos ardores remittunt, revocato in memoriam Cherubinorum lapſu, Diſcipulorum objurgatione, Patriarcharum captivitate, Iſmaëlis ejectione, & ſacrificio ab Abrahamo fortiter ſuſcepto, deterreant, ut animos quoq; ſanctarum Legum minus jam tenaces laxent magis; memoratis quibuſdam actionibus neque prudentibus, neq; piis. Virorum quorundam,

dam, qui eas deinceps vel lachrymis eluerunt, vel ornatiſſima ſenectute, & illuſtrium factorum gloriâ, velut Phrygio texto, penitus obduxerunt.

70. Non ſic egerunt veri Hæredes Abraham à quibus tantùm abfuit, ut Filiis, ſi quid Majoribus ſuis humanitus accidiſſet, recenſerent, ut non niſi Heroa facinora Gedeonis, Moyſis, Samuelis, & eorum Sanctiſſimorum Virorum, quos Apoſtolus in Epiſtola ad Hebræos enumerat, denarrare illis conſueverint. PATRES NOSTRI NARRAVERUNT *nobis opus, quod operatus es in diebus eorum, & in diebus antiquis. Eis enim* (exclamat celeberrimus Chryſoſtomus) *libri erant* ORA EORUM, *qui ipſos genuerant*, OMNISQVE SCHOLA: *has habebat narrationes, quibus nihil erat jucundius, nihil conducibilius.* Num deſunt fortè Sacerdotes, Scholaſtici, rei domeſticæ adjutores, quos Juventuti noſtræ in exemplar virtutis proponamus? Diceres ſanè: In hoc Collegio commoratus eſt Aloyſius Gonza-

Pſal. 77. 3.
In Pſal. 43. To. 3. 75.

ga, quem nunc Aris impositum adoramus. In his scholis Joannes Berchmanus, cujus vita Typis est data, unà mecum bonis artibus operam dedit. Hîc Cornelius à Lapide, cujus doctrinam Orbis miratur, occasionem nobis præbuit ejus pietatem devenerandi, cùm optimus litteratus aut sacra volumina Commentariis illustraret, aut Evangelia contemplaretur, aut Urbis Templa obiret. Intra hos parietes Robertus Bellarminus sanctitate, quàm doctrinâ & Purpurâ illustrior habitavit, & libros suos conscripsit. Hoc Lycæum non minùs excellentiâ Doctrinæ nobilitavit, quàm singulari vitæ innocentiâ consecravit incomparabilis ille Theologiæ Præceptor Franciscus Suarezius. Sunt innumerabiles alii, quorum nè nomina quidem recitare temporis angustiæ permittunt, qui ab hac Domo in Æthiopiam, Americam, Salsettas, Japoniam profecti à Barbaris occisi fuêre. Cur de his nulla mentio? Cur non producuntur in medium Luce Veritatis collustra-

tæ Provinciæ? Regna Christo subacta? Urbes optimis Legibus institutæ? Populi quos sermonum nostrorum gravitas, & vitæ Sanctitas in stuporem dedit? *Patres nostri* NARRAVERUNT NOBIS, OPUS, *quod operatus es in diebus eorum, & in diebus antiquis.*

71. Nos profectò, nos deberemus iis, quos ætate præcedimus, proponere non labeculas aliquas ante actorum in juventute annorum; sed vetera potiùs, præsentiáq; virtutis studia, pungentissima cilicia, cruentata flagra, attritas vestes, inops vacuúmq; cubiculum, gloriæ fugam, depressionis amorem, pagos nostris laboribus ad frugem redactos, mancipia Catechesi erudita, expiatos peccatores, maleficos à patibulis in Cælum transmissos, expetitas Indias, dignitates repudiatas. Hæc si decora, hos triumphos verè Apostolicos, non sudoris modò, verùm etiam sparsi sanguinis, totq; animarum è Cæno in Cælum à nobis evectarum: Hæc, inquam, si audirent Juvenes nostri, quibus cum versamur,

næ illi haurirent ſpiritus planè igneos, atq; cum Elia flammatum currum conſcenderent, quo è caducarum cupiditatum humilitate ad divinarum rerum faſtigia eveherentur. Eveniret ſcilicet nobis, quod Oſtrogothorum Militum parvulis filiis accidiſſe S. Ennodius teſtatur. Illi Patres ſuos, cùm ex acie in patriam, paternáſq; ędes reverterentur, ſpoliis hoſtium graves ipſo in limine feſtis plauſibus & amplexu occupabant; nec mora Genitoris Galeam alius manu excipere, alius haſtam comprehendere, hic Baltheũ humeris, ille Loricã pectori detrahere, alter gladio latus exarmare: omnes deniq; Patris arma certatim arripere, inſpicere, tractare. Ita crebro ac familiari aſpectu rubentium adhuc à cæde armorum rudes animos imbuebant, ut ſubinde nec ad ferri lucem expalleſcerent, nec hoſtiles acies, ac prælia formidarent. *Viri fortis progenies armorum faciem* INTER PATRIS AGNOSCIT AMPLEXUS, *&*, *dum naturæ obſequitur*, DISCIT AMARE TERROREM.

Lib.1. Ep.18. To.32. 122.

Atq;

Atq; hæc ratio eſt Juventutem Religioſam ad Crucis amorem excitandi. Cùm illa tum in Veteranis, tum in altiorum ſcholarum auditoribus ærumnarum amorem, & commodorum odium deprehenderit, ab omni ignaviæ ſpecie abhorrebit, & ſe ipſam ad dura quæq; perpetienda ſtimulabit.

72. Miſeros verò nos! Societatem infelicem! niſi adoleſcentum teneris animis efferendi ſe ſe, atq; oſtentandi cupiditatem eximimus: Verbo, niſi eodem modo, quo Roſæ ſolent, juventutem noſtram educamus. Animos adhibete. Vigor ille qui in caule nobiliſſimi hujus floris continetur, ſi anguſtiarum, latebrarúmque impatiens per latera erumpet, atque intempeſtivè vel in pedem, vel in ramos ſe expandat, in acutiſſimas ſpinas ſe convertit, & odioſum ſtolonem efficit. Contrà verò ea medullæ humoriſq; pars, quæ nec arctari nec latere dedignatur, ad apicem deniq; pervenit, explicátq; ſe cum vere in purpureas frondes, & cultori ſuo pretium ope-

operæ, ac Domino voluptatem affert. Si cui Juvenum noſtrorum grave fuerit primos annos intra clauſtra rigidæ diſciplinæ, & in obſcuris ęquè ac laborioſis muniis tranſigere, ſi caput extulerit vel ad circumſpiciendum, quæ ſcire ipſius minimè referat, vel ad inanem, ac præcocem ſui pompam faciendam, is nobis ſibíque Rubus erit, manúmque ex officio ipſum tractantis lædet, cruentabitque. Recreabunt contrà nos verecundi votorum ſuorum Inſtauratores, qui modeſti, & in ſe collecti, haud gravatè conditionis ſuæ umbram, & ætatis ſuæ latebras ferunt. E quibus qui eos execrabili ac peſtifero illo dicto vellet extrahere: *Oſtende te mundo*, Is ſe Terrarum Orbi Antichriſti Anteambulonem, germanámque effigiem repræſentaret, cujus olim axiomata Chriſtianam Rempublicam vaſtabunt. Sanctum Leonem audite ac contremiſcite. MEMBRA ANTICHRISTI, *& Præcurſores ejus effecti non ceſſant Zizaniorum peſtes* IN MEDIUM TRITICI SPARGE-

S.Leo 9. lib. adverſ. Micha. To.27.26.

GE-

GERE, *& messem cui cæleste præparatur horreum, quantum in eis est*, ATTERERE. Quamvis autem credam neminem versari inter nos tam perniciosum suasorem, támque à Bono aversum, & ut seminatorem zizaniorum imitetur: ajo nihilominus, si quis hac peste, maximo quidem tum suo, tum nostro etiam malo, contactum se deprehenderet, scire illum debere, majorem à se, quàm à Cacodæmone cladem Religiosis Cætibus inferri. Quippe tametsi Dæmon Tritico Lolium inspersérit, ab hoc tamen illud corruptum non fuit: nempe quòd vel inter lolia surrexerit. At verò qui Perfectionis in stadio ad illustrium sanctitate virorum exempla decurrentes sufflaminat, is simul malam doctrinam spargit, & optimam suffocat. Surdis igitur auribus eorum dicta negligas; cúmque Hilario Arrianorum blanditias rejiciente magno animo responde: Ego Petri & Pauli, Joannis & Jacobi, præceptis eruditus, non jam aut Magistros, aut sententiam mu-

mutare posſũ. Ita te quoque illis, qui te perturbant, reſpondere oportet. Ignatii Leges in pectore geſto; in animo exempla Franciſci circũfero; gero in oculis Aloyſii modeſtiã; & toto corde teneram pietatẽ Stanislai complector. Quapropter, qui vel actionum ſuarum languore, vel, quod foret multò deterius, ſermonum ſuarum improbitate alias Vitæ rationes, & à cælitum noſtrorum virtute diverſas proponere conatur, regeri ſibi in os audiat, quod Hilarius in Novatores intonuit. *Ab his ergo, quæ teneo; edoctus ſum: his* IMMEDICABILITER *imbutus ſum. Et ignoſce Omnipotens, quia in his* NEC EMENDARI POSSUM, ET COMMORI POSSVM. *Tardè mihi* HOS IMPIISSIMOS, *quantum ego arbitror*, DOCTORES *ætas nunc hujus ſæculi protulit: Serò hos habuit Fides mea, quam tu erudîſti Magiſtros.* Hæc oris animíque constantia, quam nulla opinionum ab eo more, quem majores noſtri tum in vivendo tum in docendo tenuerunt diſſen-

Lib. 6. de Trinit. To.15.117.

ſentientium novitas à propoſito dimoveat, ad alteram diſſertationis partem deducit, quam explanandam ob nos temporis anguſtias in ſimilem anniverſariæ Votorum inſtaurationis ſolemnitatem (ſi vita superſit) differimus.

EXHORTATIO XVIII.

In Pervigilio Epiphaniæ.

Vidimus ſtellam eius in Oriente, & venimus adorare EUM. *Matth. 2.*

IUvenum erga Virtutem ſtudia proprii ardor pectoris, non Præſidum flatus accendat. Nemo ſtimulos, quibus ignavi caſtigantur, & excitantur ad curſum, in ſtadio Perfectionis requirat. Ipſe ſibi Religioſorum quilibet alas aptet, quibus ſuo Marte ad Virtutis Palmam pertingat. Juniorum verò, & eorum, qui ſeriùs ad Religionem acceſſêre tanto Virtus erit præclarior, quanto minùs ea vulgaris erit in ſenibus, iiſque qui temporiùs habitare

tare Cœnobia inceperunt. Æqualium noxæ, morbi ſunt: Vitia verò Seniorum veluti peſtis quædam Collegia & Monaſteria vaſta faciunt. Sic in Tentorio Noëmi, ſic in Davidis Regia evenit. Id ipſum quoque prædixerunt Satyrici, & Deus ipſe denunciavit; qui probatiſſimi exempli eos eſſe voluit, qui Filios educarent. Tanti momenti doctrina Sacrorum voluminum Oraculis, Naturæ, ac Sacrarum Hiſtoriarum authoritate confirmatur.

73. NEmo eſt, qui Sanctos Magos, relictis in Oriente auguſtiſſimis ſedibus, ad Bethlehemi ſtabulum ſe contuliſſe, & ad Infantuli Divini pedes ſummâ cum animi ſui voluntate abjeciſſe non magnopere miretur, atque commendet. Ego verò in Beatis Principibus, qui non dubitarent

rent Regales delicias cum laboriosæ peregrinationis incommodis commutare eam ipsam alacritatem, quâ iter longè difficillimum susceperunt, longè magis obstupesco. Nimirum eos nullæ minæ, nullus imperii terror subegerat, nulla promissa stimulârant, nullæ rationes persuaserant, sed pietas sua incitârat, ac minimè coacta Religio ad Natum Servatorem, & Patris Æterni Verbum adorandum dimiserat. *Vidimus, & venimus.* Talem in agendo alacritatem, & propensam ad ea, quæ præ manibus sunt; voluntatem ab unoquoq; illorum requiro, qui cras sua Vota renovabunt. Quæ nisi sponte prorsus, & ex animo persolverimus, trium videlicet Regum exemplum secuti quos ultro se in iter, ac sponte suas opes dedisse tum Evangelista testatur: *Apertis thesauris suis obtulerunt ei munera;* tum ipsi disertis verbis Herodi confirmant (Venimus) procul enim verò ab ea perfectione, quæ Regum nostrorum Religionem confirmavit, votiva nostra liberalitas abesset.

Fa-

Fateor equidem, non antè Provinciis suis excessisse Reges, iterque ingressos eo consilio fuisse, ut ad Divini Puelli pedes se abjicerent, & Dei præsepe venerarentur, quàm in aëre, superiori videlicet Elemento, stellam ad Infantis illius cunas, qui vagitibus suis lachrymas filiis Evæ abstersurus erat, magnis itineribus properantem conspexissent. Quò circa priùs dixerunt. *Vidimus*, ac deinde subjunxerunt. *Venimus*. Idem in Domibus nostris, maximéque in Societatis nostræ Lycæis accidit, in quibus Juvenes nostri, ut è cupiditatum suarum Regno exules generosi se proripiant, sui quoq; ad virtutem itineris Duces meritò requirunt, qui ætate dignitateq præstantes tanquam de superiore loco sibi viam commonstrent. Enim verò ipsi quoque si dicere poterunt, *Vidimus stellam*, procul dubio etiam addent, *& venimus adorare Dominum*. Atque hæ geminæ dissertationis meæ partes erunt. In priore eos, qui cras denuò se Christo per votivas victimas consecrabunt ex-

citabo, ut ceptam Votorum noſtrorum obſervationem proſequantur, non eam ob cauſam, quòd vigili Præſidum curâ ad eam urgeantur: ſed quòd ipſi ſic velint, & diſciplinæ religioſæ beata vincula ex animo, veréque diligant. In poſteriore declarabo, tam invictam religioſi jugi catenarúmque ſacrarum patientiam ab iis, qui novi etiamnum in hoc vitæ genere, ac penè Tyrones ſunt, ſperari haud poſſe: nisì Leges noſtras univerſas ab aliis, vel quorum ætas provectior, diutiúſque in ſanctioris vitæ uſu exercitata, vel potiora Collegii munera ſunt, exactiſſimâ diligentiâ obſervari conſpexerint.

74. Atque ut primam partem priùs expendamus: videor mihi audire, qui cum inſigni laude multorum, qui ſingulari vitæ integritate, præclaræque virtutis exemplis inter nos florent, eorum unumquemq; illis Regii Pſaltis verbis alloquatur. BEATUS VIR *qui non abiit in conſilio Impiorum, & in via peccatorum non ſtetit, & in cathedra peſti-* *Pſalm. 1. 1.*

len-

lentiæ non sedit. O te beatum, exclamant, quisquis es, Adolescens, qui nunquam te ulli, qui minùs cautè per virtutis semitas incedebat, sociâsti; abominatúsque omnes, qui à celsis Evangelii Consiliis discedunt, pestiferam eam sedem esse credidisti, è quâ summæ quidem, sed sanctæ Crucis austeritati pugnantia præcepta traduntur. NON ABIIT IN CONSILIO IMPIORUM, *in viâ peccatorum non stetit, in cathedra pestilentiæ non sedit.* Et profectò talem Dei servum inter Beatos ipse quoq; referrem; nisi credulitatem hanc meam suspectam mihi reddidisset S. Hilarius, affirmarétque, non parum modò, verùm nihil omninò tam circumspectæ vitæ tenorem prodesse, si, qui vel minimam præscriptarum Legum violationem detestatur, & Instituti Apostolici ardentissimo desiderio fervet, id tamen sponte non agit, neque ex Religiosæ Disciplinæ amore; sed eam ob causam, ne pœnas subeat noxiis decretas, aut ne, si secus fecerit, id probro sibi ac crimini à

Præſidibus pro conſervatione Legum, attentiſſimâ diligentiâ vigilantibus, vertatur. Donec iſti animum ſuum ſupremum profectûs ſui Ducem habuerint, nihil vel vigilantis oculum, vel dexteram ferientis morati, nec laude digna eorum virtus, nec diuturna eſt. Ea propter Hilarius, cùm primum Prophetæ verſum exſcripſiſſet. *Non abiit in conſilio impiorum, & in via peccatorum non ſtetit, & in cathedra peſtilentiæ non ſedit:* formidabili ſono proclamat, nullam in memoratis ornamentis collocari ſpem poſſe, niſi poſſimus pro baſi & firmamento, cui ſimul omnia innitantur, id ipſum ſubjicere, quod ſapienter David ſubjunxit, cùm diceret *ſed in lege Domini voluntas ejus. Abſtinentia ſuperiorum* INUTILIS EST, *niſi in lege Domini voluntas ſit. Non expectat Propheta, ut metus ſit. Plures enim intra legem Metus cohibet, paucos verò Voluntas conſtituit in lege: qui Timoris eſt non audere timenda negligere:* PERFECTÆ VERO RELIGIONIS EST *præſcriptis velle*

S. Hilar. in Pſal. 1. To. 15. 83.

le parere. Et idcirco, beatus ille eſt, cujus in Dei lege NON TIMOR EST, SED VOLUNTAS. Si nobis, dum bene agimus, occurrat aut ſiniſtra opinio, quâ laborat, qui nec ferventer nec piè vivit; aut commune odium, quo legum contemptores vulgo vapulant, aut quia inter nos fieri nunquam poteſt, ut quis niſi per Jacobi ſcalam, vitæ ſcilicet Angelicæ, ac excelſæ contemplationis ad primos gradus enitatur, non jam Diſciplinæ filii ſumus, ſed Timoris mancipia, atque adeò per vim adacti remos trahemus, non ſecundo amoris Favonio navigabimus. *Timoris eſt* NON AUDERE TIMENDA NEGLIGERE; *perfectæ verò religionis eſt*, PRÆSCRIPTIS VELLE PARERE. Illos demum verè beatos, & inſignitè ſanctos appellaveris, qui nil mortale aut ſperant, aut timent; & in unum rectè factorum Arbitrum, ac Encomiaſten, ſacrorúmque Cœtuum Rectorem Deum intenti, nec ſuppliciis moventur, nec præmiis. Nam qui aut timoris freno à lapſu cohibetur, aut pro-

 prii

prii compendii ſpe ad curſum velut admotis calcaribus incitatur, quàm primùm pœnarũ terror & mercedis ſpes intercidit, continuò mutuatus ille fervor, & alacritas adſcititia refrigeſcit, ac torpet: omniſque illa virtutis, quam probitatis amor, ſtudiúmq; unicum Chriſto ſerviendi non firmis radicibus corroboravit, extemporalis ſcena evaneſcit. *Et idcirco beatus ille eſt, cujus in Dei lege non timor eſt, ſed voluntas.*

75. Ideo David, qui dicere poterat, ſe vitam omnem in divinorum Præceptorum obſequio, & exercitatione obedientiæ traduxiſſe, faſſus pariter eſt, ſe geminas Divinorum mandatorum Tabulas in pectoris intima tranſtuliſſe, ſéq; ipſum voluntatis divinæ fidelem miniſtrum, & amoris Holocauſtum feciſſe. *Pſal. 118. 40.* *Et levavi manus meas ad mandata tua* QUÆ DILEXI, *& exercebar in juſtificationibus tuis.* Ubi nos legimus. *Quæ dilexi*: S. Ambroſius ſermone ſexto in Pſalmum trigeſimum octavum legit. QUÆ DILEXI NIMIS; Tanquam ſigni-

significare nobis voluisset perseverantiam in sanctitatis studio ab ardenti in ea usque & usque crescendi desiderio provenire. Quò enim quis impensiùs amat, eò est idem alacrior: & qui è carceribus ad cursum emicat nullis suppliciorum flagris admonitus, sed amoris alis instructus, dedignatur videlicet inter Gigantes perfectionis Pigmæus videri; & à cursu non remittit, donec ad metam absolutissimę sanctitatis perveniat, plaudente Cælo, superis acclamantibus. *Non est inventus similis illi. Levavi manus meas ad mandata tua, quæ dilexi nimis.* Exclamare unumquemq; vestrûm tum in Ambulacris, tum in Hortis ædiũ nostrarum oportet: Ego patrimonium meum non abjeci, nec libertati nunciũ remisi eà mente, ut vulgaris vitæ Berillum emerem, sed ut Perfectionis prorsus Apostolicæ Margaritum longè pretiosissimum mihi vindicarem. Quapropter satis non habebo, tam grave jugũ, quale est, ignotis subesse, & à notis abesse; collo subire: nisi eò deveniam, ut

 nulli

nulli veteris juxtà ac Novæ Legis Sanctorum de vitæ ſanctitate concedam. *Levavi manus meas ad mandata tua.* A quo tempore Mundo crucifixus ſum, omnia alia verba in hac Cruce me deſtituerunt, præter illud unum, quod JESUS ſuæ immoriens me docuit, cùm novorum cruciatuum avidus dixit: SITIO. Hanc vocem repeterem, tametſi cum Laurentio in craticula urerer, vel membratim conciſus cum Jacobo animam agerem; ſemper eam vocem iterabo, quam Franciſcus noſter omnibus licèt ærumnis oppreſſus, quæ ab uno ad alium mundum Crucis erigendæ ſtudio excurrentem proſequuntur, ingeminare non deſtitit. SITIO SITIO, *Amplius Amplius.* Neq; verò multùm laborandum eſt, ut deprehendatur, quiſnam non ſuâ ſponte, ſed vi agatur, cùm ejuſmodi hominis opera nunquam tenorem ſervent, ſempérque tum in contentione laboris, tum exempli claritate deficere ac languere conſueverint. *Omnis gloria ejus filiæ Regis ab intus.* Eadem ſcilicet his agendi, quæ

Rhetoricæ artis Tyronibus ſcribendi conſuetudo eſt; qui ut Doctrinæ ſuæ ſpecimen edant,demonſtréntque quantum ſupra condiſcipulos ſuos emineant, verba primùm à Magiſtris inculcata, & in os propemodum ingeſta, tum ſententias aliquot è veteris Eloquentiæ ſpoliario non optimâ fide ſumptas, ſchemata jam ab hoc, jam ab alio libro emendicata, partes videlicet diverſiſſimas ſibíque pugnantes in tam prodigioſos centones conſuunt, ut Chimæris Poëtarum fabulis eſſe non liceat, quas nimirum iſti quotidie creant, nobíſque ſpectandas offerunt. Nulla eſt pagina in qua non videas hinc verba luxurioſè magnificéq; intumeſcere, illinc figuras jacere: jam promiſſorum ingentium hiatus inanibus argumentis expleri: aliàs explicari Eruditionis farraginem, ac temporum rationes implicari, turbaríque; veris denique falſa, Hiſtoriis fabulas permiſceri. Quod rerum tam inimicarum & precariæ Chaos Eloquentiæ, tum ex artis ignoratione, tum è ſcriptionum eru-

de-

deratarum rapinis progignitur. Aliter scribit, qui lectos libros, collectámque eruditionem sibi asseruit, & multâ meditatione digestos in proprium succum, ac sanguinem commutavit. *Aliter utimur propriis* (proditum litteris est vel à Quintiliano, vel Tacito in Dialogo de Oratoribus) *aliter commodatis: longéq; interesse manifestum est*, POSSIDEAT QVIS EA, *quæ profert*, *an* MUTUETUR. Sic qui Præsidum monita diuturna quotidianáque meditatione, statis videlicet precandi temporibus, sua non fecerit, nunquam iis satis constanter obsequetur. Contrà, qui tradita vitæ instituendæ præcepta coram Deo teste ac Judice, seriò secum expendit, considerátque quàm vera, quàm necessaria sint, atque hinc in eorum amorem penitus exardescit, non solùm ea diligenter operi mandat, verùm etiam ignaros edocet, apud ferventes promovet, à tepidorum impugnatione defendit, & frementibus licet adversariis, aut sanctitatis incuriis ea propugnat suáque auctoritate

Tacit. Dialog. de corrupta Eloq. To. 9. 288.

tate tuetur. Quam ob rem nemo tam lippis eſt oculis, ut non videat, quid inter mutuatum, adſcititiúmqe, & innatum intimíſque viſceribus conceptum ardorem interſit. *Aliter utimur propriis*, ALITER COMMODATIS. Semper apparet, utrum veſtis, quam gerimus, noſtra ſit, an alterius: diverſóque modo dicit, aut perorat, qui Declamationem ab amico compoſitam recitat, & qui Satyram effundit, quam ipſi ardens in adverſarium ira, & œſtro concitata Poëſis, longáque exercitatio dictavit. *Longéque intereſſe manifeſtum eſt, poſſideat quis ea, an mutuetur.* Qui enim rationibus internis permotus Moderatoribus ſuis ſe ſubmittit, is ſub impoſitis ſibi muneribus triumphat: gemit verò fatiſcitque, qui amicorum ſuaſu ea ſuſcepit. Atque ideo alter è ſudoribus ſuis lætitiæ ſpicas, & meritorum meſſem colligit; alter ex iiſdem non niſi leves, evanidáſque paleas, & moleſtas urticas doloris ac tædii reportat.

76. Enimverò! ſi gloriam DEI in Pro-

Provinciis curæ noſtræ commiſſis promovere cupimus, neceſſe eſt, unumquemque noſtrûm Ezechielis currui ſe ſimilem præſtare. Hic Aurigâ deſtitutus, nec, ut forſan aliqui arbitrantur, atque ego ad poſtremos uſque hoſce dies credidi, à ſanctis quatuor Animalibus trahebatur, ſed ſpiritu ac vitâ omnibus ſuis partibus infuſâ plenus, præcedentium Cherubinorum veſtigia, nullâ vel violentiâ vel neceſſitate ad ambulandum ſubigente, ſuâ ſponte ſequebatur. Neque minus animabat vehiculi rotas ſua vita, quàm ante volantes Molem Genios ſuus ſpiritus regebat. *Quocumque ibat ſpiritus illuc* EUNTE SPIRITU, *& rotæ pariter elevabantur, ſequentes eum, ſpiritus enim vitæ erat in rotis.* Ideóque in ea machina Dei gloria velut in Throno reſidebat, déque ea dici poterat. ET ECCE IBI GLORIA DEI *Iſraël ſecundum viſionem quam videram.* In cujus certè puppi nunquam ſe Divinitas collocâſſet, ſi motus illius, aut à ſeparatis ab ipſa machinis, aut à Duci-

Ezech. 1, 20.

Ezech. 8. 4.

Ducibus ab eadem diversis pependisset. Quippe sicut, cùm traheretur Dei cultum populis invexisset; ità cùm Ducibus quies placuisset, ipsi quoque necessariò consistendum fuisset. Eam ob rem Deus, qui Ministros indefessos, nec unquam inhibere cursum vult, in mobili solio se collocat, cujus partes omnes nullo machinarum, artísque ingenio, nullo flagri sibilo moverentur. Quilibet alius Currus jam volat, jam hæret immobilis; cùm omnis eorum cursus à jugalibus pendeat, qui sicuti quiete, quod cupiunt, abstinent, cùm ab Aurigâ scuticis urgentur, ita cùm defuerit, à quo vapulant, eam continuò arripiunt. Cófirmat ea, quæ dixi, S. Ambrosius, dum affirmat ab Animabus illis perseverantiam in cursu sperari non posse, quæ eatenus procedunt, dum objurgationibus impelluntur, nec nisi pastoralis insomnísque vigilantiæ freno cohibentur, nè in præceps ruant. *Infirmus enim custos* DIUTURNITATIS *est timor.* Hujus verò sententiæ suæ causam eruditus Antistes,

Lib.7.in c.9. Luc.
To. 44. 138.

tiſtes, ac Philoſophus affert. Quem enim à caſu Regentium ſolicitudo retinet, is animi ſui perturbationes non emendat, ſed cavet modò, nè in publicum erumpant. Prorſus ut Fluminum præter morem intumeſcentium undæ, cùm ab objectis pilis, & aggeribus repelluntur, ſiſtuntúrque: non minuuntur, etſi non procurrant, quin imò augentur magis, majori ſubinde impetu ſe præcipitaturæ, cùm vel removentur repagula, vel attolluntur clauſtra. Sic ingenium cætera contumax interdum metu adigitur ut cervices ſubdat muneri demandato, non quòd obedientiam amet, ſed quia timet, ne rebellis habeatur. Quocirca ubi ſocordiæ ſuæ impunè futurum ſperat, otio computreſcere mavult, quàm vires ac vitam, uti oportuit, Animarum ſaluti, Religioníſque propagandæ impendere: laborat, dum ſe videri videt; obdormit, cùm dormientem ſenſerit inſpectorem. INFIRMUS CUSTOS DIUTURNITATIS *eſt Timor, qui enim metuit* REPRIMITUR, NON EMENDATUR.

77. Age jam tanti Doctoris prudentissima effata cum historiis componamus, quas Spiritus Sanctus in divinis litteris memoriæ prodidit. Ringens inviḍiâ Dæmon, cùm ferre non posset, amissas à Collegis suis sedes Adami posteris reservari, vertit se in serpentem, eáque se specie objecit Evæ; atque in ipso fallacis, captiosǽque orationis prooemio, visus est angustias horti mirari, cujus immensa spatia in angustos adeò limites dominantis imperium coëgisset. *Qui dixit ad mulierē: Cur præcepit vobis Deus ne comederetis* DE OMNI LIGNO *Paradisi?* Vah improbum mendacium à Conditoris observantia tantis ab eo donis ornatos Protoplastos Parentes nostros abducere molientis! dignum sanè, quod ipsa quoque Femina cum stomacho rejiceret, ac falsum, mendacémque Luciferum appellaret, latæ videlicet Legis ignarum. Quippe cùm serpens Numinis austeritatem adeò exaggeraret nullum planè fructum ex Pomario illo ipsorum usibus concedentis:

Gen. 3.

Præ-

Præcepit vobis Deus, ut non comederetis dè omni ligno Paradiſi, illa diſertis verbis repoſuit. Non omnes horti arbores interdicto comprehendi, imo veſci ex qualibet ſtirpe fructifera, unâ tantùm arbore exceptâ, quam ex omni ea frugum optimarum affluentia unam duntaxat ſupremus Agricola arbitrio ſuo reſervâſſet. *Cui reſpondit mulier, De fructu lignorum quæ ſunt in Paradiſo veſcimur.* Qua in re animadverti velim, Diabolicum Idioma, & antiqui ſerpentis illius ſibilum eſſe, Religioſa interdicta exaggerare, dicere oppreſſas domus Tyrannide, nullam quietis partem permitti, ſi quando, cùm mille ſuppetant ſublevandis neceſſitatibus noſtris opportuna remedia, corruptela quæpiam Apoſtolico vivendi generi repugnans tollitur, atque aboletur. Luciferi ea oratio fuit, qui generale interdictum proſcriptionémque voluptatis omnis ac cibi auſus eſt appellare, cùm ab arbore non niſi una juberetur Adamus falcem abſtinere. Ceptum ſermonem modò proſequa-

quamur. Et hactenus quidem mulier, quemadmodum erat viventium Mater, ita Dæmonum Magiſtra eſſe viſa eſt, quos ipſa præceptionibus ſuis inſtitue-rat, quorum ſophiſmata diſſolverat, & dolos caſtigârat. Deinceps Feminam ſe præſtitit. Quippe in narrationis pro-greſſu edicti reverentiam cum ſupplicii timore conjunxit. *Cui reſpondit Mu-lier: De fructu verò ligni, quod eſt in medio Paradiſi, præcepit nobis Deus ne comederemus.* Heus tu, hîc os compri-me, malè feriata; ſufficiat tibi nôſſe, quod nolit Deus, vel à ſe vel à tuo ſpon-ſo paucorum ramorum fructus vetitos deguſtari. Quidquid addideris, aut mendacium erit, quod facti veritatem offendat, aut timor ſervilis, qui demon-ſtret te morem edicto gerere, non amo-re Legislatoris, ſed horrore Carnificis permotam. *De fructu verò ligni, quod eſt in medio Paradiſi, præcepit nobis Deus, ne comederemus, & ne tangeremus illud.* En tibi mendacium! *Ne fortè moriamur.* En ſupplicii metum! ad quod advertere

animum non debuit, quæ tam chara Deo Filia erat, quámque omnipotenti suâ manu ipse formaverat. *Ne fortè moriamur.* Igitur ab esu te contines, non quòd Deus à pomis abstinere te jubeat, sed quia ad arboris pedem sepulchrum patet, certum furto gulæq; supplicium. Quid? Ne meminisse quidem intentatæ mortis debueras, cùm id tibi cogitandum dumtaxat esset, in tam manifestum Decretum peccâsse, enormis instar sacrilegii futurum. *Præcepit nobis Deus, ne comederemus.* An autem hoc satis haud est ad gulam compescendam ferendámque inediam? Numquid non hoc ipsum plusquam satis est, ut vetitum cibum velut cicutæ atque aspidum venenum horreatis? Tametsi enim eos, qui contra legem venissent, non mors, verùm insuper diademata expectarent, præstabat tamen obedire, & mori, quàm prævaricari, & regnare. Tu verò, quæ ad mortis nomen expallescis, & ad lethiferæ falcis aciem contremiscis, non diù in pomorum abstinentia perseverabis,

bis, ad quæ manum non extendis, utpote quam dura timoris catena compescit, non aurea armilla debitæ in Rectorem tuum obſervantiæ impedit. *Ne tangeremus illud, ne fortè moriamur. Infirmus cuſtos diuturnitatis eſt timor.* Num vanus Vates fui? num contrà, quàm ominatus eram, evenit? ubi primùm ſpes aliqua mortis evadendæ affulſit miſeræ, advolavit ad arborem, ramos inflexit, pomum carpſit, momordit, devoravit. *Dixit autem ſerpens ad mulierem*, NEQVAQVAM MORTE MORIEMINI. Vix mortis ac cinerum metu ſolutam ſe credidit, cùm delicias, quas deperibat, arripuit. *Tulit de fructu illius*, ET COMEDIT, *deditque Viro ſuo, qui comedit.* Ah! magne Ambroſi; quàm divinum illud tuum vaticinium fuit, cùm pudendos eorum lapſus prædiceres; qui ideo non peccant, quia timent! INFIRMUS CUSTOS *diuturnitatis eſt Timor. Qui enim metuit*, REPRIMITUR, *non emendatur*: Sanè quod primis Parentibus noſtris cum

maximo Mundi totius detrimento accidit; Nobis quoque eveniet, ſi quando in officio, legúmque noſtrarum reverentia ferreis potiùs catenis Timoris, quàm aureis amoris vinculis contineamur. Nam qui à more conſuetudinéque Vitæ Religioſæ ideo non diſcedit, quia objurgationes metuit, is cùm ſe non notari crediderit, per conculcatas graviſſimas, ſaluberrimáſque Conſtitutiones ad explendas improbas ſuas cupiditates graſſabitur. Dum ſperat arcanum fore, ac neque de conſciorum fide, neque de clementia, diſſimulatione que Præſidum dubitat, quidlibet audebit; atque utì ſilentium, temperantiam, cùm ſe obſervari ſenſerit, non violabit, ità ſolitudinem nactus etiam his deteriora committet, ac libros aperiet oculis Religioſis indignos.

78. Non ſic profectò Joſephus ſe geſſit, cùm ab impuriſſima Domina provocaretur ad facinus, quod nec referri à me debet, nec audiri à vobis poteſt. Conclave in quo illa Juvenem ad con-

cul-

culcandum Innocentiæ ſuæ lilium hortata eſt, adeò à familiæ frequentia ſemotum erat, & in ultimas ædium partes abſtruſum, ut nullum eſſet vulgandi erroris periculum. Ipſe tamen, quem in periculoſo illo conflictu nec loci ſecretum, nec certa impunitas, nec Principis feminæ blanditiæ, nec Dominæ fides movebat, exclamavit: Et parum, inquit, in rem noſtram eſt, quòd Putiphares flagitium ſit ignoraturus, quod præſens Deus coram intuetur. fac: effugiamus & tu gladium, atque ego crucem, ſed quis nos à Cæli furore tutabitur, quod in ipſo primorũ amplexuum momento fulminare nos poteſt? *Qui nequaquam acquieſcens operi nefario, dixit ad eam: Quomodo poſſum hoc malum facere*, ET PECCARE IN DEUM MEUM? Qui hunc in agendo modum tenet, is nunquam perperam quid agit. Quo circa Ambroſius, qui priùs dixerat. *Infirmus cuſtos diuturnitatis eſt Timor*, continò ſubjunxit. PUDOR AUTEM BONUS MAGISTER OFFICII. *Quem*

Geneſ. 39. 9.

Lib. 7. in c. 9. Luc. To. 44. 132.

enim pudet facere, in naturam convertit. Pro cujus oraculi confirmatione animadvertit S. Joan: Chrysostomus Emphasim verborum illorum, quibus Juvenis adulteram rejecit; non enim dixit, se non admissurum: sed fieri planè non posse, ut tantum in se scelus admittat: perinde ac neque gelu concipere flammam, neq; flamma potest gelu rigescere. Atque ideo magnanimis vocibus feminam repulit, neque dixit non peccaturum sese, sed non posse peccare. QVOMODO POSSUM FACERE *malum, & peccare coram Deo?* (ità legit Chrysostomus) *Quid enim putas? Etiam si fecerimus, ut res clam sit omnibus,* AB OCULO TAMEN ILLO, *qui dormitare nequit, latere non poterimus. Illum solum timere oportet, & tremere, & pavere.* Et negabimus in Naturam beati Israëlitæ Honestatis amorem transiisse, si ad peccandum vires, ac facultatem sibi deesse professus est?

79. Talem constantiam, támq; nobile propositum conservandi se se purū ab

ab omni labe, omnésque apices præscriptarum legum implendi Salomon in sacris Canticis præsignificavit, cùm sapientissimus, atque eâ tempestate castus & Sanctus Princeps Justorum fervorem aquis vivis comparavit, quæ de Libano mirabili impetu ad irrigandas arbores, & exhilaranda prata decurrebant. *Fons hortorum, & puteus aquarum viventium, quæ fluunt impetu de Libano.* Qui verè justus est, is hortatore non eget, ut mores vitámque omnem è sacrarum legum præscripto instituat, atque componat: Verùm sponte sua, & velocitate incredibili eò procurrit, quo Dei Spiritus eum impellit. *Quæ fluunt impetu de Libano.* Super horum verborum mysterio Richardus de S. Victore unicâ Periodo Commentarium confecit, omnium Sibyllarum foliis pretiosiorem. Clamat eruditus Interpres: Huic Fonti similis non est Puteus ille, super cujus marginem diù cum Christo Samaritana contendit, & ex quo vel pauxillum aquæ ad eum reficiendum haurire gravata est.

Cant. 4.16.

Non sic ille Puteus de quo Samaritana hauriebat aquam. Profundissima Cisterna erat, cúmque omnibus tota Samaria famosis mulierculis copiosissimâ aquam sufficeret, uni Christo ne tantum quidem liquoris præbebat, quo arentia siti labra humectaret. *Dicit ei Mulier, Domine, neque in quo haurias habes, & puteus altus est.* O quàm pauci sunt Fontes è Libano derivati, qui sponte ac ultro veri Salomonis arbores irrigent, atq; conservent. Et quàm contrà ubique locorum frequentes sunt Sicharis Cisternæ, de quibus præter unum Mundi Servatorem omnes aquam hauriunt? Si ex Amicis quispiam seu studiis vacantem, seu meridiantem interpellat, ut domo egressurum comitetur, extemplo volumina clauduntur, studia intermittuntur, quies excutitur, oculi absterguntur. Quòd si verò Præses monuerit, ut vel sub auroram ægro cuipiam adsimus, vel sub noctem moribundum solemur; forsan reperietur aliquis, quem ab officiis professioni suæ tam propriis, aut scribendi

Lib. 30. in Cant. pag. 2. To. 78. 135.

caco-

cacoëthes, aut ignavia ſomni remoretur. In patriam iter ſuſcipi vel hyeme potest, ut conſanguinei viſantur, & ſalutentur gentiles. Ad animas in Miſſionibus excolendas non ità facilè quilibet adducitur, ut ſe conferat; niſi poſtquã ſolutis nivibus, tepens aura Maji novis floribus montes veſtierit. Ut in frequenti Corona Cœtuum eruditorum ſcita Theologorum, & Academicorum, ſophiſmata cum laude defendantur, otia villæ negliguntur, moleſtis vigiliis nox extrahitur, diurnis laboribus caput obtunditur; quæ incommoda non omnes perferrent, ſi pro bono publico ſaluteque proximorum, ut ea paterentur, fuiſſet imperatum. Inurbanum putaremus, ſi amici rogantis, ut ejus vices ſubiremus in officinarum domeſticarũ operoſis ſudoribus, qui à nobis ex obſervantia erga Chriſti demiſſionem ſuſcipiuntur, preces deſtitueremus: Quòd ſi verò ad eos obeundos Præſidum rogatu invitemur, forſan aut venturos negaremus, aut frontem tam corrugatã ad ob-

ſe-

ſequium afferremus, ut idem, qui tantis verborum blanditiis ad immortalis prę-mii lucrum nos provocavit, à tam laudabili opere, nè gravis porrò ſit, miſſionem nobis dare ſatiùs putaret. Verbo, quilibet Samaritanus, quilibet Chananæus è puteo Jacobi haurire aquam poteſt, ſolo Deo Iſraëlis excepto, cui ſoli & uſus, & poſſeſſio Ciſternæ debebatur. *Domine neque in quo haurias habes, & puteus altus eſt.* Amicitia, urbanitas, vanitas, Ambitio, Patriæ & cognati ſanguinis amor, viris etiam conſecratis longa itinera, periculoſas navigationes, moleſtiſſimos labores, & duras Vigilias perſuadere poſſunt. Quarum incommoditatum vel unam, licèt minimam particulam, ſi obedientia tentârit imponere, immeritò ſe fruſtratam experietur. Id non eò, quòd accidat, ſed, nè accidat, dico: útque contendat unusquiſq; noſtrûm excuſſo Teporis lethargo, vires, facultates, induſtrias, vitam denique ipſam ſponte atque ex animo Numinis obſequio dedicare, Sanctos in

eâ re

ea re Magos imitatus, qui ultro tam laboriosum iter aggressi sunt, & in Præsepis stipulas tam prodigè Thesauros suos & Aromata profuderunt. Equidem nunc quoque cælesti ab arce omnia Religiosa Cœnobia, quotquot Servatoris Ecclesia numerat, David exhortatur, &, siquidem, inquit, non Privigni sacrorum Collegiorum, sed generosi eorum filii estis, omnes corporis sensus, ac universas animæ facultates magno animo Conditori vestro consecrate. *Afferte Domino Filii Dei, afferte Domino filios arietum: Vobis dicitur*, scribit Richardus, *si cupitis esse Filii Dei: si Filii estis, libenter facitis; si Filii esse cupitis, oportet ut libenter faciatis.* Neq; verò causetur quispiam, hoc genus vitæ nimis arduum mortalibus esse. Nam querelas ejusmodi & mendaces & iniquas esse, ipsa vivendi ratio, quam sub prima tempora, quibus nos fideli servituti Crucis dedicavimus, tenueramus, convincit. Nos ipsi, nos, inquam, ingenti alacritate magnis illis Myrrhæ fascibus, quos in

In Psal. 28.

Tyro-

Tyrociniis noſtris quilibet metit, humeros ſponte ſubmiſimus. Quare ſi priùs ignominiis honorari, laboribus recreari; ſi epulari in jejuniis; in vigiliis placidè acquieſcere; in opprobriis triumphare nobis videbamur: Si præſidum fores importunis pulſibus feriebamus, ut per eos in publico caſtigari, privatim in corpus noſtrum ſævire, in multas horas contemplationem producere nobis liceret: ac ſi quando tam triſtibus votis damnati eſſemus, tum denique beatos nos felicéſque credidimus; argumentum eſt, eam difficultatem, quam modò in exercitiis multò, quàm illa fuerunt, mitioribus experimur, non id ex impoſiti oneris pondere, ſed ex humerorum noſtrorum debilitate provenire. Verùm quod ego haud ſatis explicare queo, mirabili claritate S. Auguſtinus ediſſerit, dum exponit pariter, & tantum non expungit verſiculum illum Pſalmi triceſimi. *Statuiſti in loco ſpatioſo pedes meos.* Hoc fieri non poſſe affirmat Auguſtinus. Quippe ſemita Electorum

Pſal. 30.

rum

rum tam impedita ſpinis & anguſta eſt, ut Chriſtus ipſe hâc eò tendentium infelicitate attonitus, exclamaret. *Quàm arcta eſt via quæ ducit ad vitam!* Quomodo igitur vel commorari, vel etiam currere in latitudine triumphalibus viis invidendâ poſſit, quem Deus ad gloriam ducit? *Statuiſti in loco ſpatioſo pedes meos.* Quod ænigma, ut ſolet, ingenioſè diſſolvit Auguſtinus. Illa, inquit, latitudo non in via, per quam itur, ſed in euntis eſt animo. Non viæ ſpatia laxata ſunt, ſed viatorem mentis ſuæ lætitia dilatavit. *Laboranti anguſta via eſt; Amanti lata eſt.* Non auditis, ut Pſaltes in Legis ſtudio exultet? *Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatâſti cor meum.* Non gradior, inquit, ſed volo; non laboro, ſed recreor; quoties ad arduum Calvariæ culmen proficiſcor morienti pro me Deo commoriturus. Ità dixit David, ità Filii Societatis agunt; illi præcipuè qui cras novis clavis Paupertatis, Caſtitatis, & Obedientiæ Chriſti Cruci ſe per iterata vota configent.

Matt. 7. 14.

In Pſal. 30. Tom. 12. 60.

80. Ad

80. Ad hos animi ardores, hæc præclara ſtudia provocandi videlicet à Senioribus Juvenes; & illorum Sanctitate horum virtus exſtimulanda eſt. Nunquam enim dicet Juventus noſtra: *Venimus*, niſi eorum eorum exempla, qui ætatem in virtutis exercitatione tranſegerunt, eos fateri dicereque coëgerit: *Vidimus*. Juvenilium annorum pluſquàm vitrea fragilitas in adamantem durabitur, cùm Veteranorum in ærumnis conſtantiam, & in profectionis ſtudio firmitatem conſpexerint. Nemo Juniorum inter Academicos plauſus ſe ſe audebit extollere, cùm in adultioribus in ipſa ſapientiæ luce conſtitutis magnanimum popularis famæ contemptum, & ſanctum odium adverſus quaſcunque immunitates deprehenderit. Idem in Collegiis noſtris, quod in Cælo uſu venit. Illic viſa in Deo immortalitas eos ipſos, qui vident, immortales reddit. Illic & æternitas illa omnis corruptionis & viciſſitudinis expers ſic afficit univerſos, qui eam contemplantur,

tur, ut & ipſi ſimilem conſtantiam nunc quidem animis, pòſt & corporibus induant. *Similes ei erimus, quoniam videbimus eum.* Mirabilis, ſed ſimul veriſſima eſt Gregorii expoſitio. *Similes ei erimus, quia per hoc, quod aſpicimus ejus eſſentiam naturæ, à mutabilitate noſtrâ liberati* FIGIMUR IN ÆTERNITATEM. *Immutamur quippe in ipſo, quem videmus, quia morte carebimus, videndo vitam: Mutabilitatem noſtram tranſcendemus, videndo immortalitatem; corruptione nullâ tenebimur, videndo incorruptionem.* Intelligitis, opinor, omnes glorioſorum corporum dotes, & Beatarum Mentium ornamenta è viſione Dei derivari. Erunt immortales; ſed *videndo vitam*; erunt conſtantes, ſed *videndo immutabilem*; Integritatem tũ animi, tum corporum nulla vis, nulla cupiditas libabit, ſed *videndo incorruptionem.* Quapropter ſi Collegiorũ noſtrorum Alumnos Apoſtolicis Axiomatibus eruditos, incommodorum, Martyriorúmque ſanctis deſideriis accenſos videre

Lib 1. Hom. 2. in Ezech. To. 32. 34.

re

re concupiſcimus, demus operam, ut ipſi in Nobis videant inſanabile faſtidium rerum caducarum, inexplebilem ſitim tum fellis Chriſti, tum omnium amaritudinum, quas præſentis vitæ ſtatus inſeparabili nexu cum perfectione religioſa, & animarum ſtudio conjunxit: ſi dicere potuerunt. *Vidimus*, adjungent neceſſariò: *Venimus*. Cæterùm fruſtra ſperamus ſanctos fore, qui diſcunt, niſi Sancti ſint, qui docent.

81. Eadem de ſuggeſtu Antiocheno S. Joan. Chryſoſtomus ad ejus Metropolis Clerum diſſeruit, quem profligati mores, impudénſque juventutis illius licentia vehementer offenderat. Et verò faſſus eſt ille, pluſquàm vera eſſe, quæ de petulantia juvenum, qui eſſent in celeberrimâ illa Civitate, querentur. *Jacent omnes adoleſcentes:* PURGAMENTA MAGIS QUAM ADOLESCENTES, *rident, ſubſannant, cavillantur, & mutuum ſe inceſſunt ſcommatis.* Date hîc veniam mihi, ſi à Chryſoſtomi querelis, & ab argumento, quod tractamus, haud

haud quidem procul digressus fuero. Lubet exclamare. Itáne verò Juventus Antiochena veluti corrupta planéque perdita censetur,& non vineæ à Christo satæ palmites, sed fæx, ac sentina Urbis potiùs alicujus cultui Idolorum addictæ, in publico & pro concione appelletur? si vel cachinnos immoderatiùs effert, si minùs verecundè ridet, si loquentibus obstrepit, & contubernalibus illudit? RIDENT SUBSANNANT *cavillantur*, & SE SCOMMATIS *incessunt*. Síccine igitur labeculæ tam exiguæ, támque pervulgatæ usque adeò dehonestant Juvenes in profanis ædibus educatos, neque ullâ dum sacratiore disciplinâ informatos, nullis adstrictos Votis, neque sublimioris vitæ legibus subjectos? Quid verò, quæso vos, dicturum putamus Chrysostomum, si eandem morum vitǽque licentiam deprehenderet in Juvenibus sacrarum litterarum lacte, ac pane Sacramentorum enutritis, Deo per tot vota conjunctis; quos denique ipsum vitæ genus, quod

ſequuntur, ſeculo prorſus exemit, ad Apoſtolica munera evexit, & converſioni Orbis Terrarum conſecravit? Quam ob rem nemo miretur, ſi Domiciliorum noſtrorum Præſides vehementiſſimè animo commoventur, ſi quando in ſubditis ſuis plus libertatis, quàm modeſtiæ vident. Non ſacrilegia, aut immania flagitia tantum virum adegerunt, ut Juventutem Antiochenam ceu planè peſſundatam deploraret: Id ſolùm tanti luctus illi cauſa extitit, quod dicerentur ridere, ſubſannare, cavillari, & mutuò ſe inceſſere ſcommatis. Et nos ſcilicet non deflebimus veluti vaſtatam Domini vineam, ſi fortè ſuccreſcentes ejus palmites vanæ cujuſdam lætitiæ pampinis luxurientur. Id quod uſque adeò dedecet eos, qui in eadem cum Stanislao virtutis Palæſtra, litterarum cum Aloyſio, eruditi, ad eadem cum Xaverio bella, ſtipendiáque vocantur: Verbo, qui Parentem Ignatium habeant, ſolitum à ſuis juge irremiſſúmque corporis ac animi ſubigendi ſtudium, Crucem deniq; per-

perpetuam exigere. Nemo proinde non lugendam, non amarissimis lachrymis prosequendam putet perturbationem Religiosæ disciplinæ, Ordinisque; cujus concentum pulcherrimum pauci quidem, imò paucissimi maturitatis gravitatisque, qualem à Crucis suæ sectatoribus meritò Christus reposcit, immemores, intempestivâ lętitiâ interpellant. Sed jam interruptæ orationis filum resumamus, & Chrysostomo dicendi locum reddamus. Haud equidem inficior, Sacerdotes Antiocheni (prosequitur Orator acerrimus) depravatam penitus Civium nostrorum sobolem esse. Ajo maximam esse, nec ferri jam posse illius licentiam: atque adeò nobis incumbere, ut inexorabili severitate procul eos à Templis, procul à sacrificiis arceamus. Atqui eâ re id solùm assequemur, ut fluminis quidem alveus exhauriatur, non verò ut fons obstruatur, aut aliò divertatur. Quòd si ergo bene moratos cupimus hæredes nostros, necesse est, ut Pietatis exemplum iis nos

ipſos præbeamus: quò fiet, ut propoſitâ ob oculos vitæ noſtræ pulcherrimâ imagine, damnare cogantur ejus, quam ipſi deſcripſerunt, effigiei ruditatem. Nempe quia jam nulli ſunt inter nos Petri, Ignatii, Anaſtaſii, Babylæ, Iſidori, Stylitæ, Margaritæ Virgines, Publiæ Deo votarum Virginum Antiſtitæ, ac anteactæ vitæ maculas lachrymis eluentes Pelagiæ, ideo mirum vobis non videatur, ſi pariter Alumni noſtri primævæ pietatis ornamentis careant: quippe cùm Juniores noſtri dicere nequeant: *Vidimus*; non poſſunt iidem ſubjungere *Venimus*. EXEMPLA DISPARUERUNT; *idcircò nulli adoleſcentes fiunt admirabiles.* Patres mei Reverendi, libétne Poſterorum noſtrorum virtute, & Alumnorum noſtrorum ardore lætari? Ipſi virtutem ardenter colamus, & Apoſtolorum iis ſpeciem præferamus. Nulla apud nos Regia extruitur, cujus forma non antè deſcribatur. Zeuxis & Apellis Tabellæ, quæ volucres ex aëre, & ex Oriente celeberrimos quoſ-
que

que ſpectatores ad ſe traxerant, haud aliter pictæ ſunt, quàm artifice ad modulum penicilli Ducem identidem reſpiciente. Si deploramus (quod quidem ad paucos, minùs quàm par eſt, quámq; innumerabilium ſociorum præclara virtus poſtulat, vincendi ſui ſtudioſos pertinet) in ſcholaſticis noſtris eam lachrymarum ubertatem, quâ olim inter orandum Fratrum ac Patrum noſtrorum oculi affluebant; ſi leviores, retuſioréſque ſunt catenæ, quibus lumbos ſuccingunt; ſi affligendi ſe ſe tum domi, quotidianæ refectionis tempore, tum foris, inter ambulandum, ſenſus omnes cohibendi ſtudia nec tam crebra, nec tam vehementia ſunt, quàm vitæ noſtræ dignitas exigit: Si expeditiones in Pagos ad erudiendos in Chriſtiana fide ruricolas ſolito minùs alacriter ſuſcipiantur; niſi ſint, qui deſiderio Indiarum ad vitæ uſque tædium incitentur, & ſolâ ſpe apud Mauros, Japonéſve vel adacto in viſcera palo, vel inverſo corpore in foſſas demerſo mortem oppe-

tendi se sustentent; in nos ipsos convertamus oculos, exploremúsque num ideo fortè minor vis caloris in corda Juvenum redeat, quia è vultu animóq; Seniorum minor in intuentes lux repercussa refunditur. Indubitatum profectò est effatum Chrysostomi sanctè testantis, non posse ab Adolescentibus virtutis miracula sperari, nisi prodigiosa sit probitas ætate provectorum. EXEMPLARIA DISPARUERUNT, *idcirco* NULLI *adolescentes fiunt admirabiles.* Quælibet in nobis luminis defectio lachrymabiles Eclypses parit in iis, qui omnem è lumine nostro lucem mutuantur.

82. Haud equidem tam malè Juvenibus nostris ominor à Condiscipuli alicujus exemplo aut non optimo, aut etiam pravo; raró namque adolescentium ardor æqualium tepore restinguitur. At verò nisi luculento semper igne Seniorum virtus arderet, videremus continuò præclara illa precandi, discruciandi sese, animásque juvandi studia, ipsiúsque

que etiam integritatis amorem in Juvenibus refrixiſſe. Quam in rem magnopere congruit Plinii ſenioris ſententia, ſalſè deridentis Romanorum aliquos, qui Diſciplinam Civilem in Gallica Viennenſium Nobilitate admodum corruptam querebantur. Equidem, Quirites, inquit Plinius, Civitatis illius ludi convivales, ac ſcenarum improba licentia illic reſtagnat, nec exteros corripit. Noſtri verò luxus, ſcenæ noſtræ, Amphitheatra noſtra, illa demum ſunt, quæ per univerſum, quâ patet, Imperium, immenſam ſcholam profuſionis, atque intemperantiæ aperiunt. *Viennenſium* VITIA INTRA IPSOS RESIDUNT: NOSTRA LATE VAGANTUR; *útq; in corporibus, ſic in Imperio graviſſimus eſt morbus, qui à capite diffunditur.* Pariter, ſi qua labes vitiúmve in coævo, aut inferiore animadvertitur, id quidem utilitatem nullam affert, nulli tamen magnopere obeſt, aut peſtem afflabit; quippe quod aſpicitur quidem, non verò ſuſpicitur. Secùs accidit, cùm, qui

Lib. 4. Ep. 22.
To. 29. 18.

præcedit,à virtute in vitium degenerat. Hoc autem præcedendi nomine non intelligo, aut Magiſtratuum Faſces, aut culmina Cathedrarum, aut inſignem excellentiam Gradûs, aut non mediocrem ætatis prærogativá : comprehendo illo nomine quamlibet etiam minimam vel muneris vel annorum præſtantiam. Recurrit modò in memoriam me, cùm Dialecticæ ſtuderem mores eorum, qui Philoſophiæ curriculum abſolvebant obſervare conſueviſſe: multò verò attentiùs in Magiſtros inferiorum ſcholarũ oculos defigebam; Theologorum noſtrorum quemlibet veluti vivendi formam mirabar; Veteranorum quemcumque veluti normam, ad quam actiones ſuas univerſi exigerent, à Supremis Societatis Capitibus nobis propoſitam adorabam. Quam ob cauſam omnia eorum facta Legis imperiũ, & Gloſſæ quædam Decalogi mihi videbantur. Itaque, ſicut cùm me diſſimilem venerandis illis Religioſæ Diſciplinæ formis viderem, quas tempeſtate

illa primarium iſtud Societatis noſtræ Collegium plurimas numerabat, pudore ſuffundebar, atque animo inardeſcebam: Ita obrigeſcebã penitus, ſi quando eorum verba non ſimiles flammas ſpirarent, quas Apoſtoli ſub Pentecoſten Spiritu Sancto in eorum capita delapſo jaciebant in populos: vel cùm Perfectionis ſplendorem humanis potiùs, quàm divinis actionibus quâdam veluti umbrâ refringerent; ídque, quod ego expertus eram, videbam omnibus aliis, qui eandem mecum ſcholam frequentabant, accidiſſe. Nimis profectò, nimis verum eſt Plinii effatum. *Ut in corporibus, ſic in Imperio graviſſimus eſt morbus*, QUI A CAPITE DIFFUNDITUR. Virorum minùs illuſtrium vitia ſunt illa quidem communium inſtar morborum; at verò celebrium hominum labes contagia ſunt, quæ vel ſolo halitu peſtem ſpargunt, & omne virtutis robur elidunt. *Viennenſium vitia* INTRA IPSOS *reſidunt*, NOSTRA LATE *vagantur*.

83. Quo-

83. Quoniam verò Junioris Plinii Epiphonema protuli, liceat per vos mihi Senioris Plinii narrationem attexere. Animadvertit prudentiſſimus ille Senator, Margaritarum ortui non obeſſe aut tempeſtatum procellas, aut monſtri cujuſpiam viciniam. E contrario in ævum omne liveſcere, palleréque unionem, ſi, dum formatur, tonitrua aërem perſonent. *Partum Concharum eſſe Margaritas.* EUNDEM PALLERE CÆLO MINANTE CONCEPTUM. Quamdiu in Elemento, in quo conſiſtimus, ſtrepitus naſcitur, & in eodem detonat, ceu terriculamentũ contemnitur, non ut periculum timetur. Miſeros verò nos, ſi ex altiori loco, quàm in quo verſamur, rixarum ſoni ad aures, & fulgura livoris ad oculos noſtros pervenirent. Tum enimverò, qui nuper Religioſam vitam auſpicati ſunt, opinionem ſuam, quam de ſanctitate Cœnobiorum, quæ Apoſtolorum totidem Collegia, & in Calvarii montis faſtigio collocata jactabantur, habebant ampliſſimam, ſubinde damna-

Lib. 9. Nat. Hiſt. c. 35. Tom. 57.

damnare cogerentur. Nec mora illustri illo Simplicitatis Evangelicæ candore abjecto, quem infectum semel nunquam satis eluent, ita secum ratiocinarentur: si, qui multò ante nos vexillo Crucis nomen dederunt, tantopere clavos horrent, & spinas vitant: si, qui à tot annis Demissionem Apostolicam, & Evangelicam concordiam profitentur, inferiores sedes dedignantur, & iracundè Collegis suis respondent; quorsum nos omnem in eo ambitionem collocavimus, ut infimum locum prensaremus, pacémque, quam nulla in nos ira, ne inflicta quidem vulnera perturbare unquam possent, colere destinavimus? *Eundem* PALLERE CÆLO MINANTE *conceptum*. Quapropter inculpatæ prorsus vitæ sit oportet, qui cum hominibus non inveteratæ virtutis commoratur.

84. Mirabilis in hac re Historia est, quam nobis in Genesi de Abrahamo disserens Moyses descripsit. Absolvit Propheta memorati libri caput decimum, sex-

ſextum, cum dicto: Magnum Patriarcham octogeſimo ſexto ætatis ſuæ anno ex Agare, altera, quam duxerat, conjuge, Iſmaëlem ſuſcepiſſe. *Octoginta & ſex annorum erat Abraham, quando peperit ei Agar Iſmaëlem.* Sic ille ſextum decimum caput concludit. Orditur continuò, quod ſequitur decimum ſeptimū caput, refértque ejus, qui modò pater factus eſſet, annos ad nonaginta novem aſcendere, nec memorat toto illo, quod interceſſit, tredecim annorum ſpatio, aut Aram à Dei ſervo dedicatam, aut victimam cæſam, aut peregrinum hoſpitio exceptum, aut noctem unam precibus impenſam fuiſſe. *Poſtquam verò nonaginta & novem annorum eſſe ceperat, apparuit ei Dominus.* Itáne verò credendum eſt, tot annos per otium, atque deſidiam à tanto viro tranſmiſſos fuiſſe? Imò nullo unquam tempore aut occupatiorem, aut laborioſiorem fuiſſe dico. Quid igitur geſſit, ſi neque oblata ſacrificia, neque peregrini hoſpitio recepti, nec viſa Cæleſtia, nec extructa

Gen. 16. 15.

Gen. 17. 1.

Tem-

Templa memorantur? FILIUM EDUCAVIT, nec ultrà quidquam require. Tanti nimirùm eſt, vel Iſmaëlis alicujus educatio; ut Abrahamus vir ad omnia ſumma natus tredecim ipſos annos in ea cura inſumere, omni alio negotio ſepoſito, & oppreſſus potiùs quàm rebus gerendis diſtentus fuiſſe credi poſſit. Jam verò cùm ille ad centum annos accederet, tertium decimum filiolus exceſſerat, & commodum attigerat Bivium illud, in quo Adami poſteritas vel in impietatis laqueos ſeſe induit, vel illibatæ pudicitiæ purpurâ exornatur. *Apparuit ei Dominus, dixitque ad eum: Ego Dominus omnipotens* AMBULA CORAM ME ET ESTO PERFECTUS. Quod quidem Deus ſanctiſſimo Seni toto ferè centenorum annorum ſpatio nunquam imperaverat. Et ego quidem arbitror, id dicere Deum voluiſſe. Abrahame, quod actis retro temporibus tanto virtutis tuæ lucro peregiſti, cùm Patriam, Gentémq; tuam deſereres; cùm Ægyptum peragrares; cùm inter Nationes exte-

exteras in Chananæorum regione exulares, Naturæ præſcriptis ex amuſſim obtemperares, ſingulari cultu meum Nomen venerareris: id omne voluntatis erga me tuæ gratuitum munus fuit. Impoſterum virtus tua non voluntarium Holocauſtum, ſed neceſſaria præceptorum meorum obſervantia futura eſt. Cave, ne vel latum pedem ab arctiſſima omnis integritatis ſemita exerres: ac memento vitam tibi deinceps agendam Angelicæ quàm humanæ ſimiliorem. Id tibi ob eam cauſam impero, quia Iſmaël te Patrem fecit; ubicumque enim Filii adoleſcunt, Patre ſancto eſt opus. Quod quam mihi curæ ſit, indè colligas licet, quòd, cùm tam gravem tibi legem impono, non clementiam, quæ parcat; ſed omnipotentiam, quæ puniat, intuendã tibi proponam. EGO DEUS OMNIPOTENS AMBULA CORAM ME, *& eſto perfectus.*

85. Oppidò mirarer tantam legis iſtius vehementiam, niſi apud Ethnicos ſcriptores ſeveriora etiam edicta, non

paren-

parentibus ſolùm, verùm etiam miniſtris puerorum non tredecennium modò, ſed infantium quoque trimeſtrium propoſita legiſſem. En quanta verborum gravitate, ac ſeveritate ab Infantium cunis qualeſcumq; voluptatis illecebras, & quamlibet lætitiam non ſacram Satyricus, lege latâ, jubeat exulare.

NIL DICTU FŒDUM *viſúque hæc limina tangat*
Intra quæ PUER EST. *procul hinc, procul indè Puellæ,*
Lenonum, & cantus pernoctantis Paraſiti.
MAXIMA *debetur* PUERO REVERENTIA.

Juvenal. ſat. 14. To. 17. 50.

Secundum hæc ad Sobolis patrem verſus, multò etiam acriùs, ſeveriúſq; eum monet, ut quàm cara illi fama, prolíſq; in virtute conſtantia eſt, vitium omne minimum licèt, longè ſtudioſiùs caveat, quàm Phalaridis Taurum & Latumias Dionyſii:

Si quid

Si quid
Turpe paras: NEC TU PUERI *contempſeris annos*;
SED PECCATURO OBSISTAT
TIBI FILIUS INFANS.

Si quando te Avernales Furiæ invaderent, ſtimularéntque ad privatas ſimultates perſequendas: aut quidquid apud Poëtas Muſarum eſt excantarent, ut ad juvenilia oblectamenta animum adjiceres: rejice univerſas, & niſi compreſſo pugno ſat eſt, ſtricto pugione repelle; atque ex æquo procul habe tum rancores, qui in vindictæ dehoneſtamenta deſinunt, tum petulantiam omnem, quæ famam fædè commaculat. Cunæ prolis tuæ, quam educas, aggeris inſtar & propugnaculi tibi ſint, ut ne propiùs animum tuum pulſet aut levitas, quæ mores tuos ſolvat, aut ira, quæ te cruentet. PECCATURO OBSISTAT *tibi filius infans*. Et non licebit mihi hominibus Chriſto conſecratis, & novæ Legis Sacerdotibus id dicere, quod Poëtaſter aliquis elegantis ille quidem ſtyli, ſed cujus ſcri-

ſcripta petulantia, vitam verò Idololatria inquinavit, tam ſapienter præſcripſit Saturni Parricidæ & Adulteri Jovis cultoribus? Quam ob rem etiam atque etiam obteſtor, quiſquis inter nos aut publicis aut ſolemnibus Votis in præcipuam interiorémque Societatis partem admiſſus eſt, ut nunquam in actionem minùs caſtigatam, aut vocem non prorſus Apoſtolicam prorumpat, niſi priùs quaquaverſum oculos circumegerit, exploraritque, utrum à nemine, qui in vita Religioſa non dum adultus eſt, immoderatum quid in dictis factiſve ſuis vel audiri poſſit, vel videri. Equidem inter ætate provectos fieri poteſt, ut argutia quæpiam ſit extra culpam, actióque ab Adami luto non prorſus emundata, peccato vacet, quæ tamen dicta & facta præſente alio, cui tenerior ætas, recentiórq; vitæ Religioſæ profeſſio eſt, perniciosiſſima & deteſtanda exiſtent, ob ſtragem quã edunt auditorũ ſpectatorúmq; debiliũ in deteriora flecti faciliũ, ac cereorũ. *Sed peccaturo obſiſtat tibi filius Infans.*

86. Cui postulato si propitias aures impetrarem, dicerem sanè de sanctitate hujus Domûs, & absolutissima Juvenum nostrorum virtute nihil esse dubitandum. Nullus eorum unquam auderet vel minimam Collegiorum nostrorum consuetudinem violare, nisi eam priùs defloratam videret ab iis, qui vel tempore vel Magisterio ipsum præcedunt. Rarissimè contingit, ut, qui sub modio vitæ privatæ & ætatis freno etiamnum obnoxiæ consistit, impudenter se candelabro superimponere, & perniciosæ novitatis auctor haberi velit. Quapropter qui derisiones Chami derisores convocantis, & cachinnos sub Patriarchæ tentorio cientis fulminabat, illi disertis verbis dixit Ambrosius, fieri non posse, ut hic in ætate adeò acerba tam sit effrons, qui Phreneseos suæ in Religiosissimo cæteroquin Tabernaculo aliquod sit nactus exemplum. Neq; verò dicatis Japhetum ac Semum viva esse verecundiæ simulachra: repeto enim, siquidem isti læsæ Disciplinæ rei non

sint,

sint, esse aliquem sub illius tugurii cespitibus, à quo ad Modestiam exuendam stimuletur. At enim solus in hospitio Noë superest: quis autem audaci juveni ab homine tam sancto proterviæ ullius causam vel occasionem oblatam fuisse dixerit? Nolim equidem, inquit Ambrosius, celeberrimum virum insimulare: verùm si nemo præterea intra id septum continetur, ausim dicere, quamvis, dum dico, totis artubus intremiscâ, quòd Noemus imprudentiâ quâpiam scelerato filio tantæ nequitiæ ansam præbuerit. En vobis resupinatum in terra bonum senem, & à potûs intemperantia malè tectum. DORMIEBAT JUSTUS, *cùm erraret filius*. Chàm ridet, sed Paterfamilias potat. Itaque indecenter obdormiscentis turpitudo, quæ sanè venialis incogitantia fuit, derisoris cachinnos peperit, non sine grandi sacrilegio profusos. *Ridet Chàm, sed* NUDATUM PATREM VIDENS. Ex quo eventu colligo, incredibilem à nobis circumspectionem requiri quando-

Lib. de Noë c. 73. To. 10. 199. 196.

cunque vitam inter Juvenes agimus. Isti enim non solùm se præcedentium vestigia premunt, sed longiùs quoque, quam tritum ab illis iter monstret, exerrant. Quòd si de hoc dubitatis, cum animis vestris expendite, quantò graviùs peccatum filii dehonestantis infamantísque Patrem, quàm Senis imprudentia fuerit, qui naturæ vinorum ignarus, animo minimè malo, quem è vinea sua liquorem expresserat, degustavit. *Dormiebat Justus*, CUM ERRARET FILIUS. Ad hæc scelerum in pejus euntium incrementa idem respexit Satyricus, cùm loco à me producto intemperantibus patribus hæredum suorum flagitia, paternorum facinorum exempla longè atrocitate sua superatura vaticinaretur. Referent vos, canebat Poëta, posteri vestri, non oris tantùm specie, sed multò magis vitæ turpitudine: quare si vos scabiosos viderint, ipsi deformitate vulnerum, & tetrâ gangrænæ sanie horrorem intuentibus movebunt.

Nam si quid dignum Censoris feceris irâ

Quan-

Quandoq; & similem sibi se non corpore tantùm,
Nec vultu dederit, MORUM QVOQVE FILIUS, ET QVI OMNIA DETERIUS TUA PER VESTIGIA PECCET.

Sed jam tempus monet ſermoni finem imponere, & à profana Poëſi inter ſacrarum litterarum Sacramenta conquieſcere. In iis ultimorum dierum proximè ſupremum Judicii diem antecedentium horrenda facies ſub aſpectum ponitur. Ex omnibus verò portentis, quibus funeſtæ illius Cataſtrophes horror in immenſum augebitur; longè atrociſſima futura ſunt, quæ ipſis ſideribus accident. In ea tamen perturbatione licebit obſervare ordinem atque progreſſum, quo ad extremam cladem properabunt, qui ad Majorum Luminum defectionem & ipſi deficere cœperint. En quàm graphicè S. Matthæus rem totam deſcribat. SOL OBSCVRABITUR. Quàm primùm itaque Soli ſplendorum ſuorum decus denſi quidam à la-

Matt. 24. 29.

cunis nostris emersi vapores intercipient; continuò Luna radios suos contrahet, & crudeli avaritiâ cœptæ nocti calamitatum in Terrarum Orbem impetu fatali ruentium qualecunque solatium negabit. *Et Luna non dabit lumen suum.* Simul ille inobscurabitur, simul ista tenebris obruitur. Porro obscuratis istis luminibus, minores stellæ non jam infuscabuntur, sed refigentur à sphæris suis, & horrendo lapsu à cælestibus Epicyclis ibunt in præceps. *Et stellæ cadent de Cælo.* Heu! Quantis incrementis cumulatur cælestium corporum ruina, cùm eorum Princeps aliquantùm inumbratur. *Sol obscurabitur:* atq; id fortuita brevisq; diminutio lucis videri possit. *Et Luna non dabit lumẽ suum.* Inhumanior certè ista Lunæ, quàm Solis Eclypsis est; cùm hæc, ut sic loquar, non fortuita, sed deliberata, & studiosè accersita videatur. Subinde suis se sedib9 emovent Minora Lumina, nec contenta lucis amabilis radios hominum solatio subtraxisse, insuper à Firmamento se revel-

vellunt, ac ne extingui quidem, terráq; obrui gravantur; ità duntaxat, ut nullum in nos commodum proficiſcatur. *Et ſtellæ cadent de Cælo.* Quot quantíq; velut à Cælo refixæ ſtellæ, aut tanquam de interiori pavimento beatæ Sionis avulſi Iaſpides, atque Achates turpiſſimo exitialiſſimóq; caſu delapſi, remiſſo ſcilicet ſanctiori vitæ nuncio, ac ſalute ipſa in diſcrimen data, cænoſas Chaldæorum Ægyptiorúmque paludes repetierunt, eam ſolùm ob cauſam, quòd mores quoſdam non Religioſos in Sacrorum Ordinum Anteſignanis notârint. *Sol obſcurabitur*: ſed non item ſtellæ quoque obſcurabuntur, quæ quidem ferri utcumque calamitas poſſet: verùm in deſperationem ac furias actæ de Cælo ſe præcipites dabunt, Crucem deſerent, datámque Christo fidem ejurabunt, ac inanes transfugio ſuo prætexentes cauſas ſacra votorum vincula non tam diſſolvent, quàm abrumpent; & in ſeculum patriámque domuitionem facient, immo in omnis licentię barathrũ ruent;

 haud

haud dubia Lucifero præda, qui malè palliatæ defectioni personam detrahet, & sacrilegam perfidiam ultricibus post mortem flammis vindicabit. *Sol obscurabitur, & Stellæ cadent de Cælo. Et qui omnia* DETERIUS TVA PER VESTIGIA PECCET.

87. Quòd si tamen hæc alicui symbola potiùs, quàm rerum gestarum Historiæ videbuntur, huic ego malorum istiusmodi, quæ Regiam Davidis stirpem funestârunt, longam Iliadem repræsento. Duo Regis Filii geminis iisq; maximis sceleribus se contaminârant. Ammon quippe Sororem incestâ vi necquicquam reluctantem oppresserat, & Absalomus Fratrem majorem, ac Regno debitum, inter hospitales epulas jugulârat. Neuter tamen tot monstrorum auctor ac scelerum artifex in totum extitit. Ita enim secum impurus Ammon ratiocinabatur. Si Pater meus divinarum laudum, & vaticiniorum, quæ canebat sanctitate celeberrimus, nefas haud duxit Bethsabeæ pudorem

ex-

expugnare, quæ scilicet ejus viri conjunx erat, qui tam strenuè pro ipsius gloria depugnabat in acie: cur mihi Thamarem amare non liceat, & Juveni, & ad contemplanda Divinitatis arcana nondum admisso? *Prævalens viribus* OPPRESSIT EAM, *& cubavit cum ea.* Ita pariter impius Absalomus, priusquam in Fratris incestuosi sanguine manus cruentaret, adhibitis in consilium furiis suis, ad meditatum parricidium se hortabatur: Si David ille, inquiebat, quem nemo non Sanctum, non superis parem dicit, hanc de se optimè meritis gratiam rependit, ut Uriæ pro Arca, pro imperio suo contra Philistæorum agmina pugnantis fidem, atque obsequium morte puniat, quis me tali ac tanta injuria petitum Principem prohibere potest, quò minùs illi vitam eripiam, qui Sorori meæ stuprum intulit, mihique famam ademit? *Oderat enim Absalon Ammon, eò quòd violâsset Thamar Sororem suam.* Enimverò non Hieroglyphica, sed verorum Eventuum hi Annales sunt, in

2. Reg. 13. 14.

qui-

quibus non atramento, ſed ſanguine; neque aliis typis, quàm violentis multorum oppreſſionibus, tótque omnino notis quot cladibus expreſſum legitur: quanto cum juventutis exitio ſenes delirent; quæ videlicet ſervata ſed in pejus ſimilitudine multò acriùs intendere ſcelera conſuevit. Equidem uterque Filius multa habebat, quæ in Patre veneraretur. Conſiderare poterant cinerem quem mandebat: contumelias, atque exilium quod æquitate animi ſumma perpeſſus erat; veniam Sauli, à quo circumveniebatur inſidiis; fratribus, á quibus ridebatur; Semei, à quo lapidibus impetebatur; benignitate mirabili ab eo impertitam, totámque virtutum illarum, quibus ſingulos Regni ſui annos Rex beatus coronaverat, ampliſſimam ſpeciem præ oculis habebant. Uterque tamen è tanta paternæ vitæ per omne decus actæ gloria geminos tantùm lapſus, in quos virum optimũ tum exigua ſenſuum cuſtodia, tum nimia famæ cura impulerat, imitandos ſibi deſumpſit.

Tan-

Tantumdem uſu veniret inter Nos, ſi non quidem maculæ tam turpes, verùm etiam minimi & vix aſpectabiles nævi notari poſſent; eos enim in ſui temporis argumentum defenſionémque haud cunctanter Juniores arripient. Adde, quòd MEDULLA virtutum raró retegatur, & vitæ nihil à vulgari abhorrentis CORTEX ſemper aſpectui pateat. Religioſæ diſciplinæ frenos mordentium Corporis ad ſanguinem uſque diverberationes quotidianas plurimis, frequentes omnibus, inſolitas nemini oſtia clauſa abſcondunt: cilicium nudæ carni apprimitur, ſed latet ſub toga: ſuſpiria lachrymǽq; inter precandum funduntur; ſed in privatis cubiculis, luminibúſque ſubmotis. Integritas animi ſolis Conſcientiæ Arbitris patet, Evangelii inter Barbaros, atque Anthropophagos vulgandi vota non niſi à me audiuntur. Ex alia verò parte colloquia poſt prandium, ac Cœnam per juſtæ horæ ſpatium agitantur in aula communi: contentiones immoderatæ inter diſpu-

tan-

tandum in publicis Lycæis audiuntur: Animi relaxationes iis, qui ſtudiis operam dant, neceſſariæ in omnium oculis ſunt. Ut adeò quæ vitæ conſervandæ indulgentur remiſſiones, utpote publicæ, teporis anſam miniſtrare intuentibus poſſint incuriis, afflictationum verò auſteritas, Animarum ſtudia, contemplationis ſublimitas communes quidem noſtris omnibus theſauri ſunt, ſed tenebris abditi, ſed à modeſtia in terram altè defoſſi. Exclamo propterea cum Auguſtino. Heù me! *Præbentur propatula pudendis, & ſecreta laudandis.* DECUS LATET, ET DEDECVS PATET. Ita ſcilicet Chriſtianorum calamitates deflere Orator egregius potuit, quorum inedia, lachrymæ, preces, oculis Ethnicorum non patebant: quarum videlicet rerum ſolæ Cavernæ conſcientiam habebant: cùm interim illiberales joci, cachinni, vanitas, luxúſque palàm in theatris ſpectanda objicerentur. *Decus latet, & dedecus patet.* Felicem profectò juventutem noſtram, ſi, quæ

Lib. 2. de Civit. Dei cap. 26. Tom. 37. 16.

quæ à vobis tum olim præclarè ſunt geſta, tum in hac quoque devexa ætate privatim, ac Deo teſte geruntur, tam nôſſet, quàm perſpectum habet, quidquid in publico in leges ac religioſam diſciplinam vel leviter peccatur! At quoniam maximas virtutes veſtras ignorant, conſciique ſunt eorum, quæ humanitus nobis evenêre; hæc ſcilicet arripiunt, illa prætermittunt. DECUS LATET, *& dedecus patet*. Orationem abſolvo; moneóque omnes, qui cras votorum ſuorum donaria iteratò Aris imponent, ut ne moveantur, ſeu aliqui inter Nos tepidè, ſive omnes ſanctè vivant. Chriſtum unicam perfectæ vitæ formam imitari ſatis habeant. Sponte veſtra, vel ſine Duce ad bravium decurrite, tametſi nulla præcurrentium veſtigia deprehendatis: ſibi quiſq; ad Thaborem Dux eſto. Nam ſi Salomon nobis in Providentiæ ſpecimen viles quoque formicas propoſuit. *Vade ad formicam ò piger*, ego paradigmate longè nobiliori mirabilium illorum vermiculorum laborem vobis exhi-

exhibeo, quorum opera Regum Aulis, & Templis sericæ Attalicæque vestes texuntur. Animadvertite ut bombix ultro in frondes enitatur, &, contemptis pabuli sui deliciis, suismet è visceribus sericum nobis evolvat. Hoc agendi exemplum sequatur oportet, cui Perfectionis Evangelicæ tum in suo, tum in aliorum animis propagandæ studium est, ac cura: singuli sibi stimulos subdát, & ad propositæ virtutis metam libero impetu ferantur, ac quamvis verè dicere non possent: *Vidimus*; sic agant, ut verè possint dicere: *Venimus*. Quisquis in hunc modum ad Christi cunas obsequia sua delaturus pertigerit, ad eundem Christum subinde cum Patre & Spiritu in Throno residentem æternùm cum eo regnaturus deveniet.

EX-

EXHORTATIO XIX.

In Pervigilio Epiphaniæ.

Vidimus Stellam ejus in Oriente, & venimus. *Matth. 2.*

ABundant ſacris Cœtibus ſtellæ, ſalutaria nimirum Decreta, & Monita, quæ, qui audit, ac ſequitur, beatus; qui contemnit ac negligit oppidò miſer eſt. neque alia re tum Religioſorum animi, tum Ordines ipſi adeò peſſum eunt, quàm cùm vel leges jacent, vel Præſidum imperia ſurdis auribus tranſmittuntur; longè verò majus piaculum in Cœnobiis admittit, qui proprio tepore non contentus aliorum ardorem reſtinguit, & à Diſciplinæ

plinæ ſtudio pravis conſiliis ſodales avocat. Magnis paſſibus ad ſumma virtutum faſtigia eamus: nemóque ſe Religioſorum parietum ſanctitate tutum arbitretur. Nam qui vitam loci Religione indignam, nec numeris omnibus perfectam egerit, nihil inde præſidii ſibi polliceri poteſt: indignante videlicet Deo, & animorum ad tam ſublime vitæ genus evectorum deſidiam novis, & in ædibus ſuis inauditis ſuppliciis caſtigante.

88. HÆc ſtella dum morigeros habet SS. Magos invidendo prorſus obedientiæ præmio ad Divini Puelli cunas eos deduxit, dignóſque reddidit, qui ad pedes ejus advoluti, ſe, ſuáſq; opes illi conſecrarent, & viciſſim cæleſtibus ab eo donis ornarentur. *Intrantes domum invenerunt Puerũ cum Maria Matre ejus, & procidentes ado-*

adoraverunt eum. Nemo est sacrorum Interpretum, qui Dei vocem omnibus se clementissimè indulgentis in novo lumine Orientis incolis viso non agnoscat. Hæc à se ipsa diversa, ut ad indolem Auditorum suorum se conformaret, Principibus lumen, Pastoribus Angelus, Prophetia Judæis, Gentibus cæteris Evangelium, Sacris denique Ordinibus propria Instituti cujusque ratio, ac Legum Interpres extitit, atque etiamnum existit. Non perinde tamen omnes divinæ lucis fulgor juvat; ad cujus enim aspectum Magi suavissimis Charitatis flammis succensi sunt, Herodes in barbaræ immanitatis furias exarsit. Hinc Bethlemum trium Regum auro aromatibúsque ditatum, hinc lachrymis ac sanguine à Tyranno inundatum se vidit. Ita pariter Evangelium omnibus populis vulgatum multos auditorum suorum Martyrio coronavit: alios verò contumaces expertum est; atque idem sonus alios ad obedientiam flexit, alios in rabiem egit, & in crudelissimos

piorum Tyrannos convertit. Perinde Religiosis Ordinibus usu venit: in quibus percepta Dei voce, alius ad omnem Sanctitatem vitam suam componit, & immortales sibi coronas parat: alius in pejus mutatur, obnoxiúmque suppliciis se facit. Tam potentibus vocibus præ omnibus Religiosorum hominum Cœtibus copiosè singulariterq; instructam fuisse Societatẽ nostram existimo. Quid enim aliud esse, quàm totidem cælestes voces existimem Exercitia Spiritualia in singulos annos recurrentia? Triduanam solitudinem, quolibet semestri frequentatam? Exhortationes sæpius per mensem ab omnibus audiri solitas? Rationem conscientiæ redditam Præsidibus nostris, Paternísque illorum consiliis obsignatam? piorum libellorum lectionem tum privatam tum publicam, prandii cœnǽque temporibus? Præpositorum Generalium epistolas tot insignibus præceptionibus refertas? Regulas communes omnibus, & suo cujusq; muneri proprias? Tot deniq; monita quo-

quovis loco, ac tempore inculcata, quibus docemur, ſtimulamúrque ad explendas omnes officii noſtri partes, ad Diſciplinam Religioſam pro viribus tuendam, ad cultum ſacrorum pietate & modeſtia noſtrâ promovendum, ad Miſſiones, ut Apoſtolos decet, obeundas; ad præbendum Orthodoxis Chriſtianè vivendi formam, Hæreticis Ethnicíſque rite credendi; Et pro SacroSanctæ Triados veneratione aſſerenda conſtanti fortíque animo ſanguinem fundendi exemplũ exhibendum. Tanta Divinarum vocum copia non unam duntaxat ſtellam, ſed immenſum quoddam Cælum clariſſimis ſideribus diſtinctum Filiis Societatis aperit. Cogimur itaque univerſi fateri: *Vidimus*. Utrùm verò ſubjungere poſſimus omnes: *Venimus*; id ego uniuſcujuſque conſcientiæ ſtatuendum relinquo, qui meliùs noverit, utrum talium vocũ radiis ea promptitudine, alacritatéque animi pareat, qua ſuſceptis viarũ incommodis, & oblatis muneribus Beati Reges ſtellam

ſuam proſecuti ſunt; & an non potiùs adverſus Cæli lucem contumax tantillum moleſtiæ ſibi creare gravetur, ut Chriſto monenti obtemperet. In hac igitur allocutione veſpertina demonſtrabimus, quàm felices ſint illi, qui ſtellæ ad Sanctitatem eos invitanti morem gerunt: quàm contrà miſeri graviſſimíſque periculis obnoxii ſint, qui eam intueri ac ſequi dedignantur.

89. Cùm Divus Bernardus in Claravallenſi Monachorum ſuorum Senatu verba faceret, graviſſimo gemitu primùm declaravit eam, quâ mortales univerſi laboramus, æternæ ſalutis ignorantiam. *Quis poteſt dicere; Ego ſum de prædeſtinatis ad vitam, ego de numero filiorum? reclamante nimirum ſcriptura. Neſcit homo, ſi ſit dignus, amore, an odio.* In caligine tam horrenda, quæ mentes noſtras ex ancipiti æternitatis eventu ſuſpendit, incertóſque relinquit, quæ ſors noſtra futura ſit, & an flammas illas inextinctas, & implacabiles cum Deo inimicitias vitaturi ſimus non metu obrige-

Serm. 1. in ſeptuag. To. 43. 166.

Eccleſ. 9.

rige-

rigeſcere, id demum hominis eſſet vel quovis ſaxo ſtupidioris, vel ferâ rationis experte amentioris. Cæterum habenda divinæ Clementiæ gratia eſt, quæ nos in hac veroſimilis, uti ſperare fas eſt, Prædeſtinationis Arce collocavit, intra cujus mœnia receptus in æternæ Gloriæ aſſem ſe venturum ſperare meritò poteſt. Atque hanc felicitatem, ſubjungebat Bernardus, mihi vobíſq; nuncio: perſuaſus beato illo ſtudio Evangelii audiendi, quod vel unicum, certè minimè obſcurum adoptionis in verum Chriſti Filium eſt ſignũ. *Porrò inter ea quæ fiduciam præſtant, & materiam ſpei,* UNUM ILLUD MAXIMUM EST, *qui ex Deo eſt, verba Dei audit.* Ioan. 18. In vobis, Dilectiſſimi Fratres, auſpicatiſſimi hujus ſigilli felicitatem adoro: quæ vobis Regni beati diadema contexit, & ſceptrum elaborat. Quippe quidquid ego DEI nomine vobis propono, id vos continuò exequimini. Quo fit, ut non raró ſuperſedeam, maximè arduos in Sinai montem aſcenſus vobis commonſtrare;

 vix

vix enim ego ſacri Montis radices vobis intento digito commonſtravi, cùm jam in vertice vos conſiſtere conſpicio: haud ſine corporum, quæ vexatis, injuriâ, & animorum, quos nimia vi ſubigitis, urgetiſque ad aſcenſum, inſigni debilitatione. *In vobis Fratres verè invenio aures audiendi, nimirum, cùm in emendatione veſtra* SINE MORA APPAREAT FRUCTUS VERBI. Eam verò lætitiam, quam ex optatiſſima prænunciatione concepiſſe Monachos ſuos animadvertebat, temperandam ſibi ratus Bernardus, fauſta Regni cæleſtis auguria, & promiſſas obedientibus pacis Irides minaci tonitru, & jacto veluti fulmine comitatur: cujus ſono ac luce quorundam è concione monitis Evangelicis obſurdeſcentium contumaciam percellit & vaſtam voraginem retegit, quæ ſub eorum pedibus in imas uſque Tartari ſpecus dehiſcat. Ergo non ſine gravi gemitu vir ille perſpicaciſſimus teſtabatur, inter eos ipſos, qui huic ſe doctrinæ devoviſſent, nonnullos reperiri, qui aut ſegni-

ſegniter illam excipiant, aut etiam auſu temerario contemnant. Hi enim, inquiebat, tametſi pauciſſimi, qui Gratiæ imperia ad animum non admittunt, dubitare me cogunt, utrùm in Benedicti Grege omnes ſint humiles Agni ad Judicis dexteram olim invitandi. Eſt inter vos, qui neceſſitatibus ſuis applicare mea monita negligit, & contaminatum ſe leprâ diſſimulans accuratioris Diſciplinæ, quam inculco, Jordane ſe mergere dedignatur. Graves ſibi admonitiones meas reputat, & vulgari vita contentus non animadvertit, quàm tenaci nodo Perfectioni obligetur, quem ſacra Monachorum veſtis exornat, & Crucifixi patrimonium paſcit. *Nonnullos enim ſic interdum audientes invenies, ac ſi nihil omnino ad eos pertineant, quæ dicuntur.* NON INTRARE COR SUUM, *non diſcutere mores, non cogitare; ne fortè, quod audiunt, dictum ſit propter eos. Diſſimulant, & avertunt oculos cordis, aut qualibet adinventione palliant vitia, & ſeducunt miſeri ſemetipſos.* His ſanè, qui

qui poteſt (cum gemitu lachrimiſque Bernardus colligit) æternæ felicitatis ſpem certo pignore firmet: ego enim vana ſalutis pollicitatione lactare perituros non auſim. Tantum igitur abeſt, à me tam indignis Religioſorum Oraculorum Auditoribus perpetuæ beatitatis coronas plecti, ut gravitate ſuppliciorum, quibus mulctandos prævideo, vehementer conterritus, non injiciam quidem, ſed tamen ob oculos ponam haud dubiæ Reprobationis Compedes, qui apud Inferos coërcendæ ſenſuum licentiæ, caſtigandæque animorum ſtupiditati jam nunc cuduntur. IN HIS EGO SALUTIS SIGNA NON VIDEO: *Magis autem vereor* NE FORTE PROPTEREA NON AUDIANT VERBUM DEI, *quia non ſunt ipſi ex Deo.*

90. Nec minoribus tenebris Cœnobitas ſuos Bernardus involvit, quàm Tabernaculi Miniſtros cultoréſque David oppreſſerit. Per vos ſtat, inquit Rex Sanctus, ſeu ſtellæ ad mandatorum obſer-

ſervationem vos invitantis propitiis illapſibus beari, ſeu Cometarum exitium ſtragémque adverſùs edicta Prophetarum contumacibus portendentium maligno ſidere afflari malitis. Quod ſi vos, Iſraëlitæ, monitis eorum, qui Decalogum vobis interpretantur, auſcultaveritis, debellabitis Jebuſæos, & copioſam ex agris ſegetem colligetis. At ſi ſurdarum aſpidum inſtar Sacerdotũ neglectis prçceptionibus marmoreas Legis Tabulas protereretis, hæ vobis caput elident, & ſperata meſſe fraudatis Saraceni jugum imponent. *Israël ſi audieris me, non erit* IN TE DEUS RECENS, *neq; adorabis* DEUM ALIENUM. *Si populus meus audîſſet me, pro nihilo forſitan inimicos eorum humiliâſſem.* Sic hodiéq; intonat Deus, & eaſdem voces Ignatii Alumnis ingeminat. Dum, inquit, apud vos Inſtituti veſtri leges vigebunt, nulla Domos veſtras vel verborum antehac inauditorum, vel morum Patribus veſtris inuſitatorum Idololatria penetrabit, non erit, qui dicat, claris ſe ortum natalibus,

bus, diu libris inſudâſſe, famam Societatis illuſtrâſſe, ſeu cùm de ſuperiore loco litteras traderet, ſeu cùm peroraret de ſuggeſtu: jam operæ ſuæ præmium & laboribus quietem deberi; Miniſterio minùs ſpectabili elevari auctoritatem ſuam. Quæ quidem ſententiæ profanæ Politicæ Idola ſunt nunquam antehac inter S. Patris Filios conſpecta. Nam qui Summarium Conſtitutionum manibus præfert, totóque pectore complectitur, is verum honorem in profundiſſima depreſſione ad quam pertingere Chriſtianæ Demiſſionis profeſſio poſſit, conſtituit. Jubent nos Leges noſtræ ut ſtulti haberi optemus, dummodo id invidiâ potiùs mundi, quàm culpâ noſtrâ contingat. Ubi enim Deo ſervire ſola nobilitas eſt, omnis alia natalium claritas radios ſuos infringit, penitúſque vaneſcit. Inter Religioſorum ſignorum milites ille Princeps eſt, qui rejectus in ultimum agmen videtur, quique plures in vultu cicatrices numerat, copioſiorémque ſudorem à fronte abſtergit: qui ſubin-

ſubinde conſtantia majore ſibi difficillima improviſorum præliorum imperia, depoſcit, & nullas à laboribus inducias, aut officiorũ blanditias admittit, is primos etiã anteit. Intentos ſemper in Ducem ſuum Chriſtũ oculos habet ſpritualis militiæ Bellator, qui poſt alapas in Cõcilio, poſt flagella in Prætorio, poſt ludibria ab Herode, & poſt Pilati iniquiſſima judicia tolerata, pro lenimento virgarũ fellis poculũ; pro pulvinari, coronã ſpineam; pro lecto Crucem quatuor aſperam clavis optavit. Cæterùm imminuendæ famæ pericula, altiorum graduum aſcenſus, refocillationum blanditiæ, commodorum affluentiæ, & privilegia ſenectutis, ambitioſorum, vanorum, ignavorúmq; hominum idiomata ſunt. Tam fœda Idolorũ monſtra & ſacrilegæ Latriæ ritus à domiciliis noſtris procul exulabunt, ſi legum noſtrarũ compendium attentè ſtudioſéq; legerimus *Si audieris me, non erit in te* DEUS RECENS: nec minùs de nobis verũ augurium erit. *Neque adorabis* DEUM ALIENUM

Con-

Conſtantem commorationem in eodem loco, munere honorifico, auctoritatéque ampliſſima, quemadmodum in multis Cœnobiis in venerabilem ſtatuam vel præſcripta, vel tolerata conſuetudo erexit; ut jure Domicilii, profeſſionis prærogativâ, gradibus ſeu annorum numero, ſeu meritorum dignitati admenſis gauderent; ita honores ejuſcemodi, & commoditates in ædibus noſtris ſimulachra forent penitus peregrina nullo quidem á nobis Thure colenda, ſed ferro atque igne abolenda. *Neq; adorabis Deum alienum.* Quod in aliis magni nominis Ordinibus, aut conſtitutum eſt, aut uſu invaluit, ut eorum Alumni ad Pſalmodiæ ſtudiũ, & Cathedrarum conſervationem exſtimularentur, id ſi noſtros in mores induceretur, manifeſtam nobis perfidiæ, deſertæq; primævæ virtutis notam inureret. Quemadmodum Nos calceis pedes induimus, nec ea re quidquam nobis, utpote vitæ noſtræ Clericorúmque Inſtitutum tenentibus; & ad homines divinæ juxta huma-

humanǽque ſapientiæ præceptis inſtituendas vocatis, de virtute decedit: quod tamen ſi vel Franciſci, vel Thereſiæ Alumni, quos nudis pedibus ingredi, & Anachoretarum inſtar procul à frequentia remotos Divinas concinere laudes Auctores ſui voluerunt, facerent, nec reprehenſione, nec culpâ vacarent. Ita viciſſim Magiſteriorum Honores, immunitates ab oneribus, ſedes ſtabilis, anteceſſionis aut victûs ſplendidioris prærogativum jus ſeu imperatum, ſeu permiſſum Cœnobiis venerabilibus nulláque ob id reprehenſione dignis, in ædibus Ignatii, qui nos inter Eccleſiæ Statarium militem ac pro Caſtris excubantem, ceu expeditum equitatum, Alarióſque eſſe voluit, peſſimi in Orbem Terrarum exempli, & perniciosiſſimum noſtræ Militiæ ſcopo foret. Ut adeò quævis corolla, quæ in præmium meritorum vel nobis expetita, vel etiam addicta, ultróque oblata ſit, in Vipereas ſpiras verteretur, non utique capiti decus, ingenióque lauream impoſitura,

ſed

ſed illius, quæ in præcordiis æſtuat, ſuperbiæ ſcabiem probro ac crimine ipſo, tanquam venenatis morſibus caſtigaturas. Grates verò Deo Optimo Maximo habeamus, referamúſque omnes, quoniam hactenus nec peregrina Numina, nec profanæ Politicæ monſtra in Societate noſtrâ thure vaporantur: gratulemúrque nobis, quòd ab omni quæſtu, mercedíſque cupiditate pura in hunc diem conſilia gerimus, oculóſque nullâ peregrina ſplendoris acie hebetari paſſi ſimus. Quæ faciunt, ut ab ea quam monenti Deo reverentiam exhibemus, æterna divináque nobis obventura præmia ſperare liceat, quia caduca, humanáque contempſimus. *Israël ſi audieris me, non erit in te Deus recens, neque adorabis Deum alienum.* Tueatur imposterum quoque & in omne tempus Divina pietas omnes Domorum noſtrarum angulos à tremendo fulmine Oraculi in eodem Pſalmo conſequentis: *Et non audivit populus meus* VOCEM MEAM, *& Iſraël non intendit mihi.* Audite dein-

deinceps quo ſupplicio ſurdos feriat. *Et dimiſi eos ſecundum deſideria cordis eorum*, IBUNT IN ADINVENTIONIBVS SUIS. Hoc videlicet eſt ſupremum cujuſcumque Religioſi cætûs excidium, à Sanctorum Fundatorum conſuetudine deſciſcere, & per ſummam perfidiam, ac temeritatem, pernicioſas novitates commodorum, honorúmq; Paupertati Modeſtiæque Apoſtolicæ repugnantium invehere. IBUNT *in adinventionibus ſuis*. In pœnam nimirum contemptarum legum permittet Deus, ut immunitates ac deliciæ tum doctrinæ tum ætatis obtentu flagitentur: útque nos diverſi prorſus ab iis, qui quantum alios ætate vincebant, tantumdem eos in moleſtiarum perpeſſione, ſtatutorum obſervantia, ſilentii cura, egeſtate ſuppellectilis, incommodorum amore, prolixitate precum, otii horrore, longinquitate à Patria, oblivione conſanguinitatis, & vitæ auſteritate ſuperare conſueverant; jam ſanctiſſimis noſtris decretis nec ad animum nec ad

aures

aures admiſſis, cùm ſenectus vicinæ mortis admonet, ac diem dicit; quietis pulvillos potiùs, ſeu, ut meliùs dicam, turpiſſimæ ignaviæ pulvinaria nobis ſubſternamus, quàm ut Judiciũ illud egregia virtutum omnium exercitatione parati opperiamur. Id quod non Chriſti dumtaxat inviſos, Religioſæq; vitæ Tyronibus pernicioſos nos efficeret, verùm etiam de cuſtodia ſua, qua nos ſervat remittere, divinam providentiam cogeret; ſineréq; ut Moloſſus quilibet, quem rabies in Societatem incitat, in trifaucem Cerberum mutatus latratibus ſuis nos dehoneſtaret, & in Hydram ſeptem capitibus minacem auctus ſatyrarum toxico nos inficeret, dilaniarétque calumniis. Sanè niſi Beatum Patrem, primóſque ejus ſocios falſis criminibus malignîſque ſcriptis Hæreſis atque invidiæ item petiiſſet, ſuſpicarer, ne fortè Deus ad caſtigandam aliquam, quæ in nobis eſſet, minorem erga voces ſuas reverentiam æmulorum invidiâ impudentérq; mentientium criminationibus proſcindi fa-

di famam nostram permitteret. Id scilicet de Synagoga Propheta Regius dixerat. *Si populus meus audîsset me. Israël si in viis meis ambulâsset: pro nihilo forsitan inimicos eorum humilâssem, & super tribulantes eos misissem manum meam.*

91. Certè lachrymabilis adeò clades sponsam afflixit. Hæc quo tempore primum ad vestigandum, quem amabat, domo prodiit à militum excubiis reverenter habita, locúmque, in quo tot ab ea votis vocatus Princeps moraretur, edocta fuit. *Num quem diligit anima mea vidistis? Paululum cùm pertransissem eos inveni, quem diligit anima mea: tenui eum, nec dimittam.* Diversos prorsus milites experta est, cùm denuo plateas Sionis Servatorem quæsitura percurreret: Objurgata verbis, mulctata verberibus, vulneribus affecta, exuta pallio, & rubore non minùs, quàm sanguine perfusa, multa super Domino suo Puellas Solymæas rogitare cœpit. *Percusserunt me, tulerunt pallium meum mihi Custodes murorum.* Tam luctuosa Cata-

Cant. 3. 4.

Cant. 5. 7.

ſtrophe humanitatis officia in contumelias, & honores in vulnera convertens eam ob cauſam infelicem ſponſam afflixit, quia morata non nihil eſt exequi, quod ab ea ſponſus poſtulabat. *Vox Dilecti mei pulſantis.* At illa, cùm pate facere continuò fores, & per medias erumpere flammas debuiſſet, ut obtemperaret Deo, pigra & ingrata clamitavit, *Lavi pedes meos, quomodo inquinabo illos?* Næ tu illos lavabis; ſed tuomet cruore: nec pulvere platearum, ſi prodieris obviam, ſed moræ ſignitie inquinabis polluéſque. Paratum jam omnibus illis eſt ſupplicium, qui in exequendis Religioſis imperiis, Chriſti Crucifixi in anguſto virtutis tramite Calvariíque montis cacumine nos ſuos eſſe Auditores, ac Diſcipulos optantis veris vocibus, cunctantur, ac remiſſi ſunt. Et quoniam uti in in ipſo orationis principio dicebam Conſiliorum Evangelicorum copioſiſſimi, perpetuíque imbres ſunt; ideo ſi Animæ noſtræ tam fecundâ irrigatione ad proferendos uberes Sanctita-

tis

tis fructus non proficerent, timeri posset, ne securim, quam Christus in sacris Litteris sterilibus arboribus minatus est, distringat, & ipsas quoque vocationis nostræ radices succidat. *Arbores*, inquit Joan. Chrysostomus, *quæ bene plantatæ sunt, & reliquam habuerint diligentiam, Agricolarum adhibitam manibus atque laboribus, si nullam referunt laborum vicissitudinem* RADICITUS EVULSÆ IGNI TRADUNTUR. Et profectò si nigros illos carbones quibus stirpes vocum cælestium agriculturæ restistantes in cinerem resolvuntur, tractare vellem, me pariter vósque ipsos inficerem. *Igni traduntur*. Et interdum priùs, quàm exscindatur, ardere Cedrus incipit; quamobrem, in eodem Libani Monte jam tum fumat arbor damnata, tanto magis ferrum ignémque merita, quanto copiosiores vitæ fructus sub iisdem pluviis ejusdémque solis tepore tot aliæ circum stirpes proferunt. *Igni traduntur*. Quod, ut ne accidat si Montis mysteria prohibent, quò famæ scilicet parcatur

Hom. 20. in Ep. ad Hebr. To. 50. 185.

nemoris Dei Templo Tabulas odoriferas præparantis: extirpatur certè Lignum ſterile, ut à ſylva Sacerdotali exemptum in planitie demum exuratur; haud leve documentum ijs futura qui emendandi ſui opportunitatam negligunt. *Radicitus evulſæ igni traduntur.* Quare, qui dicunt: *vidimus*; addant: *Venimus*; ut conſervata erga ſtellam, quæ ad ſanctitatem nos invitat, obſervantia nos Iræ Cæli ſubtrahat, quæ vitari nullo modo poterit, cùm, ubi omnipotens ſermo abundat, obſequendi alacritas deſideratur.

92. Divinarum vocum Hieroglyphicum, communi ſacrorum Interpretum ſententiâ fuit Manna in Iſraelitarum caſtra, quæ in vaſta ſolitudine poſuerant, pluviæ inſtar demiſſum. Donec illi cæleſtis Coriandri prodigium venerati ſunt, à corporum morbis, veſtium corruptione, hoſtium incurſu, verbo à quacumque vel adverſæ tempeſtatis, vel turbatorum elementorum, ac maligni ſoli injuria, inauditâ prorſus felicitate im-

immunes perſtiterunt. Simul ac Angelici Panis faſtidium ingratos populos cepit; Simul Deus longè ſeveriùs in eos animadvertit, quàm cùm in ejus contumeliam vitulos aureos ſtatuerent, & cum Moabitarum feminis ſe permiſcerent. *Anima noſtra jam nauſeat ſuper* CIBO ISTO LEVISSIMO. *Quam ob rem miſit Dominus in populum ignitos ſerpentes.* Audio Religioſiſſimos quosdam libros, magisque ad imperfectionum noſtrarum emendationem facientes, qui discumbentibus noſtris præleguntur, quorundam etſi pauciſſimorum ſermonibus improbari, optarique volumina recitari quamvis bona, ſed majore doctrinâ, quàm profectu, potiúsque jucunda curioſitati ob rerum geſtarum narrationem, & elegantiam ſtyli, quàm idonea pietati ob virtutis magiſterium, & vim quam habent maculas noſtras eluendi. Hæc talis nauſea Filiorum Abrahami faſtidium imitatur, flammarum ardoribus, & ſerpentum morſibus caſtigatum. Equidem tam indignæ que-

Num. 21.5.

querelæ ſancto fini ejus; quæ præſcripta eſt, lectionis adverſantur. Recito vobis verba Fundatoris noſtri, è primo capite tertiæ Conſtitutionum partis deſumpta. *Dum corpus edendo reficitur, ſua etiam animo refectio tribuatur, Libro aliquo pio quem capere, & à quo omnes juvari poſſunt, legendo.* Decernite jam vos, an cum legis iſtius ſanctitate illorum faſtidium conſentiat, qui Perfectionis præclara documenta, ſacrorum Ordinum Annales, Commentarios Præceptionum Monaſticarum, Tractatus Aſceticos, quibus inflammemur, ſolvamur in Lachrymas, mentem rapiamus in ſublime, atque infimorum munerum, moleſtiſſimorum laborum, perpetuo edomandi ſui ſtudio, & Apoſtolicâ ſiti Animarum creſcamus, prælegi moleſti ferunt. Hîc ego vos teſtor, an ejuſmodi paginæ non illæ ſint, quarum ſapore imbuti ſub prima ſacræ militiæ noſtræ tempora, ſublatis ad Cælum manibus, oculiſque mellifluo rore madentibus, è triclinio egreſſi exclamaveramus. *Manhu,*

hu. quid est hoc? Quî fit igitur, ut subinde Cherubinorum dapibus Pharaonis Ollæ, & Aromata, ut ne dicam Ægyptiæ cœpæ præponantur. Tam lethalem nauseam corrigat Augustinus eâ Satyrâ, quâ populum Manna fastidientem execratus est. Postulare isti à Deo debuerant, inquit, non ut victum mutaret sed ut palatum sibi, quem habuerant olim, restitueret: ut adeô eodem pietatis gustu prodigioso pane uti porrò pergerent, quâ illum, ubi primùm eo munere donati sunt, sub ortum diei collegerant, & in Religiosum cibum coxerant. Audiamus Sanctum Scriptorem Orationis eloquentiâ gravitatéque terrentem pariter & delectantem. *Concupierant enim carnibus vesci, quibus pluebatur Manna de Cœlo. Fastidiebant quippe, quod habebant, & quod non habebant impudenter petebant* : QUASI NON MELIUS PETERENT, *non ut cibus, qui deerat, indecenti desiderio præstaretur* ; SED UT ILLE, QUI ADERAT, SANATO FASTIDIO SUMERETUR.

Exod.16.15.

Tract.73. in 14. Joan. Tom.38. 224.

Eò usque devenitur ſcilicet, ut non ſolùm ſtellam cum Beatis Magis ſequi non libeat, verùm etiam optetur, ut ne luceat quidem. Quod ſanè eveniret, ſi poſt hæc mea dicta reperire aliquem foret, qui non admodum amaret Animam ſuam Evangelicis ſententiis nutriri, quo tempore corpus terrenis cibis reficitur, & electo Religioſiſſimorum voluminum frumento, aut caducos flores paginarum infructuoſarum, aut ſteriles profanæ ſcientiæ paleas præferret. Quin igitur illos maximè libros amamus, quos proximiùs Dei verba componunt, & exulare juſſos communi menſâ minùs pios, aut ſcrinijs includamus, aut in privatis muſæis ſolius Eruditionis ſtudio inſpiciamus, quomodo Peripateticos, Oratores, & Poëtas voluimus, ut eâ doctrinâ Univerſitatum noſtrarum Cathedras exornemus: non verò ut animum Spiritu Sancto impleamus, ejusque Organum effecti, pervicacibus terrorem, ſolatium innocentibus ingeramus.

93. Quod ſi eſt nihilominus, cui vel displi-

displicent, vel non apprimè placent Constitutiones, quibus instituimur; Regulæ, quibus regimur; Ordinationes, quibus armamur; Præcepta, quæ nos à lapsu & omni novitate tutos præstant: meminerit is se invisum Superis, & obnoxium illi Tepiditati fore, quam Servator glacie deteriorem & divinis insuperabilem flammis appellat. Certè non aliam ob causam mortis sententia in Filios Heli lata fuit. Quamvis enim victimis Aras fraudarent, & Sacrilegis amoribus Arcam profanarent, ac scelera tam nefanda detestabiliáque in oculis suis patrari Deus videret, iram tamen suam frenavit, ac torrentis ritu in capita nocentum ruiturum ripis suis coërcuit suppliciorum diluvium. Tum enim verò fontes Abyssi soluti sunt, ac strages, quâ penitus duo illi desperatæ frugis Sacerdotes vastati sunt, latè inundavit, cùm Patris monita ludibrio habuerunt, nec Senis minas reveriti sunt. *Et non audierunt vocem Patris sui*, QUIA VOLUIT DOMINUS OCCIDERE EOS.

1.Reg.2.25.

EOS. Tam formidabilis ſententiæ horrorem vincit propemodum Gregorii Papæ atrox in eum locum oratio. Audiamus, & pavore intremiſcamus. *Tanta fuit magnitudo culpæ, ut & converſionis inſtrumenta ſuſciperent*, ET A MORTIS SUÆ FOVEA *ſurgere nequaquam poſſent* : UT QUI IRÆ DEI PELAGUS BIBERANT *in damnationis ſuæ cumulum* HABERENT NON SOLUM PŒNAM COMMISSI SCELERIS, SED ETIAM ADDITAM VINDICTAM CONTEMPTÆ PRÆDICATIONIS. Secundum hæc à Silunthis Sanctuario ad Baſilicam, in qua dicebat reverſus, vehementer animo commotus Pontifex Clericos ſuos in hunc modum eſt allocutus. Quod ſi nos, inquit, adeò exterrent fulmina, quibus perditiſſimi duo Sacerdotes perculſi ſub Philiſtæorum gladiis animam egerunt, eò quòd rectè monentis, improbitatémque ipſorum arguentis ſolicitudinem riſu traduxiſſent, longè magis contremiſcat oportet, qui in præſentia, tum me, qui eum

In lib. 1. Reg. 2. To. 35. 24.

eum exhortor; tum Deum, qui linguâ meâ loquitur, toties audit; si nihilominus, contemptis optimis consiliis, adeo se ad ea amplectanda, quæ docetur, flecti non patiatur, ut obstinato ad socordiam animo magis obduret. *Sed cur hoc de præterito miramur quod nunc usque fieri cernimus?* HELI *videlicet* MONENTEM, FILIOS CONTEMNENTES, DOMINUM OCCIDERE VOLENTEM. Nollem sanè de Cœtu apprimè Religioso, & ad omnis virtutis exemplum facto tam malè ominari, inquietaréque magnum numerum perfectorum emendatione paucorum improvidè potiùs, quàm spontè, in Leges peccantium; vel, ut sinceriùs dicam, vocibus Christi non quidem repugnantium (id quod de nullo qui veste Ignatii amicitur crediderim) sed tamen minùs tenacium, quàm par esset, monitorum præceptionúmque, quibus informantur, immemorum, non minùs quàm earum, quas audiunt rerum. Nemo est nostrûm, qui nesciat, quàm ardentibus de-

desiderijs, quantóque rationum pondere primis statim diebus, quibus hanc meam Crucem subij, silentium universis plusquàm Pythagoræum in Templis, & modestiá in plateis, in scholis, & in quacunq; hominum in nos intentorum frequétia Angelicæ parem commendârim. Damnatum me votorũ meorum fuisse prædicarem, nisi manifestæ atq; insigni mutationi in melius unus aliquis minùs inter ambulandũ compositus nec prorsus sub Vesperarum, Sacrificiorúmq; solemnibus, & in sacrarum ædium visitatione non prorsus transformatus in Deũ obsisteret. Quantis gaudiis nudiustertius exultavi, cùm mihi referretur, nostrum aliquem sacerdotem Ecclesiastico viro in paucis illustri, cùm ad colloquium in Templo, in quo mihi dicendum erat, provocaretur; candidè Christianáque libertate respondisse; non licere sibi verbum proferre, multò minus sermonem producere: quòd expressum imperium accepisset Religiosam observationem taciturnæ pietatis sacratis Deo

sedi-

ſedibus deferendi. Exornet Deus pretioſiſſimis Civitatis ſuæ gemmis tam magnanimam linguam, quæ ampliſſimi viri gratiæ obedientiam erga ritus noſtros non dubitavit anteferre. Equidem gaudio quo me rei exoptatiſſima narratio perfuderat animus ſeſe meus jam jam permittebat; cum ijdem qui tam heroicam repulſam nunciârant, alterius cujuspiam improvidam temeritatem haud obſcurè perſtringentes, oculis in terram dejectis addidêre; at non omnes iſthic perinde obmutuerunt. Quis jam me prohibebit ut, quisquis prævaricatus eſt, non à me palam ſibi acclamari audiat. *Cur hoc de præterito miramur, quod nunc usque fieri cernimus? Heli videlicet monentẽ*, FILIOS CONTEMNENTES, *Deum occidere volentem*, Et quoniam dolori facilè eſt texere ſyllogismos, & conſecutiones ex antecedentibus colligere; ſic ego mecũ diſputo. Si quis eſt etiánum inter Filios meos, quem à vitio ejusmodi, quod omnium oculis patet, & absq; ulla provocatione caſtigatur, nec pudor

dor aut metus, nec Dei, qui precantium psallentiúmque ædes suas, non confabulantium forum esse voluit, reverentia cohibeat, quâ demum mihi ratione persuadebo, fore ut privatâ & occultâ victoriâ à me ac S. Patre tam seriò cómendatâ, totiésq; inculcatâ, domet affectus suos? Credámne nullâ rerum præsentium cupiditate tangi, atque unam Beatitudinum Evangelicarum absolutissimam perfectionem in votis habere, dum eorum sensus externi frenum mordent, & habenas datorum mandatorum abrumpunt? Fidem vestram, Patres, testor, an si quis Instituto infidus, ac refractarius tum quoque fuerit, cùm Præses in speculis est, tótque alii divini obsequij studiosissimi eos notant, qui prævaricantur, ut Iræ Religiosæ Tribunali æquissimo Rei sistantur; an, inquam, credi possit in impenetrabili & inaccessa mente hominis illius Christum vivere, Charitatem ardere, virtutes internas, tum Angelicæ Innocentiæ, tum ferventissimis omnis sanctitatis desiderijs in immen-

menſum augeri? Date veniam, ſi temerè judico, planéque fateor, non poſſe me quòd auditus exauditúsque ſim, quod ad internam, quam ſuadeo, renovationem ſpectat, exiſtimare; dum exteriorem modeſtiam, quæ ſcilicet foris apparet, quámque Inſtitutum noſtrum nobis præſcribit, & ego vel cum lachrymis commendo, contemni conſpicio.

FILIOS CONTEMNENTES, *& Dominum occidere volentem.*

94. Quod autem animum meum in hoc horrendi vaticinij fragore maximè percellit, eſt; quòd Gregorius non de præſenti, ſed futuro excidio loquatur. Quapropter ſi reperire inter nos aliquem eſſet, qui Dei vocibus, quâcumque ratione, ſeu vivâ Præſidum, ſeu mortuâ ſed vitali Conſuetudinum noſtrarum voce ad nos allatis non obtemperaret, non evaſiſſe ſe putet, vel flagra, vel ſecures, eò quòd nondum ſe percuſſum ſentiat. Tempus enim erit, cùm funeſtis Chriſti augurijs eventus reſpondebit, factas verbis ſuis injurias ulciſcen-

ciſcentis. Sic illius nomine S. Auguſtinus. *Quando contemnebas* (inquit) *ego videbam; Et quando non credebas, ſententiam meam non fruſtrabam*, DIFFEREBAM, NON AVFEREBAM; *noluiſti audire quod præcepi*, SENTIES QVOD PRÆDIXI. Nemo certè neglectas impunè voces illas à ſe fuiſſe gloriabitur; & ſi tardè, aliquando tamen, vel ſub vitæ finem vultum læſi Numinis, qui commodati fœnoris ſeveriſſimam rationem exigere ſolet, verborúmque ſuorum copiam fidelis obſequij non minùs uberi meſſe rependi vult, implacidum & in gravidas irâ nubes coactum aſpiciet. Miſerum te, ait Bernardus, quisquis numerum auges infelicium illorum, per quos cùm ſtaret Chriſtum habere coronandi capitis Gemmam, eum ſibi in duriſſimum ſaxum convertunt, quo ſuaviſſimi ac balſamo peruncti jugi impatiens cervix, & cæleſtium vocum ſurda tempora feriantur, contundantúrque. *Generatio quæ non direxit cor ſuum*, ET NON EST CREDITVS

Tract. 36. in cap. 8. Ioan. Tom. 38. 148.

Pſal. 77. 8. Tract. de Dilig. Deo.

TVS

TVS CVM DEO SPIRITVS EJVS. To. 36. 196. *Verbum modò Crucis audire gravatur, ac memoriam passionis sibi judicat onerosam. Verùm qualiter illius Verbi pondus sustinebit; Ite maledicti. Profectò super quem ceciderit lapis iste* CONTERET EVM. *At verò Generatio rectorum benedicetur.* In hunc modum Bernardus ad austerissimi Ordinis sui venerandos Cœtus, vivorum potiùs Martyrum, quàm voluntarijs supplicijs in se sævientium Monachorum Congregationem, disserere non dubitavit. Nec continuit se Mellifluus Abbas, quin venerabilem eam concionem, siquidem ea Cœnobij statutis non prorsus atque ex animo se submitteret, Tartareo felle, sulphuréque, quo Inferi fervent, inundaret. Ego verò sententiam ejusmodi nec profero: nec unquam prolaturus sum, at ne in eum quidem, qui à cæterorum virtute quàm longissimè remotus S. Patris sub tentorijs odiosâ damnabilique tepiditate Deo servit: nisi enim laxata Orci claustra Tepidos nostros flammis illis succinctos mi-

mihi dederint in conſpectum, abſit, ut perſuaderi mihi patiar, ullum è Socijs Jeſu eò ire præcipitem. Non ideo tamen ullus, qui hodiernæ ſtellæ, quæ ſe nobis in Regulas Summarij & Decretorum noſtrorum imperia convertit, radios averſatur, aut pacatæ mortis Fidejuſſorem, aut brevis in piacularibus ignibus moræ ſponſorem me habebit. *Noluiſti audire quod præcepi*, SENTIES QVOD PRÆDIXI.

95. Beatos verò nos! ſi minarum ejusmodi formidabiles procellæ hoc loco frangerentur, &, quas vaticinium intentat iras, hîc ſemel omnes detonarent. Nimiùm quantùm infelices ſumus, ſi formoſiſſimam lucem ſtatutorum noſtrorum ab oculis noſtris excludimus. Voluntaria ejusmodi caligo præſens, acerbiſſimúmque eſt aurem Deo præcludentis ſupplicium; ut levius ſit, à feris belluis laniari, & ſubjecto igne torreri. Hîc ego ſtudioſiſſimam attentionem poſtulo, dum maximi momenti dubium propono, quod S.Jo.Chryſoſtomus

ſtomus

ſtomus ſuper primo Joannis capite movit. Caſtigârat Apoſtolus duodecim Tribuum obſtinatè Evangelio reluctantium pertinaciam ijs verbis. *In propria venit, & ſui eum non receperunt. Quotquot autem receperunt eum, dedit eis poteſtatem Filios Dei fieri.* Arguit hoc loco Evangeliſtam Eloquens Patriarcha, monétque quemadmodum retuliſſet eorum præmium, qui Chriſtum pro Meſſiâ receperant, & in ſervitutis ſuſceptæ mercedem Filiorum Dei adoptionem obtinuerant; ſic oportuiſſe pariter ad terrorem contumacium demonſtrare, quo carnificinæ genere, quibúsve tormentis excruciati ſint perduelles, & imperium detrectantes. *In propria venit, & ſui eum non receperunt.* Quamobrem autem tacetur, quod judicium in graviſſimi flagitii Reos conſtitutum fuerit? cur ſilentio præteritur mortis ſententiâ, & honorum omnium proſcriptione nefarium illud facinus vindicatum fuiſſe? Tu verò, reponit Apoſtolus, numero hæc dicis, & nimia feſtinatio-

Ioan.1.

ne verborum meorum myſteria percurris. Non ſolùm enim reorum pœnas recenſeo, verùm etiam ſic amplifico, ut fatalis ſententiæ ſonus ipſas Cæli columnas concutiat. En tibi! funeſtum damnatorum theatrum ac nigrum Theta! ET SVI EVM NON RECEPERVNT. Num leve ac tolerabile ſupplicium tibi videtur poſſe primogenitos Dei fieri,& adoptionem honeſtiſſimam negligere! Mentem Evangeliſtæ cum fide Joan.Chryſoſtomus exponit. ET QVODNAM MAJVS SVPPLICIVM *eſſe poſſit, quàm ſi in eorum ponatur arbitrio Filios Dei fieri*, ET NOLINT? *Sed ſponte ſuâ tantâ ſe nobilitate tanto honore indignos efficiant?* Ab inenarrabilis gloſſæ faſtigio ad nos ipſos deſcendo, atque ita diſſero. Conſtitutionum contemptoribus metum injicere parabam ijs minis: *Senties quod prædixi.* Pandere præſtabat barathrum, in quod præceps ruit, qui monitis non auſcultat. Infelix Prævaricator! qui ſi Societatis præceptionibus demiſſo ſtudio fuiſſes obſecutus

Hom 9. in c.1. Ioan. To.38 13.

cutus

cutus, brevi temporis ſpatio in virum perfectum & ſanctum evaſiſſes, cùm interim Legum noſtrarum incurius & negligens vitam agas, uti præmio indignam, ita dignam flagellis. *Quodnam majus ſupplicium, quàm ſi in eorum ponatur arbitrio Filios Dei fieri,* ET NOLINT? Stanislaum Cæli Delicium, Aloyſium Terræ Angelum, Franciſcum Indiarum Apoſtolum, Ignatium Parentem tuum; totque alios Viros vel in Sanctorum numerum relatos, vel Cæleſti Regno beatos æquare poteras: &, quæ tua deſidia eſt, in Domo Dei vix mercenarij vicem exples atro pane à gravibus noxis abſtinentiæ paſtus; cæterum ignarus planè, quid rei ſint Contemplationis mel, & conſummatæ virtutis Ambroſia; quæ nimirum deliciæ ſolis, ac veris perfectionis amatoribus conceduntur. *In eorum arbitrio Filios Dei fieri, & nolint?* Optarem itaque, ut ſi quando à noſtris aut leges violantur, aut conſuetudines conculcantur: ut, ſepoſitis inediæ, precum aliiſque hoc genus pœ-

nis, non aliud in eorum dedecus ex destinato ad id loco præter ſequentem ſententiam legeretur. Conſtare volumus hunc talem in Leges peccâſſe. *In eorum arbitrio Filios Dei fieri, & nolint?* Hoc ſat eſt, acriúsque quâlibet jejunii pane tantùm & aquâ temperati, & cruentæ diverberationis ſeveritate contemptas Conſtitutiones ulciſcitur. Claudantur ſanè Cataractæ in præcipitia præruptæ; concidantur in fruſta quælibet vincula judiciariæ comprehenſionis, dimittatur duntaxat ab Azymorum epulis, à divinis convivijs, ab Agni nuptijs, qui ſordidatus intervenit. Hanc certè præſcriptionem, hoc exilium expectet, quisquis ad Sanctitatis dapes admiſſus centonibus operitur, & obſervantiæ Religioſæ candidiſſimam ſindonem ab humeris rejicit. Ita quidem ego loquor: non autem ſic ſcribit Chryſoſtomus, qui non patitur quemquam, qui debitam Præpoſitorum imperijs obedientiam exuit, catenis atque ſtridoribus ſe ſubducere. *Nam niſi hâc Cœleſti vocatione digna nos indue-*

induerimus veſtimenta, nihil nos eripiet, quin eodem, quo miſer ille AFFICIAMUR SUPPLICIO : *ligatis manibus & pedibus ejus mittite eum in tenebras exteriores. Ibi erit fletus.*

Ibid. Matth. 22. 13.

96. Hic multi vultum contrahunt, & tum meis, tum Chryſoſtomi monitis fidem abrogant: tam firmis, inquiunt, muris, invictíſque munimentis Religioſas Ædes miſeratio divina vallavit, ut ad labefactandos animos noſtros nullus pateat inimicis acceſſus. Quî enim per lethalia præcipitia ferri poſſit, qui florentibus in campis acquieſcit? Tam procul à profanorum hominum conſuetudine, ſpectaculis, ſcenis, Palatijs viventes ecquâ ratione Dæmon aut ſuperbiæ fumo inficere, aut pice ſolutioris vitæ inquinare queat? Rectè tu quidem Religioſos Ordines laudas, neque tamen id conficis, ut nihil planè periculi Religioſis hominibus metuendum exiſtimem. Terrent ſiquidem me Oracula quæ Deus Iſaiæ arcanorum ſuorum Interpreti dictavit. *Ego Dominus, & non*

Isai.45.6. *est alter, formans lucem & CREANS TENEBRAS, faciens pacem, & CREANS MALUM. Ego Dominus faciens omnia hæc.* Si perinde tenebras, ut lucem formaret, nihil haberem, quod Tepidorum jactantiæ opponerem. At enim vocabulorum & ſententiæ diverſitas horrore me concutit. Producit fulgores omnipotentia divina, ſed CREAT caliginem, *Formans lucem & creans tenebras.* Maximum diſcrimen intercedit, quemadmodum ſcholæ docent, inter rei cujusdam Productionem, & Creationem alterius; quippe productio Homini quoque perfacilis eſt, cùm materiam idoneam, & præparata Formæ Accidentia in promptu ſunt. In Creatione verò univerſa deficiunt: *Et fit ex nihilo ſubjecti & ſui.* Quam ob rem ſi malum creatur, ſi creantur tenebræ CREANS TENEBRAS, ET CREANS MALUM: non jactemus porrò copioſo præſidio inſtructam Sanctitatis Arcem, & Erroribus aditus omnes obſtructos eſſe: quippe quos Deus excitare de nihilo, & per ob-

obſignatas januas muróſque nullâ labe aut ruinâ laxatos in nos immittere poteſt. *Faciens pacem, & CREANS malum.* Nullus certè malleus exiguum illum lapillum de monte revulſit, qui Coloſſum in pedum cretâ ictu tam terribili, quàm noviſtis, percuſſit. Atqui leviſſimus, & improviſus aſſultus lapilli unius non commovit modò, ſed in nihilum ſtatuam redegit. *De monte abſciſſus eſt lapis* SINE MANIBUS, ET COMMINUIT *teſtam.* Pſalmos David, conſperſus cinere, cilicio coopertus, & longiſſimè, tum à Choreis tum à delicijs remotus in Hypæthro Regiæ ſuæ decantabat: Nihilo tamen minus, quòd ijs menſibus, quibus Judæi Reges bellum agitare cum Arcæ hoſtibus, & acie concurrere conſueverant, ipſe otio non nihil indulgens deambulationibus vacaret, primo Bethſabeæ conſpectu, è Rege Propheta in libidinis mancipium mutatus eſt. *Miſſis itaque David nunciis* TULIT EAM. Equidem in tam funeſta præcipitíque ruinâ vultum animúmque

Dan. 2. 45.

2. Reg. 11. 4.

que confirmarem, nisi tum à vultu, tum ab animo serenitatem omnem fugaret Petrus, in ipso ad ædes Caiphæ aditu, & primo statim Palatij limine repentino, ac penè dixissem, pejori, quàm Lucifer, casu prostratus. In Pontificis atrium vir tantus optimo Christum comitand animo intraverat. Quia tamen, cùm impii Concilij Senatores & iniquissima causæ Actores castigare oportuisset, au certè in porticûs angulum seductum ar canis precibus vacare, is contrà Magna Domûs Ministris se junxit, &, quo tem pore de Magistri sui vitâ mortis fereba tur sententia, communis foci caloribus ausus est se recreare; permisit Cælum, ut horrendis tertiúmque iteratis perju rijs Magistrum diffiteretur. *Sedebat cum Ministris ad ignem, & calefaciebat se.* Continuò in pœnam nimiæ familiari tatis cum præsidiarijs militibus, & ob emendicatum calorem à satellitij foco Christum sibi Dominum esse inficiatus est. *Ille autem cœpit anathematizare, & jurare, quia nescio hominum istum, quem dici-*

Marci. 14. 54. 71.

dicitis. Nullum horum flagitiorum admisisset Apostolus, si cum cæteris Discipulis in cœnaculo manus suas admoto igne fovisset. At verò, quia eam circumspectionem ac solitudinem in Aulâ, quâ inter Condiscipulos Domesticósque parietes haud egebat, non retinuit, duplici tum ingrati animi, tum turpissimæ perfidiæ naufragio est obrutus. Consedit? Imò cecidit. Se calefecit? Quin obriguit adeò, ut crimen perduellionis, quod vix non ipsi Dæmones jam olim Divinitatis Christi præcones horrerent, à se depellere solo balbutientis ancillulæ metu absterritus non auderet. En vobis nihilum illud, quod repente immensas scelerum machinas CREAT. *Ego Dominus creans tenebras &* CREANS MALUM. Ite jam ac testamini, tam robusta Sacrorum Ordinum valla esse, ut nullus sit timori locus, ne qua clades à Castris vitiorum unquam accipiatur. Igitur qui ab omni noxa, offendiculóque securus esse vult, non obsurdescat vice Dei loquentibus.

97. Quod

97. Quod si cui grave videbitur, is curet saltem, ut quemadmodum captus est auribus, ita pariter elinguis fiat: qualis ille in Evangelio fuit surdus, ac mutus. *Adducunt ei* SURDUM ET MUTUM. Si qui aures mihi negat, simul linguam contineret, solus ille inter nos reus ageret. Tum enimverò irreparabilis, & nullis satis lachrymis deflenda nostra calamitas est, cùm, qui noxiâ surditate Leges non audit, temeréque conculcat, non veretur earum observantiam apud contubernales elevare. Malè Conditoris sui Edictum Eva perceperat, cùm dubitantis particulam adjunxit, ubi certa mors denunciata fuerat. *Præcepit nobis Deus ne comederemus, & ne tangeremus illud*, NE FORTE *moriamur.* Jam addendo, jam detrahendo latæ legis sententiam corrupit; illíque ut invidiam faceret, vel ipsum vetitæ arboris attactum interdictum affirmavit, NE TANGEREMUS. Atqui si vel ipsa vel Adamus totam stirpem in ligna suis usibus concidissent, nullâ ex

Matth. 7. 32.

Genes. 3. 4.

par-

parte contra imperium veniſſent. Hæc poma comedi, non verò truncum deji- ci, multóque minus innocuis manibus, aut folia, aut ramorum flores attingi prohibebat. Exaggeravit improba mu- lier ſeveritatem imperij, ut hinc plus juſto ſeverum Legislatorem oſtende- ret; illinc verò præcepti violationem excuſabilem redderet. *Ne tangeremus* Contrà ut expeditior eſſet ad prædam, pœnam in incerto poſuit. *Ne fortè mo- riamur.* Idem prorſus Tepidis quibus- dam ſocijs agendi mos eſt. Aggravant jugi pondus, & imminentia fœdifragis pericula dextre amoliuntur. Nihil me- morant de ijs, qui, quia ſublimiores ſub- tiliorésque Religioſæ Diſciplinæ præ- ceptiones parvi fecerunt, eò usque pro- vecti ſunt, ut à Crucifixi ſignis denique transfugerent. Ampullas contrà, & ſes- quipedalia verba projiciunt, quoties denſam conſuetudinum noſtrarum ſe- pem exponunt, *Ne tangeremus.* Vah! ora mendacia, & veniâ indigna, non mi- nus dum odium in Statutorum ſanctita- tem

tem concitant, quàm cùm ſilentio transmittunt horrendos eorum exitus, qui de Dei Domo digreſſi, denuò in paludes Ægyptias carnibus videlicet ſatiandí ſe merſerunt! Haud abſimilis in opinando error ac fallacia quosdam cepit in eo campo, in quo Dei Filius Patrem ſuum rogaverat, ut Crucis ſibi trophæa maturaret. *Pater clarifica nomen tuum. Venit ergo vox de Cælo. Et clarificavi, & iterum clarificabo.* In geminas, eásque diverſiſſimas ſectas, qui ſonum audierant, diſceſſerunt. Fuit, qui ſonitum illum horrendum tonitru è fulminantibus nubibus excuſſum diceret: alius Oratoris Angeli eam legationem, ac blandè conſolantis vocem appellavit. *Turba ergo quæ ſtabat & audierat, dicebat* TONITRVVM *eſſe factum. Alij dicebant* ANGELVS *ei locutus eſt.* Tam mira varietas in Religioſis Tabernaculis renovatur in dies. Ignavi tepidíque ſtatutum quodlibet flammati fulguris ſtrepitum nominant. TONITRVVM *eſſe factum.* Ferventes contrà ſtudiosíque

Ioan. 12. 29.

que

que quamlibet libertatis adſtrictionem, & quamcumque primorum ardorum inſtaurationem, Apoſtolicam eſſe Regentium Providentiam dicunt: ANGELVS *locutus eſt*. Plurimum tamen inter ſe Angelus ac fulmen diſſident. Illud è cænoſis paludibus attollitur, & in noxios vapores tenuatum in fulgur accenditur, ac denique in triſulcum telum inflammatur Turrium ſtragem editurum, ac Silvas vaſto incendio populaturum. E contrario Cæli Oratores thure vaporati, & luce amicti à Throno SS. Triados emicant, ut timidis ſolatium, & nutantibus robur miniſtrent. Expendite jam vos, quanta ſit illius iniquitas, qui cæleſtem Cherubinum in paludoſum vaporem commutans optima virtutem promoventis conſilia tamquam imperium ſuum exaugentis politicum faſtum interpretatur.

98. Hoc peſſimorum Interpretum genus incredibili odio S. Auguſtinus abominatur, qui Diœceſeos ſuæ Neophytis, & Eccleſiæ ſuæ Catechumenis ſolitus

tus

tus erat dicere; caverent sibi multò impensiùs à Tartareis susurris improborum Consiliariorum, quàm Draconum sibila, & ululatus Tigrium expavescerent. Illi, ajebat, luto compacti, faucibus pulvere oppletis, ab arduis ascensibus eos qui ad Thaboræum montem pedibus manibúsque properant remorantur, & ex ipso Horebi vertice, in quem sua illos virtus extulerat, retrahunt. Pessimis consiliis circumveniunt novos Calvarii Hospites, & à Clavorum Spinarúmque amplexu abstractos monent, ut Magistri Populorum & Urbium Servatores evadant, opus haud esse tantâ sensuum Carnificinâ, aut tanto mentis nubilo, cœcâ se se submissione in commonstratas à Regentibus angustias induentis. Divina sunt inflammati charitate Theologi verba. *Vivamus bene, Mundum contemnamus. Nihil nobis sit omne, quod transit. Reprehensuri sunt nos, quando sic vixerimus, quidam dilectores nostri, homines seculares, amantes terram.* SAPIENTES PULVEREM, NI-

Ser. 52. de Temp. To. 42, 21.

NIHIL DE CÆLO DVCENTES. Proh! Quanti ponderis ſunt ea verba! *Sapientes pulverem, nihil de Cælo ducentes!* Paria quoque ego de illis ſubjungo, qui inter incendia Pentecoſtes, & Sinai flammas algere vos volunt. Non iis objicio, quod aut toxica parent, aut cicutas excolant, ut quisquis è vulgari vivendi conſuetudine aſſurgit, iis hauſtis, intereat. Demonſtro duntaxat, ineſſe iis animos terrâ fermentatos, & Cæleſtium inanes. SAPIENTES PVLVEREM, NIHIL DE CÆLO DUCENTES. Sic equidem eos ego appello: longè verò vehementiùs diſſerit Auguſtinus, qui mendaces ejusmodi Conſiliatores, Proborum parricidas nominavit. Parum intereſt, nullos ad intercludendum ſpiritum laqueos afferre, nec lanceas quibus latus hauriant vibrare; qui alieni profectûs invidiâ concitati virtutis perfectioni interitum machinantur. Certè Luciferum Chriſtus Evæ Latronem & Adami percuſſorem appellat, licet in ſerpentem mutatus ad Pa-

rentum nostrorum cædem nullo ferro uteretur. *Ille homicida erat ab initio: & desideria Patris vestri vultis facere. Videte fratres; genus homicidii. Homicida dicitur Diabolus, non gladio armatus, non ferro accinctus: ad hominem venit,* VERBUM MALUM SEMINAVIT, ET OCCIDIT. Facto subinde in eos impetu, qui servos Dei à consequendo summo Religiosæ Perfectionis apice dehortantur, impressis candenti ferro characteribus eos notat, & ceu grassatores, itineráque ad Montem Dei magnis passibus euntium obsidētes palam traducit. *Noli ergo putare te non esse homicidam, quando Fratri tuo mala persuades. Si Fratri tuo mala persuades,* OCCIDIS. Inducere verò in animum meum haud possum, ut credam, livorem ejusmodi planè tartareum in quemquam Religiosorum hominum cadere. Societatem guberno, nullâ tactus suspicione, versari in eâ quemquam, qui à peragendis, quæ Leges imperant, Sodales avocet, aut ab eorùm manibus observantiæ palmam extor-

Tract. 42. in 8. Ioan. To. 38. 1; 6.

extorqueat. Tam portentoſi parricidæ diu in Domiciliis noſtris non conſiſterent. Illud vereor tamen, ne quis ſui ipſius parricida efficiatur, dum ſibi auctor eſt multùm intereſſe inter glaream illam minutam, cui Tyrones Evangelicam vitam ſuperſtruunt, & inter ſolidos lapides, quibus Veterani ad faſtigium eam educunt. Muſſant ſecum, dedecere homines ætate provectos, & geſtis muneribus, aut doctrinâ illuſtres, ea Modeſtiæ, Pietatis, ac Auſteritatis vincula, quibus Societas ſuos Novitios, & juveniles annos implicat. Hæc illa ſcilicet cauſa eſt, cur in paucorum aliquorum pectorihus, quibus quantumlibet parum ſat eſt, Sanctuarii flammas, ac ſacrorum Thymiamatum ſuaviſſimos odores expirâſſe ac refrixiſſe interdum doleamus Quisquis aut ſibi blanditur, aut aliorum ardorem reſtinguit; is ſe à terrâ promiſſa extirpatum, & in putre ſolum Chaldeæ poſtliminio depactum credat. Cæterum longè atrociores diras imprecatus illi David eſt, qui

fallacibus blanditiis à perfectæ vitæ præmio ipsum removebat, quàm iis qui tam festinatò, vel Uriæ fidelitatem gladiis impiorum objecerunt, vel Bethsabæam impudicam in Thalamum deduxerant. Quapropter post Psalmum quinquagesimum, qui totus ex amarissimis lachrymis, & mandati homicidii, patratíque adulterii dolore compositus est, exclamavit. DILEXISTI OMNIA VERBA PRÆCIPITATIONIS *lingua dolosa. Propterea Deus destruet te in finem, evellet te, & emigrabit te de Tabernaculo suo, & radicem tuam de terra viventium.* Non me, inquit, Ephebus occidit, qui feminam adduxit; neque copiarum Dux, qui militem in exitium suum fortem in primis ordinibus collocavit. Ille me prodidit, ille venenum mihi propinavit, qui cùm cupiditatis meæ primos impetus videret, non tantùm, ut par erat, me non correxit; objectis mihi tum ætatis meæ gravitate, tum imperii purpurâ, vel certè Prophetiæ dono, ac religiosissimâ lege, ne frequenti filiorum

Psal. 51. 6.

rum turbæ offendiculum eo facto crearem; verùm etiam assentatus est; positis ob aspectum Goliatho, quem dejecissem; Arcâ, quam servâssem: & tot aliorum ante me Regum sceleribus, à quibus mihi temperâssem. Tu, inquiebant, tam bene de Moyse, de Abrahamo meritus, tot Provinciarum Rex, & unus omnium Philistæorum terror non possis desiderio cuipiam obsequi, post tam diuturnam molestámq; à deliciis omnibus abstinentiam? Quid dignum vobis imprecer, linguæ vipereæ, barathra honestatis meæ, & Gloriæ meæ dehonestamenta? PROPTEREA DEUS DESTRUET TE IN FINEM. Has diras, hoc exitium imminere certò sibi persuadeat, qui tales sermones jactat, & passim declamitat. Quotiescumque vox aliqua exciderit ori vestro, quæ à Sanctitate vitæ contubernales retrahat, contremiscere, ac de salute vestrâ conclamare vos Christus jubet. Conculcemus serpentes, qui in viâ Dei currentes interpellant. Nemo pedem retra-

 hat,

hat, vel anguſtias, vel aſperitatem itineris cauſatus. Per ſemitas, quas inſiſtimus, Chriſtus transiit, Martyres tranſiêre, omnes Crucis amatores transeunt: & nos transire detrectabimus? Fremit ac vociferatur Auguſtinus: *Chriſtus transivit, & adhuc aſpera eſt? Caput transivit*, ET MEMBRA DUBITANT? Quid ajo? fallor; erravítque etiam Auguſtinus, ſi ad præſentium temporum Religioſos verba fecit. Non enim viæ noſtræ viæ Chriſti ſunt. Mendacem appellitate niſi argumentis evicero, quod dixi. Si via, per quam incedimus, eadem eſt, quam Chriſtus cucurrit, ubi ſunt vincula in Gethſemani horto injecta? ubi alapæ in Synedrio inflictæ? ubi Phariſæorum accuſationes? alba veſtis Herodis? ſententia mortis à Pilato lata? Prætorianorum militum manus flagellis ac ſpinis armatæ? inhoneſta ex Urbe deductio? comitatus Carnificum? Crucis pondus? Corona quæ ruborum aculeos altè in caput adigat? clavi, quibus manus pedésque infami trabi configan-

Serm. 45. de Temp. To. 41. 154.

figantur? totius corporis cruciatus, inter lictorum excubias, & paria cum geminis latronibus supplicia suspensi? ubi sunt denique execrationes populi? Sacerdotum criminationes? Deus ipse velut inter terræ subsultus & Cæli tenebras oblitus nostri? Ah! viæ nostræ nimiùm complanatæ sunt, quàm ut viarum, quas Christus percurrit, nomine compellari queant! Saltem in tantâ vitæ moderatione, afflictæ quidem, sed nullis dum spinis, atque hastis transfixæ; pauperis, sed non inediâ confectæ; Magistratuum, sed & carnificum fascibus procul: sine deliciis, sed sine lanceis; non veste ad pompam illustri exornatæ, sed nec ad ludibrium atque contemptum injectæ: à magnificis Dignitatum Titulis remotæ, sed præfixæ patibulo inscriptionis infamiâ non notatæ. Verbo, vita illa quidem est Evangelica, quæ paternæ domûs delicias, vulgi plausus, dignitatum splendores, amictûs pretium, famulitii strepitum, Domicilii commoda rejecit, non est ta-

men necessariis rebus destituta, nec defecta eo, quod Dei pro nobis in Crucem acti imitatio permittit. Ad hanc nos stella invitat: Ab hâc nos nullius serpentis sibilus excantando refigat: nullus nostri ipsorum amor, nec mortis metus deponat: horrere namque mortem haud debet, qui eo loco vixerit, ubi gloria immortalis comparatur. Atque hîc Orationem cum Augustino absolvo. *Mortem times, qui ad vitam curris?* Et vos eandem cum Matthæo concludite, voces Magorum paribus vocibus comitantes: *Vidimus, & Venimus.*

Serm.45.de Temp. To.41.154.

EX-

EXHORTATIO XX.

In Pervigilio Epiphaniæ.

Vidimus & Venimus *Matth.2.*

QUia *SANCTI REGES Cælo lumina defixerunt, ideo nec itineris eos difficultas, nec Herodis Furiæ quidquam moverunt. Perinde Religiosis hominibus usu venit. Nam si ejus, quæ mente peragitur, precationis studiosi fuerint; sanctissimarum legum Custodes, ac Vindices ab omnibus suspicientur. Contrà verò si meditandi consuetudinem intermiserint, & nihil pristinæ virtutis retinebunt, & in vitia quoque degenerabunt. Nullum est tam grave periculum,*

quod Contemplationis amantibus non triumphi materiam præbeat, ac palmas largiatur: illis verò, qui Deo per Orationem non conjuncti Apostolicum munus fungi audent, plana quælibet, ac expedita in labyrinthos implicantur sentibus impeditos, & foris belluis infestos. Denique per abrupta, & plena periculis negotia inoffenso pede ad metam Sanctitatis decurret, quem preces armant: quibus qui destitutus est, is in plano quoque cespitabit, ac concidet, & omnia tuta timere debebit.

99. IN hac gemina, tum Epiphaniæ, tum Votorum Instaurationis Solemnitate, duplex animum meum admiratio capit, ac plus quàm dici possit attonitum reddit. Hinc enim magnopere miror, quî fieri potuerit, ut Viri tantis natalibus amplissimâque Dignitate, Regnorum suorum finibus, ubi

rerum

rerum omnium copiis commodísque abundabant, digreſſi,tot moleſtias, incommoda,tam longi aſperíq; itineris periculâ ſuſceperint,ut ad obſcurum Bethlemi oppidulũ pervenirent, eóq; appulſi haud alio conſilio ſive Stabulum, ſive Tugurium ſubierint, quàm ut Urnas ſuas vacuarent, opes profunderent, pronísque in terram corporibus Infantuli Centonibus involuti pedibus Diademata capitáque ſua ſupponerent. At enim Magos poſitis humi genibus, abjecto in Præſepii ſtipulas ore, audio exclamantes: VIDIMUS; *& Venimus*: nec aliter hic agit in Terra qui Cælum intuetur. Secundum hoc miranda prorſus res mihi videtur; quâ demum ratione homines Religioſi, poſtquam Deo,quidquid rerum poſſidebant, quidquid erant ipſi, aut olim eſſe poterant, dicaverunt, conſecrarúntque, eidem ſubinde rem nihili negare poſſint, quæ tamen eos à Chriſto arcet, & ad obeunda Societatis, in quâ degunt, munia, conſequendámque Perfectionis Evangeli-

gelicæ gloriam, ad quam ſua eos facultas, Vocationísque excellentia ſubvehebat, ineptos reddit. Equidem (dicam enim apertè quid ſentiam) omnes propemodum Religioſi Ordinis hujus, cui præſum, ut ſerviam, tum ob vitæ Sanctitatem, tum ob rerum, quas gerunt præſtantiam, veluti totidem Cherubini, Cuſtodes Arcæ, puriſſimo auro fuſi mihi videntur. Nonnulli tamen inter illos non abſimilem Danielis Coloſſo ſpeciem præferunt: qui cum pretioſis metallis, quæ nobilem illam ſtatuam componunt, permiſtam habeant cretam aliquam, ſeu perturbationis non edomitæ, ſeu propenſionis non penitus ad virtutis amuſſim exactæ, ea ſola ad eos peſſumdandos, hoc eſt cuilibet functioni noſtræ Vocationis ineptos reddendos ſatis eſt: non quòd diffracti montis ſaxum in eos incubuerit, ſed quod eos aſſula tenuiſſima ſeu è Rupis cavo, ſeu è ſuperficie temere avulſa perculerit. Hæc nempe illa gleba, hoc lutum eſt, cujus tam tenaces avaríque

ſunt,

ſunt, ut hortantibus licet, tum Præſi-dum monitis, tum Dei ipſius vocibus, ad rem leviculam illam quidem, ſed quæ graviſſimum maximúmque Apoſtolicis expeditionibus impedimentum affert, abjiciendam, Deóque conſecrandam, eâ ſe illi emundare nec velint, nec poſſint. Itaque uti ſunt à Sanctorum Regum magnanimâ Liberalitate diverſi, ſic dispares quoque voces ſonant. *Non vidimus*, clamant, *non venimus*. Gravamur ſcilicet imperfectionum noſtrarum glebam ad pedes Servatoris abjicere, quia Divinæ Bonitatis immenſitatem, æternáque nobis promiſſa præmia contemplari ſuperſedemus. *Non vidimus, non venimus*. Ita nimirum terram non deſerit, qui Cælum non aſpicit, neque res cæleſtes expendit. Liceat itaque per vos mihi, ut ad paucos iſtos ſub hujus diei occaſum omnem meam orationem in duas diviſam partes convertam. Ac principio quidem, quod ad commendandam ſanctiſſimorum Principum virtutem faciet, demonſtrabo,

bo, quanto ad omnem vitæ ſanctitatem conferat meditandi conſuetudo; ſubinde verò haud aliam exigui in virtute profectûs eſſe cauſam oſtendam, quàm exercitationis illius negligentiam: eámque formidabiles exitus, graviſſimorúmque malorum longam appendicem poſt ſe trahere palam faciam.

100. Integerrimum nobis Juvenem, cujus cogitationes omnes in conſervando illibatæ innocentiæ flore, Legis obſervantiâ, clariſſimorúmque operum ſtudio verſentur, David primo Pſalmorum ſuorum deſcribit. *Beatus Vir qui non abiit in conſilio impiorum, & in via peccatorum non ſtetit, & in cathedra peſtilentiæ non ſedit; ſed in Lege Domini voluntas ejus.* Credámne fingi aliquem inter mortales terreſtrem Angelum poſſe illuſtriorem iſto purioremque? Sic ego certè monere conſueveram eos, qui ab experimentis Tyrocinii Litterarum Palæſtram abſoluto Biennio ingrediebantur. Ite, inquiebam, neque hominem ullum moramini, atque in unum Chriſtum,

Pſal. 1.

ſtum, veram Religioſæ Vitæ formam, oculos defigite. Vitam in hoc, quod auſpicamini, ſtudiorum curriculo, ad eas rationes, quas in Domo Dei edocti eſtis, exigite, Regii vatis commendatione atque Encomio illo digni futuri. *Non abiit in Conſilio impiorum, & in via peccatorum non ſtetit.* Quod ſi verò, ex anguſtis ſemitis ejus, quam conſectamur, Perfectionis in apertos campos florentiáque liberioris vitæ prata aliqua vos calamitas ſeduxiſſet: quantocyus gradum revocate; néve Duces errantium effecti pravas vos inſequentibus leges exemplo veſtro promulgate: hunc eſſe dictitantes inCollegiis vivendi morem: ſub ſignis Religioſis aliter Veteranum, aliter Tyronem militare: alia Pietatis infantiæ, alia naturæ, pluriúmque annorum exercitatione confirmatæ, gravique inſuper ſtudiorum jugo oppreſſæ virtuti convenire. Quatuor potiùs Sancta Ezechielis Animalia imitari vos velim, de quibus Propheta teſtatur. *Unumquodque eorum coram facie ſua ambulabat.*

Ezech. 1. 9.

bat. Verbo: tam arcto complexu Præceptorum, & Consiliorum Religiosorum geminas Tabulas adstringite, ut de vobis quoque dici queat: *In lege Domini voluntas ejus.* Equidem vix est ullus, qui ejusmodi hominem toto, quod sequitur apud Psaltem Elogio dubitet coronare. *Et erit tanquam lignum quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo; & folium ejus non defluet, & omnia, quæcumque faciet prosperabuntur.* Parcius ista, inquit Chrysostomus; illi enim, quem hactenus descripsisti, monitísque tuis formâsti, tam bene felicitérque augurari non dum potes. Quippe si præter eam, quam præfert, improborum fugam, periculosorum itinerum metum, pestilentium Consiliorum odium, & sacrorum Edictorum reverentiam & amorem, nullum aliud decus ostentat, non is vivæ instar Arboris est, è qua nullum unquam folium ventus decutiat, sempérque uberrimi fructus decerpantur; sed recisæ à radicibus suis stirpi, ac de-

nuo

nuo in terram defossæ, quæ Calendis Maji, quo tempore ante Domus ad pompam statuitur, frondium virore luxuriat, paucósque post dies arescit, & flammas stipes expectat, longè meliùs eum componas. Ita planè quantalibet virtus Meditationis usu destituta Ramale potiùs Choreis condecorandis resectum, quàm Arbor est, cui vigor insit aut vita, nempe nullis subnixa radicibus, quæ flores illi vel poma ministrent. Age enim tota Davidis sententia recitetur, non prætermissâ eâ parte, quæ reliquis omnibus potior esse videtur; deprehendemus profectò Vatem Sanctissimum, antequam feracissimæ Arboris illius nomine compellaret hominem probum, exhibuisse nobis animum illius in perpetuâ æternarum rerum consideratione defixum, & altissimæ Contemplationi Divinorum imperiorum consecratum. *Sed in Lege Domini voluntas ejus.* Quid porrò? *Et in Lege ejus* MEDITABITUR DIE AC NOCTE. Atque ita demum, postquam Contemplationem statuisset,

subjunxit: *Et erit tanquam lignum, quod fructum dabit in tempore suo.* Equidem, ego, ait Chrysostomus, si Christianum quempiam videro sobrium, pium, liberalem, castum, ac demissè de se sentientem, studiosè quæram, utrum ædificio tam splendido vivi silicis fundamenta, quibus se se sustìneat, substructa sint: nempe an, qui se inediâ macerat, Deum oret? an inter precandum lachrymas fundat, qui aurum spargit in pauperes? Nam si huic Moli, quam laudatus ille Catholicus virtutibus suis Cælo admovisse videtur, deesse fundamenta cognoscerem, non possem illi non horrendas ruinas ominari: nempe uti nullos sanctitatis fructus ab egregii licet propositi stirpe sperare licet, cùm radix Contemplationis exaruit. *Itaque cùm videro quempiam* NON AMANTEM ORANDI STUDIUM, *nec hujus rei fervidâ vehementíque curâ teneri: continuò mihi palam est, eum* NIHIL EGREGIÆ DOTIS *in animo possidere. Rursus ubi quem conspexero insatiabiliter adhærentem*

Lib. 1. de Orand. Deum. To. 46. 178.

tem

tem cultui divino, idque in summis damnis numerantem, si non continenter oraverit, conjecto talem OMNIS VIRTUTIS *firmum esse meditatorem*, AC DEI TEMPLUM. *Precatio enim ceu radix, & basis* CÆTERIS OMNIBUS *substernitur.*

101. Hæc porrò, ubi semel occupavit animum, tantum illi vigorem inspirat, ut in se ipsam omnes corporis sensus transformet, eósque, tanquam & ipsi forent rationis compotes, sic instituat, ut attollere se in Deum, & quodanimodo Divinitatis Oracula, præsentiúmque rerum vanitatem ipsi quoque cum animo contemplari possint. Id certè David vaticinatus est, cùm cecinit. *Os Justi meditabitur Sapientiam.* Portentum ingens, stupendum! exclamat attonitus gestiénsque Ambrosius. Labra rationis expertia Dei naturam contemplantur: Os justorum sanguine, carnéque compactum ad cælestia contemplanda Mysteria sublevatur, & cum Anima de Contemplationis, quam digni-

Psal. 36. 30.

tatem propriam ſibi feciſſe illa videbatur, perfectione contendit. Tantum ergo in Adami Filios Meditandi virtus poſſit, ut corpus ſua membra in Animæ facultates convertat, ac ipſum veluti ſua ſibi Mens ſublimium cogitationum ſubtilitate ſe Choris inferat Angelorum? OS JUSTI MEDITABITUR *Sapientiam. Jam enim & ipſe exterior homo* IN INTERIORIS HOMINIS TRANSFUSUS DISCIPLINAM *ipſius exercet officia*, UT CARO MEDITETUR, *quod Mentis eſt*, Eò usque evadit, qui unà cum Sanctis magis Cælum ſuſpicit, deſpicit Terram.

102. Quod ſi verò nos vel turba negotiorum, vel ſtudiorum moles, ad conſiderandos luti hujus impuros vapores depreſſiſſet, oculósque noſtros à Triumphalium Arcuum, immortaliúmque ſplendorum, quibus Civitas illa Divina coruſcat, contemplatione avocâſſet, adeóque è viris, quos Seraphinis pares Meditatio fecerat, in Homunciones haud multò jumentis ſuperiores, pronos

nos videlicet ad hujus vitæ pabula, convertiſſet, haud aliis artibus priſtinæ formæ reſtitui poſſemus, quàm ſi denuo felicibus illis ſcatebris Divinarum commentationum os admoverimus. Quamprimùm enim limpidiſſimas Apoſtolicorum Monitorum aquas ſugere cœperimus, continuò vetera illa magnanimáque ſtudia Terrarum Orbem univerſum pedibus ſubjiciendi, clariſſimáſque Chriſti patientis umbras, & honeſtiſſima opprobria, ac vivificas Crucis mortes præ omnibus voluptatum, & honorum illiciis æſtimandi revixiſſe in nobis experiemur. Neque aliter eveniſſe ſibi teſtatur Auguſtinus undecimo Confeſſionum ſuarum libro. *O veritas, lumen cordis*, exclamat. *Defluxi ad iſta, & obſcuratus ſum. Audivi vocem tuam poſt me, ut redirem; & vix audivi propter multitudinem impacatorum; Et nunc ecce redeo æſtuans, & anhelans ad fontem tuum. Nemo me prohibeat* HUNC BIBAM, ET TUNC VIVAM. Nemo de me actum eſſe dicat, & conclamatum;

Lib. 11. Confeſſ. cap. 10. To. 19. 143.

Etenim, si modò in vulnera Servatoris conjicere oculos, si labra admovere potero; ex eorum meditatione amissum vigorem recuperabo, restinctum ardorem instaurabo, vivam denique, si bibam. Quamobrem nulla comparandæ scientiæ cura me à fonte Considerationis abducat: ad quem ubi pertigero, licet membris omnibus captus, mortuóque quàm vivo similior viderer, certus sum vitam virésque plus quàm Giganteas me recepturum. *Nemo me prohibeat hunc bibam, & TUNC VIVAM.* Tanta est Contemplationis non tam Potentia, quàm Omnipotentia; ut robur Paralyticis, & vitam reddere mortuis possit. Utinam verò, qui lethifero Ignaviæ frigore cum Augustino se contactum sentit, cum eodem ad sacrorum Voluminum fontes properaret, quibus, qui animum suum sub consuetæ precationis horam penitus imbuerit, veras ille Anastases, &, si licet dicere, vel ab ipsa morte ad Vitam prodigiosos reditus experietur.

103. Nemo igitur eorum, qui con-
ceptos olim ardores refrixiſſe, robúrque
ad decurrendum virtutis ſtadium elan-
guiſſe in ſe animadvertit, aliâ ratione
priſtino vigori ſe reſtituendum confi-
dat, niſi ſalutaribus aquis accuratæ me-
ditationis ſe merſerit. *Hunc bibam, &
tunc vivam.* Cujus rei ſub diverſo qui-
dem ſchemate illuſtre documentum
nobis in Regum Hiſtoriâ Spiritus San-
ctus reliquit. Multis precibus, lachry-
míſque ab Eliſæo Sunamitis contende-
rat, ut Filio ſuo vitam reſtitueret. Se-
cutus itaque Mulierem Vir Dei ad fere-
trum, in quo adoleſcens jacebat, ſe con-
tulit; cúmque intellexiſſet, nihil ſacri
illius, mirificíque Scipionis contactum,
tametſi ſæpius repetitum, ad animanda
pueri membra valuiſſe, ſe ſe ipſe ſuper
exangue corpuſculum abjecit, itáque ſe
ad pueri menſuram contraxit, ut mani-
bus manus, os ori, oculis oculos conjun-
geret, nec priùs pallidos frigentéſque
jacentis artus fovere deſtitit, quàm in
auſpicatum ſuſpirium ora laxaret. Tam

manifesto salutis indicio nec motus est Propheta, nec ad prodigium spectatores accivit. Ac licet adolescens iterum iterúmque pergeret oscitare, non tamen ab Elisæo in viventium numero habitus est. At verò cùm allevantem oculos, atque exporrigere frontem Propheta videret, tum denique patrati à se prodigii jam securus festo clamore ministrum compellans advocare pueri matrem jussit, eíque, ut ob salutem filii, quem mortuum planxerat, grates Deo persolveret, imperavit. *Incurvavit se super eum, & calefacta est caro pueri. At ille reversus deambulavit in domo, & ascendit, & incubuit super eum: & oscitavit puer septies.* Et hactenus quidem pius ille Thaumaturgus, qui vitam mortuo jam reddiderat, silentium tenuit; neque toties iterata suspiria fidem illi fecerant, puerum revixisse. At verò postquam oculos aperuit, ad Cælum usque voces extulit, nec moratus, dum adolescens aut linguam in verba resolveret, aut è lectulo se in cubitum allevaret, redi-

4. Reg. 4. 35.

redivivum dixit. *Vocavit Giezi, & dixit ei: Voca Sunamitidem hanc. Quæ vocata, ingressa est ad eum. Qui ait: tolle filium tuum.* Illum enim, quem aperuisse oculos, quem videre cerno, vivere, pristináque vitæ munia quantocyus obiturum confirmo. Quid cessatis igitur vulgare miraculum, totámque viciniam in communis lætitiæ partem advocare? *Aperuitque oculos: Tolle filium tuum.* Libeat hîc Guerricum Abbatem audire, qui tanti prodigii auctoritate subnixus Cœnobitas suos monuit honestarum actionum exercitationem esse quidem recuperatæ vitæ principium quoddam, vitæ verò perfectionem, in solâ divinarum rerum meditatione consistere, neque aliunde quòd ad excellentis Virtutis decus, quo excideramus, denuo consurrexerimus, certos esse nos posse. *Resurgat Spiritus omnium nostrûm, sive ad vigilantiam orandi, sive ad instantiam operandi. Et primum quidem vitæ redeuntis in hominem indicium est, si impiger sit ad actionem: nam* PERFECTA RE-

Ser. 3. de Resurr. To. 19. 55.

RESURRECTIO *ejus est*, SI OCULOS APERIAT AD CONTEMPLATIONEM. Vos hîc appello, Præsides Religiosi, siquidem à prudentissimis consiliis Abbatis Sapientissimi Sanctissimíque Vobis exemplo discedere nefas ducitis, nunquam quemquam è subditis vestris meliori vitæ restitutum creditote, nisi Cælo defigentem oculos, & prolixarum, ardentiúmque precum studiosum deprehenderitis. Equidem afflictationes corporis, laborum assiduitas, seculi fuga, contemptus honorum, studium demissionis, institutio rudium, Evangeliorum expositio, morientium cura, peregrinationes Religiosæ, incommodorum patientia, paupertatis amor, obtemperandi promptitudo, Castitatis candor, magna sunt vitæ primordia, non tamen redintegratæ virtutis firma satis argumenta. *Primum quidem vitæ redeuntis in hominem indicium est, si sit impiger ad actionem. Nam perfecta Resurrectio ejus est, si oculos aperiat ad Contemplationem.* Quamobrem nemo vestrûm spe-

ſperet, ſe ad vitam animos excitaturum, niſi quos immenſo precandi deſiderio inflammaverit: qui tametſi eſſent quovis Lazaro conclamatiores, ac plusquàm quatriduani; ſi modò ſe Chriſto per orandi conſuetudinem conjunxerint, refloreſcent profectò, & fragrantiam Angelicam totis latè Cœnobiis ſpargent; fruſtra verò machinas alias omnes admovebit, nec aliter jacentes eriget.

104. Eapropter, S. Auguſtinus cùm Diœceſeos ſuæ Curatoribus modum rationémque improbos homines è tumulis vitiorum ad virtutem excitandi præſcriberet, ſpem omnem juſſit deponere, id ſe vel Eccleſiaſticis minis, vel Pontificiarum Devotionum tonitruis, vel denique ſuppliciorum fulminibus conſecuturos; aut ad vitam revocaturos, quos vitiorum tabes conſumpſiſſet. Nempe, inquiebat ille, quemadmodum iſtorum Mors induſtrias noſtras omnes eludet; ita ſi Chriſto eos obtuleritis, cujus vocibus non à teporis modò, verùm etiam

etiam perfidiæ lethargo torpentis animi excitantur, ſomno potiùs ſopiti, quàm vitâ functi videbuntur. Quæ videlicet cauſa fuit, ut Lazarum jam dormire, jam mortuum eſſe, Servator diceret. *Lazarus Amicus noſter dormit. Lazarus mortuus eſt.* Quæ duo, tantum abeſt, ut ſibi adverſentur, ut certiſſimæ ſint verorum eventuum hiſtoriæ: nam quorum animos Religioſorum Cœtuum Antiſtites nunquam induxiſſent, ut pro ſtudio Diſciplinæ, Legúmque obſervantia, vel digitum, vel pedem moverent, quamprimùm illi orando Deo vacare cœperint, excitabunt ſe ſe; &, quod de Sole Rex Vates cecinerat, ab Occaſu in Ortum, veluti fortiſſimi Gigantes procurrent, ſuáque virtute, quam è conſortio divino eximiam hauſerunt, à vitiis expurgabunt Orbem Terrarum. *Utrumque verum dicens* (verba ſunt Auguſtini Lazari mortem deſcribentis) *mortuus eſt vobis, dormit mihi.* Ita noſtrûm quilibet, quantovis labore Domos noſtras gravi odore hominum non ex virtute,

Ioan. 11.

Serm. 4. de Verb. Dom. To. 26. 70.

adeó-

adeóque non viventium purgare contendat; quamvis in eam rem ſtudia ſua conferat omnia; hortetur, increpet, blandiatur, atque caſtiget, nihil tamen proficiet: quippe non expergiſcitur, qui torpet, & qui vitâ caret, caret & ſenſu. Uníque verò, ſi Deo ſe conjunxerint, vigorem animi, diviníque verbi gladium reſument, Animas Deo, Cruci Provincias ſubacturi. *Mortuus enim tibi mortuus eſt, qui, quantumlibet pulſes, quantumlibet vellices,* QUANTUMLIBET LANIES, NON EXPERGISCITUR. CHRISTO AVTEM ILLE DORMIEBAT, *cui dictum eſt: ſurge, & continuò ſurrexit. Nemo tam facilè excitat in lecto, quàm facilè Chriſtus in ſepulchro.* Itaque perturbari animo non debemus, tametſi eas voluptates, quas liberaliſſimum illud ſtipendium, quod in Milites Chriſti dividi ſolet, liquidiſſimas affert, depravati cujuſpiam Sodalis, cui fervor in teporem, aut etiam in lethale frigus deſierit, miſerabile funus reſtingueret. Fac modò Chriſto illum Medi-

Ibid.

Meditatio admoveat, ac continuò eum videbis vinculis exſolutum è tumulo prodire, & ſuarum affectionum victimas inter ardentis Pœnitentiæ flammas Immortalis Dei Altaribus in Holocauſtum conſecrare. *Nemo tam facile excitat in lecto*, QUAM CHRISTUS IN SEPULCHRO. Quid multis? Ad ſtimulandam accendendámque torpentis deſidiam, plus valet obtutus ab ipſomet in Chriſtum Cruci ſuffixum conjectus, quàm curæ pervigiles, ſtudia indefeſſa, conatúsque omnes eorum, qui Chriſti Milites ad Apoſtolicæ Charitatis Regnum ducunt. Siquidem, *Perfecta Reſurrectio ejus eſt*, SI OCULOS APERIAT *ad Contemplationem*.

105. Atque hæc familiaris cum Deo conſuetudinis prodigia ſunt: jam quanta ſint ejusdem neglectæ aut contemptæ detrimenta videamus. Et quoniam cum Guerrico Abbate reſeratorum denuo ad Divina conſpicienda Luminum meminimus, eodem ſchemate utenti Chryſoſtomo, & juſtiſſimum omnibus ter-

terrorem inferenti animos modò adhibeamus. Videtis, inquit Doctor gravissimus, eum, qui per extensum in theatro funem non graditur modò, verùm etiam ad numerum Cytharæ salit? Equidem donec temerarius Histrio nec aliò convertit oculos, nec claudit; feliciter cursum tenet, & formidabiles ludos absolvit. At verò nisi caveat infelix, ne aliorsum vel puncto temporis oculum flectat, aut palpebris obducat, de fune ibit in præceps: ac quilibet vagi luminis error, membrorum omnium collisione, ipsáque in terram miserum in modum afflicti Agyrtæ morte plectetur. Id ipsum prorsus nobis qui per arctissimas Perfectionis semitas Funambulorum instar incedimus, usu venire creditote: interiorum enim oculorum divagatio quælibet præsentissimi exitii causa est. *Ut enim in Theatris*, QUI PER SUBLATUM FUNEM SCANDUNT, *si parum aliquid oculorum acies errârit, præcipites continuò ruunt: ita qui spiritualem gradiuntur viam* PER ANFRACTUS

Serm. de Virt. & Vit. To. 2. 32.

CTUS TRUDUNTUR. Qui casus tantam spiritualium calamitatum seriem pone trahit, ut vel sola cogitatio Christiani hominis animum horrore concutiat. Eos verò idem Patriarcha Chrysostomus Populo Antiocheno denuncians illustris illius Metropolitanæ Ecclesiæ Alumnos pro concione in hunc modum est allocutus. Innumerabilis, inquit, nos conjuratorum turba circumsidet, ac per omnes sensuum nostrorum portas Vitia primùm, & subinde Mors irrumpit. Nullus est cantus quo non emolliamur, nullus prati viror, qui pietatis nostræ succum non ebibat: opulentia quælibet egestatem inducit animo, formâ quâlibet fascinamur, licentiâ quâvis capimur, voluptatis cujuscumque visco tenemur; quocumque adulantium palpo strangulamur, nullo non dicto excandescimus, nullo non exemplo intepescimus. Pictæ Tabulæ Dei in nobis imaginem delent: Convivia Dapis Angelicæ fastidium pariunt: Musarum carmina in feras Belluas nos convertunt:

tunt: ſacrarum paginarum guſtum profana nobis volumina eripiunt: Cælum ipſum, quod ad Beatorum ſedes & honeſti amorem invitare nos debuerat, tot fabulis contaminatum ad Tartara nobis ducem Intemperantiæque Magiſtrum ſe præbet. Equidem adverſus tot ferociſſimorum hoſtium inſidias Ratione nos Deus atque intelligentiâ obarmavit, ut conſideraremus, quàm nihil ſint fluxa iſta caducáque omnia, quantúmque inſtar habeant, & omne denique punctum ferant æterna, atque his præſidiis tuti reprimamus hoſtiles impetus, humíque affligamus eos, qui nobiscum luctantur, & proſternere nos allaborant. *Dedit nobis* INTELLECTUM *Deus, ut contra diverſarum rerum impugnationem quaſi* QUODAM SCUTO USI, *ac lumine maneamus innocui.* Hic ille oculus eſt, cujus aciem ductúmque ſecuti è præliis omnibus Victores abibimus. Tam enim fallax & fucata fluxarum voluptatum ſpecies eſt, ut vidiſſe, viciſſe ſit. Miſeros verò nos, ſi rerum

Hom. 21. in 6. Matth. To. 2. 5. 107.

æternarum meditatione deſtitutis, oculus ille ſe nobis occluſerit. Cæcos enim res quælibet aut vanis terroribus implet, aut noxiis illecebris implicat. Qui captus oculis eſt, ſæpe pro roſa ſerpentem colligit; dúmque omnia tuta timet, Adamantem negligit, quem pro vitro æſtimat: ſic quoque plenam lacte ſuaviſſimo phialam ori dubitat admovere, infectum cicutâ poculum arbitratus. Id ſcilicet evenit homini qui Meditationis lumine privatus menti ſuæ ultro cæcitatem accerſit. Huic enim Aſperitas vitæ & ſui domandi ſtudium, tot bonorum parens, & origo meritorum, naufragium quoddam videtur, in quo lætitiæ omnis ac quietis jactum faciat: Religioſam diſciplinam immortales Alumnis ſuis coronas plectentem Furiam ex Orco emerſam reputat, quæ catenas quatiat, & libertatem mittat in compedes. Fugit infelix haud aliter ſilentium, Paupertatem, Obedientiam, ſtudium Animarum, quàm ſervitutem atque Tyrannidem in omnes ſuas voluntates ab alio-

aliorum imperiis exercendam. Contrà verò Sirenes in amplexum recipit, & cupiditatum ſuarum obſecutus imperio, Draconum veſtigia legit, à quibus aut mergatur, aut voretur: *Sicut enim poſtquam* OCULORUM LUMEN *extinctum eſt, pleraque jam membra* SUO USU AC OFFICIO CARENT: *ita etiam* MENTE CÆCATA, *innumeris prorſus malis vita ſua cumulatur.* Quisquis igitur interiorem animi oculum ad ſecernenda de veris falſa bona non adhibet, is vaniſſima terriculamenta, veluti vaſtas clades exhorreſcit, & Crucis præmia, felicitatisque immortalis diademata tanquam egeſtatem fugit, & ceu peſtem abominatur. Jam verò ſi ſæculi vanitas laudibus efferatur, algeat contrà virtus, ac jaceat, ſi animo geſtit, exultátque, ac ſi Chriſti Conſiliis bellum indixiſſe, Religiosísque conſuetudinibus inſultâſſe, is demum triumphus, ea gloria foret, quæ nominis ſui famam immortalitati conſecraret. Tam miris modis diſtrahit animum cæcitas ſua, & de-

depravata rerum æstimatio sensum pervertit.

106. Hæc, ut opinor, tam multiplex clades Ambrosium movit, ut Sectatores Evangelii Serpentes appellaret Rationis ornamento coronatos. Atque eam ob rem meminisse illos jubet Servatoris imitationem Serpentis Discipulis suis haud dissimulanter nec perfunctoriè commendantis. *Estote ergo prudentes* SICUT SERPENTES. Existimant plerique qui Naturæ Historiam condiderunt, hoc animal pro capitis incolumitate tam solicitè laborare, ut sive à Vulturibus, sive ab Aquilis impetatur, quamlibet corporis partem unguibus discerpendam præbeat, dum interim caput in tuto collocet. *Fertur Coluber, cùm urgetur periculo*, CAPUT SEMPER ABSCONDERE, *& objectâ reliquâ parte corporis, hoc solum tueri.* Cujus curæ, quam ab ipsa natura hoc animal docetur, inexpectatam prorsus fabulæque simillimam causam afferunt, ne Ambrosio quidem improbatam. Sperare videlicet

Matth. 10. 5.

Serm. 20. in Psal. 118. To. 2. 329.

licet ſerpentem, ſi intactum vulneribus caput ſervaverit, poſſe ſubinde ſe partes affectus lambendo curare, ac reſtaurare deperditas, *Quòd læſa feratur membra cætera* SALVO CAPITIS VIGORE REPARARE. Id quidem quod de ſerpente falſò dici exiſtimo, in quolibet homine re ipſâ contingere Ambroſius affirmat; qui tentatus licet, everſus, victus, in ipſis tamen cupiditatis ſuæ, quâ ſuperatus eſt, faucibus Meditandi Libertatem retinuit, & è vinculis Caput explicuit. *Hoc Caput Humani ſervate Serpentes, etiamſi omnia membra cædantur.* Novi equidem Patres Fratrésque, quos diligo venerórque, quàm in hac Societate adverſus hoſtiles Inferorum Acies invicti conſiſtant plerique omnes. Scio quàm omni ſuâ parte Animi noſtri valeant: perſpecta mihi eſt Magni hujus, Chriſtóque inprimis dilecti Religioſi Corporis integritas: Si quando tamen, (quod ut hactenus à nobis prohibuit, ita impoſterum prohibebit Divina Clementia) ſi tamen, inquam, vel

cognati ſanguinis amor nobis illuſiſſet, vel humanæ laudis cupiditas impoſuiſſet; ſi Diſciplinæ Legúmque rigor tædium ac horrorem peperiſſet; ſi curioſitas ſtimulos ſubdidiſſet audiendi narrandíque aliquid novi; ſi ſtudio litterarum ab animarum ſtudio, ſublevandíſque hominum neceſſitatibus nos avocâſſet; ſi humanæ cultus Eloquentiæ à frequenti Divinorum lectione voluminum abduxiſſet: dummodo inviolatam orandi conſuetudinem conſtanter retineamus, & præſcripta tempora ſacris Commentationibus dederimus, certos vos eſſe jubeo quidquid eſt corruptelæ vitii quantocyus ſublatum iri: paucóſque illos, quos fortè illa venena infeciſſent, ſalutem priſtinam, ſtudiúmque virtutis primævum recuperaturos; eóſque patriæ parentúmque oblitos, pertæſos laudum, Diſciplinæ ſtudioſos, ſolitudinis amantes, ſalutis alienæ cupidos, Sanctorum Virorum dictis factíſque imbutos, atque imitatores ſedulos futuros pronuncio. Et hi quidem excuſſo,

quo

quo torpebant, frigore, adeò exardeſcent, ut majores animo flammas perſentiſcant, quàm qui olim in Hieroſolymitano Cænaculo collecti cæleſtem ignem capitibus exceperunt. Proſequens igitur ſermonem ſuum Ambroſius, *Totum*, inquit, *uratur corpus incendiis, mergatur profundo, eviſceretur à beſtiis*, HOC TANTUM CAPITE CUSTODITO, *vita integra, ſalus tuta eſt.* Ne verò ſinat Deus, ita doctiſſimus perpicaciſſimúsque Scriptor orationi ſuæ finem imponit, ut Caput tam neceſſarium, tótque bonorum fontem negligenti cuſtodiâ ſervetis: nam ſi, dormientibus vobis, illud Cacodæmon abſtuliſſet, jaceretis ſanè informes, & ſine nomine Trunci, gemino inſuper malo, quàm luctuoſo, tam irreparabili, mulctati, nempe non agnoſcendi, muti, ſtolidi, ac omni penitus vitæ ſpe impoſterum abſciſſâ. *Caput eſt, quod fovet membra omnia. Inde ductus venarum.* SUBLATO CAPITE, CORPUS SINE NOMINE EST; NON AGNOSCITUR,

 nec

nec ulla superest usura vivendi. Quod si tam illustre decus, quo nos tum Exercitia Spiritualia, tum Meditatio continua, tum quotidie sæpius repetita Examina Conscientiæ, magnificè exornant, vel leve detrimentum pateretur, inficeretúrque; nescio utrum eos, quos S.Pater nullis certæ vestis insignibus à cæteris Sacerdotibus distinxit, pro iis Mundus agnosceret, quos hactenus ex oculorum modestiâ, incessûs gravitate, Majestate frontis amabili, ingenui pudoris purpurâ, sanctitate verborum, pectoris ardore, atque ab eâ Exempli Luce, cujus vi ac splendore, quisquis nostros vel alloquebatur, vel aspiciebat, animum suum ab omni rubigine peccati emundare, constantíque proposito seculo nuncium remittendi, unámque post hac æternitatem desideriis præstituendi suis, aurato veluti clypeo communire solitus erat, cognovit suspexítque. Haud sanè affirmârim fore, ut, si de Contemplationis studio remitteremus, gloriosam illam de nobis existimationem

nem tot Provinciæ ac Regna retinerent, ac Apoſtolorum quasdam ſeu imagines ſeu umbras Ignatii Alumnos dicturi eſſent, quam quidem nominis gloriam in hæc usque tempora Societati tribuêre. *Sublato Capite*, CORPVS SINE NOMINE EST; *non agnoſcitur:* quæ profectò inſignis calamitas eſt tantæ gloriæ faſtigio excidiſſe; *Nec ulla ſupereſt uſura vivendi:* hæc verò irreparabilis jactura eſt, nullis unquam planctibus, nullis ne cruentis quidem lachrymis ſatis deplorandа. Jacent heu! Animæ, virtus occidit! omni ad vitam denuo exſurgendi ſpe ademptâ.

107. Quæ quidem calamitas tametſi terroris plena veriſſimáque ſit, non eſt tamen tota malorum ſumma, quibus precum negligentia caſtigatur. Nunquam certè auſus fuiſſem ſuſpicari, non modò interdum contingere, ſed vel contingere poſſe, quod Joannes Chryſoſtomus quotidie inter Adoratores Chriſti evenire ſanctè teſtatur, gravitérque confirmat. Cadaver, inquit, in feretro

 reſu-

resupinatum intuemini. En ut immotum, frigidum, pallidum, & exsangue jacet, & horrorem spectantibus movet! Hunc hominem, quem paulò antè, quàm animam egisset, aut morbo correptus esset stipabant Proceres, obsequiosa Epheborum turba præibat, populi tum ob dignitatis amplitudinem, tum ob Paludamenti decus, atque fortunarum magnitudinem venerabantur, jam famuli, amici, necessarii, Sorores Matérque ipsa, factâ latè fugâ, deserunt, solémque, quòd solito tardiùs occidat, incusant; id nempe solùm morati, ut in fossam eum abjiciant, bufonibus atque serpentibus prædam. Atque in eam rerum conversionem incidit infelix, postquam à Corpore divortium animus fecit. Idem porrò vos Animæ, cùm eam Meditationis, quâ vivebat, Spiritus defecit, usu venire cogitate. Atque utinam ejus, qui non contemplatur, universa infelicitas esset, mori. Equidem haud nego funestum prorsus mortui hominis spectaculum esse: mitigant tamen

men horrorem illum hinc Thori funebris auratis tapetibus aucti species, hinc ardentium circa facum splendor, cultus habitúsque jacentis ad majestatem compositus, floribus instrata pallia, figura eadem exsanguis licet ac quieta: hæc, inquam, spectantium horrorem temperant, & amicorum mœrorem haud parum allevant. Fac autem Cadaver illud uno alteróve die pavimentum premere, videbis continuò vultum tabescere, manus ebullientibus vermiculis arrosas, oculos è cavernis suis in saniem resolutos, & laxatis costis, corruptísque visceribus tam gravem odorem diffundi, ut non Templum modò, sed totam latè viciniam incestet. Quod si mihi tam fœdam, horrendámque Castrophen describenti non creditis, Sanctissimum Doctorem audite. ANIMÆ MORS *non provolvi ad Dei genua. Quemadmodum enim Corpus hoc nostrum, si non adsit Anima, profectò mortuum est, ac fœtidum:* SIC ANIMA, *nisi seipsam* INCITET AD ORANDVM, MORTVA

Lib. I. de orand. Deū. To. 46. 178.

TVA EST, *ac misera, & graviter olens.* Si moreretur is inter nos, qui orare Deum, ac Divina contemplari negligit, certè sine motu, multúmque ab aliis Ignatii Filiis diversus jaceret. Non ægris ille solatium afferret, non moribundis peccatorum veniam impertiretur, non rudes edoceret; non peccatores ad frugem reduceret. Nempe nihil operis facit extinctus. Jam verò tristem illam, & moveri nesciam quietem corruptio, & corruptionem intolerandus fœtor consequitur, qui totius Ordinis famam inficit, plurimísque Nazaræis, quos hæc Domus educat, perfectionis eripit opinionem: Et quamvis unus ille, atque unicus sit, totam tamen Societatem communi apud omnes veneratione ac existimatione, quam de Apostolicâ ejus Sanctitate conceperant, frustratur, Matrique suæ coronam quodammodo de vertice diripit. *Anima, nisi se ipsam incitet ad orandum, mortua est, ac misera, &* GRAVITER OLENS. Quis hujus tam acerbi Epiphonematis ultimas duas vocu-

voculas satis exponat: *Graviter olens?* Dicit is sanè, quod à me nec mente concipi, nec proferri verbis potest. Quare mirum non est, importunissimis vocibus diu noctúque à Deo Luciferum flagitare, ut Sacerdotibus ac Monachis, relicto aliarum virtutum usu, solam precandi, cælestiáque meditandi consuetudinem tollat. *Deus meus, pone illos ut Rotam.* Obscuram Principis Tenebrarum Metaphoram interpretationum suarum radiis illuminat S. Gregorius, aitque, Similes ut Rotæ simus, ab illo exoptari: hæc enim dum movetur, quemadmodum eam partem, quæ in luto se versavit, sic, ut est inquinata, sustollit; ita illam, quæ supernè Cælum versus eminet, deprimit, ac Cæno immergit. *Rota quippe ex posteriori parte attollitur, & in anterioribus cadit.* Id scilicet unum agit Cacodæmon, ut à Cæli consideratione avertat studia nostra, & ad nimiam seu corporis curam, seu sciendi cupiditatem detorqueat. Sanè Triumphum agerent Inferi de quâlibet seu

Psal. 82. 14.

Lib. 1. Ep. 1. To. 32. 2.

Do-

Domo, ſeu Academiâ Religioſâ, cujus inquilinos ſtudioſiores Philoſophiæ ac Theologiæ arcana rimandi, quàm Evangeliorum oracula expendendi reddidiſſet; obtinuiſſétque, ut Sacrorum voluminum meditationem ſuperaret Quæſtionum Naturalium, & Mathematicorum Problematum cognitio: Enimverò, ceu confecto bello, machinas, quibus nos oppugnat, diſſolveret, & in Servatoris Sacrariis victorem ſe dominari ſine æmulo gloriaretur.

108. Quæ verſutiſſimi hoſtis cupiditas quàm rebus noſtris exitioſa ſit vel cæcus Heli vidit, neque commiſit, ut morte ſuâ ejus indicium periret. Sedentem in ipſo Portarum limine infeliciſſimum Senem nuncius è caſtris occupavit, ac luctum, fugam, cladémque miſerabilem profligati Hebræorum exercitûs recenſuit. Ordine deinde omnem infelicis prælii fortunam executus memorabat dejecta per campos agmina, expugnata caſtra, cæſas legiones, agros cadaveribus ſtratos; Ophnim denique & Phi-

& Phineem filios ipſius Pontificio cultu nudatos, vulturibus ac Corvis ſuper nudam humum in paſtum abjectos. Nihil admodum eâ narratione perturbatus Pontifex, majorem, quàm pro tot calamitatum ſenſu, conſtantiam retinuit. At verò, cùm cœptam alter Hiſtoriam pertexeret, addidiſſétque Arcam Deo ſacram in hoſtium manus deveniſſe, immotúsque ad priora omnia Sacerdos ſolum Arcæ nomen audîſſet, exanimatus continuò eſt, & excuſſo retrorſum corpore, impactáque poſtibus cervice interiit. *Cúmque ille nominâſſet Arcam Dei, cecidit Heli de ſella retrorſum, & fractis cervicibus, mortuus eſt.* Hoc loco Gregorius, major meliórque illo Pontifice Pontifex. Sacerdos, inquit, Hebræus, Agminum fugam, cadentium ſtragem, filiorum mortem conſtanti animo perfert: at verò abductam è Tentoriis Iſraëlitarum, & in primariam Philiſtæorum Urbem translatam Arcam audire non potuit: quippe omnem aliam calamitatem tolerare utcumque poſſumus, ſi mo-

1. Reg. 3.

modo precandi psallendíque facultas adempta non sit. Ubi verò Tabernaculum Divino cultui, precibus, Deíque contemplationi consecratum periit, mori præstat, quàm vivere, quia nulla superest causa vivendi, omnísque boni spes sublata est. *Heli auditâ Israëlis fugâ, relatâ sibi ruinâ populi, intimatâ filiorum morte, de sella nequaquam cadit:* COGNITA AUTEM ARCÆ CAPTIONE, *& de sella cadit, & vitam perdit.*

In 1. Reg. 3. To. 25. 43.

109. Neque verò sine gravissimis rationum momentis ita de Orationis jacturâ senserunt duo Summi Pontifices, Hebræorum alter, alter Christianorum, Magnus videlicet Gregorius, & miserrimus Heli. Quamprimùm enim erepta nobis sacra, & cælestis illa lux, quæ super Tabernaculum emicabat, aspectui nostro subducta est; protinus infinita vitiorum, Errorúmque Monstra palàm incedunt. *Posuisti tenebras, & facta est nox: in ipsa pertransibunt* OMNES BESTIÆ SYLVÆ. Ita Davidi de sede Magni-

gnitudinis suæ Spiritus Sanctus dictavit. Nempe futurum, ut, si quando Lux illa, quæ à Divinarum meditatione rerum diffunditur, cuicumque demum hominum Deo dicatorum Cœtui occiderit, crudelissimæ quæque Belluæ passim è sylvis erumpant, improvisam Probitati cladem importaturæ. *Quando nobis* OCCUBUERIT SOL: *tunc in nos pertransseunt bestiæ; &* LEO RUGIENS. Quamvis autem has tenebras è divinæ lucis, unà cum ardore Meditandi deficientis occasu obortas peracriter insectetur Hieronymus, confirmétque non ferarum modò rictus, ac morsus, verùm etiam rugitus formidandos esse. *In nos pertranseunt bestiæ, &* LEO RUGIENS: nempe vulnera, quæ cælesti Orationis Lumine privatis in ea caligine imponuntur proferenda in publicum esse, ad eundem modum, quo Leo simul mordet, ac rugit; cladémque quam dente vel ungue intulit, clamore vulgat: pauciora tamen à Sancto Doctore dicta sunt, quàm quæ Rex vates

In Psal. 103. To. 23, 154.

prædixerit: Is Belluas quidem minatur, nec tamen multas esse aut omnes, & ex intimis longissimísque nemorum recessibus ait erumpere. Utrumque verò David affirmans, exclamat: *Facta est nox: in ipsa pertransibunt* OMNES BESTIÆ SYLVÆ. Equidem me tam dirum omen exanimat: quippe si Canes, Lupi, Serpentes, vel Ursi quoque, notæ videlicet nobis feræ, impetum in nos facerent à Contemplationis occasu provocatæ, minor certè nostra calamitas foret: illud verò me terret, quod omne genus ferarum ex ignotis latibulis, sylvísque nunquam antè penetratis evasurum dicatur: successuras videlicet post internæ precationis neglectum ignotas antea labes, nec usitata vitia, & ipsi quoque mentis illius nocti nova prorsus & inexpectata. *In ipsa pertransibunt* OMNES *Bestiæ sylvæ.* Quas quidem nec cinis dapibus aspectus, nec cruenta flagella, nec Cilicia setis horrida, nec cælestium sermonum ardores, nec Animarum studia in reducendis in viam erran-

errantibus indefeſſa in fugam egerint. Nam niſi Meditatio redeat, fera Monſtra non abeunt. *Ortus eſt Sol, & congregati ſunt, & in cubilibus ſuis collocabuntur.* Ea demum ſpes eſt, è tot malis emergendi, ſi primam lucem animus ſibi reddiderit. *Ne triſtetur ille, qui cecidit.* ORITUR ILLI SOL, *& fugient ab eo omnes Beſtiæ, & peccata, &* EFFICITUR QUALIS ANTEA FUIT. Quam ob rem David, ut nos confirmaret, eodem momento, quo renata nobis lux fuerit, ardorem virtutis denuo inflammandum promittit. *Exibit homo ad opus ſuum, & ad operationem ſuam usque ad Veſperam.* More priſtino, ſtrenuéque munia veſtra exequemini, ſed eatenus ſcilicet, quoad per novam incuriam Orationis Meridies non iterum vobis occiderit. Ita quidem Hieronymus cœptum ſermonem abſolvit. *Poſtquam ortus fuerit Sol, iterum eximus ad operationem noſtram usque ad veſperam.* Quisquis igitur precibus vacat, nihil habet, quod expaveſcat. Quòd ſi non feræ

modò, verùm etiam Furiæ omnes, facto in nos impetu, artus noſtros laniaturæ concurriſſent, ſi modò nos contemplatio armaverit, earum ungúes ac fauces exarmabimus, & furorem veluti molles blanditias impunè ridebimus: nec plura prælia, quàm Victorias Sacrarum paginarum Meditatione colluſtrati numerabimus.

110. Cujus promiſſi fidem nobis adſtruet Rubus, quem admiratione ſummâ ſuſpexit, & accuratiſſimâ diligentiâ Moyſes deſcripſit. Altiſſimæ rapidiſſimæque flammæ virgultum illud invaſerant: neque tamen in vaſtiſſimo incendio aut afflatum vapore folium cecidit, aut ramuſculus ullus igne concepto reſolutus in cinerem fuit. Id verò non inde factum eſt, quòd arbuſculam aut frigidus ſilex, aut Porphyreticum Marmor duràſſet; vel quòd pictus ille potiùs, quàm verus ignis eſſet; ſeu deniq; quòd eas flammas copioſis imbribus Cælum reſtinxiſſet. Verùm eam ob cauſam innocuus ignis, & illæſus Rubus fuit, quia

ſuum

suum in eo solium Deus posuerat. APPARUITQUE EI DOMINUS IN FLAMMA *ignis de medio Rubi.* Hanc quoque minimam Societatis Arborem ardentes rogi manent, utique, cùm neque Nitriæ rupes, nec vastas Thebaidis arenas incolamus. Cum omnium Ordinum hominibus, & ubique locorum, quà uterque Terrarum Orbis vetus juxta ac novus patet, versamur: Gentes erudimus nullâ veri Numinis cognitione præditas, nec ullis Magistratuum atque Antistitum Legibus temperatas: Oceanum emetimur vecti Gaulis ingentibus avaros inter Mercatores, militarémque licentiam: Exercitus comitamur præsidio futuri militibus quorum animos in pertinaciam hinc quidem obduravit ferri rigor, illinc verò libido emollivit: fidei, curæque nostræ florentissima Europæ juventus, nobilísque pueritia committitur; ut, dum Eruditionis amœnitate pascitur, simul præsidia pietatis admittat. Quæ cùm ita sint, quis exercitationes nostras paribus

Exod. 3. 2.

cum Mosaico Rubo incendiis obnoxias esse negaverit? Quia tamen per constantem Divina meditandi consuetudinem Deus interest Muniis nostris, medios inter ignes cælesti rore fovemur, viremus, floremúsque, quibuscumque tot flammarum ingratiis. Id prorsus Christophoro egregio Martyri usu venit. Equidem fortissimo Heroi, tum robustissimi corporis vigor, tum atrocitas tormentorum longè acerrimum bellum movebant. Hinc eum Mundus deliciis suis, hinc Tyranni suppliciis evertere furialibus utrimque armis allaborabant; at ille vivæ Fidei clypeo inexpugnabili armatus, animúmque ad æternas voluptates, quas ipsi apparabant equulei, quibus distraheretur, ac epularum, quas aversatus esset, abstinentia, considerandas attollens, eâ re invictum se præstitit, vitam contempsit, mortem superavit. *Fidei quippe loricâ munitus, & excelsa* NON MONTIS, SED MENTIS ARCE SUBNIXUS, *licet undique fremat, ac frendeat acies hostium, nescit*

B. Pet. Dam. Serm. de S. Christoph. To. 14. 164.

nescit Athleta fortissimus impetum formidare bellorum.

III. Habetis, Auditores, Meditationis amatæ præmia, & neglectæ supplicia vidistis, eum, qui cælestium rerum contemplatione mentem occupat, medios inter ignes efflorescere, redivivum è sepulchro consurgere; audere, agereque Apostolis paria; corporis sensus in sacraria mentis convertere; Angelicam vitam vivere, admirationi hominibus, Deo in amoribus esse. Compertum pariter vobis est, qui Cælo lumina claudat, cælestésque internarum precum radios à mente suâ excludat, eum innocentiæ, integritatis, famæ tum suæ, tum eorum, in quorum societate versatur, jacturam facere; novisque Monstris se dilaniandum, & invisis deformandum maculis præbere. Quapropter quis deinde tam excors erit, quis tam duris præcordiis, qui ad ubera Meditationis non cursu festinet, ut tot calamitates effugiat, tot virtutum coronis caput exornet? Verùm ego nec quicquam hæc dicerem, si

tot inter innocentissimos, integerrimósque Dei famulos aliquem non omni prorsus integritatis laude conspicuum cernerem. Hunc enimverò (si fortè vel unius alicujus nomen in nostrorum hominum syllabo censeretur) ad precandi studium si adhortarer, juberem pariter, ut sine pennis volaret, sine armis pugnaret, navigaret in sicco, vitam sine cibo traduceret. Meditari enim ac Divina contemplari, & precibus insistere nullo modo potest, qui candore animi Libani Nives non anteit. *Non potest* IMPURUS ANIMUS *adstare Deo, quantumvis corpus adest.* Ita nimirum censuit Venerabilis ille Monachorum Constantinopolitanorum Antistes Simeon. Quòd si enim corpora nostra vel Adamantinis Clavis Arcæ Testimonii sacratissimísque Templi adytis configerentur, nisi tamen limpidior crystallo, & quovis lacte candidior animus fuerit, isthic veluti Salamandræ inter ignes, & tanquam erecti à mari scopuli, immoti videlicet ut isti, frigidi ut illæ remanebimus.

Orat. 17. To. 35. 74.

bimus. Laborabimus, neque mentem tamen cognitione ditabimus, nec voluntatem egregiis decretis ſtabiliemus. Neque verò id hîc apud nos contingere mirum videri debet, cùm perinde Beatis illis Animabus in Cælo degentibus accidat. *Stantes ante Thronum, & in conſpectu Agni amicti* STOLIS ALBIS, ET PALMÆ *in manibus eorum.* Nemo Adamo, quòd ſe Divino aſpectui ſuffuretur, vitio vertat: non enim poterat puriſſimis Dei oculis & Innocentiam integritatémque amantibus ſe offerre, qui violatæ legis, ac gulæ ſuæ meminerat; atque ideo non admodum id ipſi crimini datum ab illo fuit: objectum tamen admiſſum flagitium homini fuit, quòd, ut Divinam illam Majeſtatem expaveſceret, vitarétque, ipſe ſibi neceſſitatem impoſuiſſet. *Ex ligno, de quo præceperam tibi ne comederes, comediſti.* Nemo itaque Præſes ſubditorum ſuorum ullum ad ſanctiſſimam, graviſſimisque Conſtitutionibus tam ſæpe, tam ſeverè præſcriptam cum Deo familiaritatem adigere

Apoc. 7. 10.

Geneſ. 3. 8.

gere ſatagat, cujus animum non antè ab omni penitus labe peccati purgaverit. *Non poteſt impurus animus adſtare Deo.* Nec Angelis ipſis ad Agni Thronum acceſſus patuit, niſi quia victrices manibus palmas, & candidiſſimas in veſte nives prætulerunt. *In conſpectu Agni:* at nempe, *amicti ſtolis albis, & palmæ in manibus eorum:* Integerrimæ vitæ puriſſimæ ſtolæ, & opima de hoſtibus reportata ſpolia, actique triumphi, ea demum ſunt, quæ ad cæleſtes delicias, quas familiaris cum Deo atque Agno conſuetudo copioſiſſimas percipit, veros Dei ſervos perducunt. Quibus duobus Inſignibus, candore videlicet Innocentiæ, ac fortitudinis trophæis ut Auditores meos Chriſtus exornet, idoneóſque ad Divinam Naturam contemplandam reddat, votis omnibus contendo.

EX-

EXHORTATIO XXI.

Feria VI. post Dominicam XII. à Pentecoste quo tempore Collegium Romanum extremâ proventuum penuriâ, & Annonæ sterilitate premebatur.

Homo quidam descendebat ab Jerusalem in Jericho, & incidit in Latrones; qui etiam despoliaverunt eum, & plagis impositis, abierunt, semivivo relicto. *Luc.10.*

CALAMITATES, quas Deus interdum Collegiis nostris immittit, ad instaurandam, exaugendámve virtutem nos quibusdam veluti stimulis excitant. Unius interdum Sodalis vitio, aut tepore, tota Domus Religiosa laborat.

borat. Quòd si vel profani homines temperare sibi à deliciis, & austeritati se dare consueverunt, cùm Deus in Regna, & Urbes animadvertit, quantò magis id Religiosos agere, severitatem intendere, remissionis ac quietis spatia contrahere par est, si quando rei domesticæ difficultatibus, vel eorum teporem castigat, vel virtutem exercet. Id autem maximè à nobis exigere Christus videtur; ut, cùm Domus nostras egestate premit, majorem promptitudinem ad quaslibet Provincias, & Collegia nullo discrimine adeundi ipsi redhibeamus. Quapropter id pro se quisque contendat, ut vel iram Numinis leniat, ac placet; vel ejus monitis obsecutus animum à Muniis, quæ obit, & domiciliis, quæ incolit, refigat: neque velit,
eos

eos qui præsunt meritorum suorum facultatísve rationem ullam habere.

112. NEminem arbitror esse, qui cùm hodiernâ luce sacris operaretur, aut facienti adstaret, ac spoliati, vulneratíque viatoris miserrimam calamitatem vel legeret ipse, vel recitari audiret, non continuò Collegii hujus sancti quidem, sed afflictissimi, & post accepta tot vulnera ad extremam illam nuditatem adducti, ut paucas illas micas, quæ quoquo modo frugalissimo Provinciarum nostrarum victui superant, emendicare cogatur, miserabilem faciem animo subjecerit. Ego verò nec nuditati, nec vulneribus nostris deflendis immorabor, quippe nec illa tam obscura est, ut non videatur; nec ista tam levia sunt, ut eorum acerbitas non ab omnibus magnopere sentiatur. Optarem potiùs, ut à præsentium malorum horrore ad investigandas eorum causas animos transferremus: eo nempe consilio, ut his sub-

ſublatis, Divinæ pietatis amicis imbribus, quibus aliàs hoc Collegium copioſè ſemper irrigatum eſt, poſtliminio recreati reſpiremus. Expendemus igitur breviter, quid cauſæ ſit, quòd tam acerbis flagris ſervorum ſuorum humeros Deus feriat, quídve à nobis poſtulet, vel ejus Ira, quod quidem non credo; vel ejus Providentia, quod ſperare potiùs lubet, cùm nos adverſitatibus, quas toleramus, tantopere affligit, & futurarum etiam metu exanimat: quæ ſanè calamitates eò acerbiores ſunt, quò præſentium ſenſum imminentium timor exaſperat, atque eas ipſas, quibus opprimimur, graviores reddit.

113. Quòd ſi Hieronymo, ſacrarum Litterarum in paucis perito, & divinorum Arcanorum Interpreti diligentiſſimo fidem adhibemus, cæleſtes Iræ, quibus vapulamus, plerumq; vitiorum noſtrorum Divinæ in nos Charitatis Irides in furores, horrendáque fulmina convertentium partes & infelices fructus ſunt. Quamobrem animadvertit ille Vatem

Vatem Regium, cùm octogesimo nono Psalmo squalida ergastula, carceres, in quæ olim populus ille Hebræorum compingendus ab inimicis suis esset, prænunciaret, singularem planéque paternam Dei erga creata omnia benignitatem commendâsse; ut sciremus, Synagogæ ruinam non illi adscribendam, qui patiebatur suos in vincula conjici, verùm iis, qui carcere digna gessissent, eam calamitatem tribuendam esse. *Narraturus tristia à laudibus Dei incipit; ut quidquid postea hujusmodi accidit adversorum*, NON CREATORIS DURITIA, *sed ejus, qui creatus est*, CULPA ACCIDISSE VIDEATUR. Neque verò ex aliis fontibus derivari eas in Christi Ecclesiam Calamitates, quæ Mosaicam inundaverunt, judicavit prudentissimus Senex, & Exercituum Christianorum res non Barbarorum viribus afflictas, sed ob Evangelicæ doctrinæ contemptum ab offenso à Catholicis Regnis Numine pessumdatas fuisse arbitratus est. Non sunt, inquit, aut fatales

Epist. 131. To. 17. 326.

tales Barbaris enſes, aut penetrabiliora tela quàm noſtris: & tamen ſanguine noſtro campi natant, & per ſtratos cadaveribus Chriſtianorum agros victor Hunnus incedit. At nempe vulgi licentia, depravatíque mores, & Sacerdotum in obeundis muneris ſui partibus exigua Religio, illa demum ſunt, quæ haſtarum noſtrarum aciem hebetant, & Chriſtianæ Fidei hoſtium mucrones exacuunt. *Noſtris peccatis Barbari fortes ſunt: noſtris vitiis Romanus ſuperatur exercitus.* Quod ſi verum dixit Hieronymus, nemo eſt, qui non videat, nos quoque agrorum noſtrorum ſterilitatem, peſtémque ſegetibus noſtris illatam errori cuipiam noſtro referre in acceptis debere. Deus eſt, qui noſtrum in ſe colendo, demerendóque languorem vindicans, nos ab omni parte premit, atque hinc rei familiaris anguſtiis, illinc metu majoris urget inopiæ.

Epiſt. 3. ad Heliod. To. 1 7. 15.

114. Neque verò ut ſacri Cœtus ejuſmodi cladibus vaſtentur, neceſſe eſt, permultos ex eorum Alumnis eſſe, qui

qui peccent, potiſſimámque Sacrorum Ordinum partem vitio non carere! nam ſi vel pauci, vel unus inter innumerabiles alios Diſciplinæ ſtudioſos, & virtutis amantes ab his diverſus degat, ſatis ille cauſæ eſt, ob quam in nubes Cælum coëat, ac Chriſto dicatas ædes turbinibus quatiat, motíſque fundamentis ſolo æquet. Neque id à me Collegiis noſtris denunciari mirum videri cuipiam debet, cùm id Apoſtolico contigiſſe Navigio Evangeliſtæ teſtentur: Eo cùm Judas avaritiâ contaminatus, & ignavo tepore depravatus veheretur, Galilææ ſtagnum ex imo vertit, miſerámque Naviculam tot procellis jam imparem, ad ſummam deſperationem adduxit, jámque in eo res erat, ut naufragio hauriretur totum Apoſtolorum Collegium, niſi ſupplicibus eorum precibus commotus Chriſtus compoſuiſſet undas, & ventorum furias compreſſiſſet. *Tranquillitas eſt* (verba ſunt Ambroſii) *ubi Petrus navigat*, TEMPESTAS UBI JUDAS ADJUNGITUR. *Igitur*

Serm.11. To.10.148.

UNIUS DELICTO CUNCTORUM MERITA QUATIUNTUR. *Hoc exemplo caveamus perfidum, ne* PER UNUM *plures fluctuemus.* Enimverò quoties tempeſtatis illius fortuna, animadverſióque magni illius Ambroſii animum meum ſubit, totis artubus contremiſco, atque ita mecum diſputo. Itáne verò ad eripiendam à naufragio eam Navim, quam præſentiâ ſuâ Chriſtus conſecrârat, ſatis præſidii non eſt vel in Joanne omnis Innocentiæ Prototypo; vel in Petro ardentiſſimæ Charitatis Magiſtro; vel in Andrea Crucis amantiſſimo; vel in Jacobo reti, navi, patre, patriâque relictis inclyto, ſi degener Apoſtolus aliquis in tranſtris, & ad remum ſedet? Et nos ſcilicet credemus, omnem Domibus noſtris è Cælo terrâque rerum affluentiam deberi, eo nomine, quòd in iis degant viri altiſſimæ Contemplationis, & ſalutis Animarum ſtudioſiſſimi; neque obſtituros ſpei noſtræ paucos illos, quorum deſidiam, incuriámq; diſſimulamus? At enim ne plu-

ne plurium quidem ſanctitas, ipſáque Divini Filii præſentia unius alicujus improbitati præponderat. Exigat jam pro ſe quisque ſecum, conſiderétque num ulla ſat firma ſpes eſſe poſſit priſtinæ felicitatis denuo rediturae, ſi fortè non unus modò, ſed aliqui Cruci affixi Chriſti patrimonio alantur quidem, ſed nullo interim Crucis amore tangantur. Ah! *Caveamus perfidum*, *ne* PER UNUM *plures fluctuemus*. Singuli atque universi, *Caveamus perfidum*. Hunc Præſides inflictis pœnis corrigant, Majores ſalutaribus monitis emendent; æquales ſuis exemplis accendant; inferiores precibus ſuis adjuvent. Secus ſi fiat, easdem illas ventorum furias, quæ Jobi Palatium everterunt, expectemus, quorum vi hæc Domus penitus procumbat, aut certè vehementer labefactetur. Siquidem, *Unius delicto* CUNCTORUM MERITA QUATIUNTUR. Quòd ſi autem liberalem Dei manum, malísque noſtris remedium ſperaremus, dum nihilominus eſſet inter nos qui fœdorum ulce-

ulcerum horrore fœtoréque iram Cæli provocaret, non modò vanas temerariásque ſpes alere, ſed inſanire, fureréque nos Gregorius Pontifex diceret, ut qui exarmare flagris Dei manum utcumque vitiis inquinati conaremur. PRIMVM GENVS DEMENTIÆ, *nolle quempiam à malis ſuis juſtè quieſcere, & Deum* INJVSTE A SVA VELLE VLTIONE CESSARE. Igitur ſi Divinæ iræ flagella gravia nobis, & ingrata ſunt; abominemur longè magis perturbationum noſtrarum abortus tam ingratos injurióſque illi, qui nos Filio ſuo in procuratione Animarum Socios atque adminiſtros dedit; quàm pernicioſos nobis, ut quos ab ejus explendis præceptis, & ſequendis Conſiliis abducunt. Donec itaque lachrymis eluerimus labes noſtras, ac ſacro illo, quo quondam ardebamus, ſanctitatis igne ad purum excoxerimus eam deſidiæ ſcoriam, quæ fortè in unius aut alterius animo primævæ illius, communíſque virtutis, aurum in vitæ haud mul-

Lib.8.Ep.41. To.32.65.

multùm à profanorum hominum consuetudine abhorrentis vile plumbum convertit, desperemus non eadem, quibus afflictæ sunt res nostræ, damna semper imposterum ploraturos esse. Necesse prorsus alterutrum est, vel ut sponte ardeamus, resumpto scilicet animi fervore, vel ut ultricibus flammis exuramur. *Nostris peccatis Barbari fortes sunt: nostris vitiis Romanus superatur exercitus.* Non auctæ industriæ, non intensæ vigiliæ, non agrorum cura sagacior, non rationes accuratiùs subductæ, non sumptus imminuti, non sua victui frugalitas restituta, restrictáque, non contubernalium contractus ad pauciores numerus, non denique subsidia Provinciarum satis erunt, ut hoc Collegium sibi restituatur, & è casu consurgat, si quorumdam incuria illud porrò pergat evertere, & in ejus ruinam incumbere perseveret. *Nostris peccatis Barbari fortes sunt.*

115. Verumenimverò quàm ego hactenus imprudenter egi, cùm pecca-

ti nomen proferrem, potuíque credere videri, esse aliquem, cujus culpâ calamitas ista nobis acciderit; nimirum eo loco verba facio, ubi nemo est (quod Divinæ Clementiæ grati adscribimus) qui non morte ipsâ pejus omne crimen abominetur, malítque animum potiùs à corpore secedere, quàm ad eum errorem ullum, qui verè peccatum dici, & offensæ Divinæ rationem habere possit, admittere. Nemo sub Jesu vexillo meretur Achani commilito, qui graviter in Ducis sui imperia peccet. Tam castus hominibus nostris pudor est (id quod pariter totum Divinæ gratiæ præsidiis nos debere profitemur) ut si non omni penitus imperfectionum, quas difficulter admodum vitat Cretæ nostræ conditio, pulvere caret, ab eo certè luto ac pice procul absit, quâ sordet Ægyptus, & Babylon inquinatur. Quam ob rem peccati nomen audiri porrò desinat, nec putemus ea vulnera, quæ recepimus, vel unius è nobis perfidiæ decreta supplicia, sed Dei monentis, & ad arden-

dentius virtutis ſtudium, perfectioniſque incrementa nos excitantis voces eſſe credamus. Id ſcilicet velle ſibi eas procellas, quæ interdum viros à profanâ vivendi conſuetudine ſecretos, & in Evangelicam Naviculam ſub optimorum Navarchorum auſpiciis receptos agitant, Rex David eſt teſtatus. *In ira populos confringes.* Non placet hæc Auguſtino lectio: aítque ab irâ divinâ non excidium, ac ruinas populis parari, ſed amabilem potiùs ductum præberi, mavúltque ita legere: *In ira populos* DEDUCES. Id nempe dicere videtur Auguſtinus, Deum, ſi quando ſiniſtrâ manu nos impellat, dexterâ fulcire, & à caſu retinere: hinc ſeverum inſtare, humíque affligere: hinc benignum adeſſe, prolapſos erigere, blandéque in viam reducere: ſimul cruentare vulneribus, ſimul lacte conſpergere, ut quos terrore complevit, Sancto Spiritu repleat. Ad eum planè modum, quo Vinitor in vaſa vinaria fervidam priùs aquam, ac ſubinde pretioſa falerna in-

Pſal. 55. 8.

fundit : ita divina nos Providentia acri primùm ſulphure luſtrat, & amaro felle temperat, ut ſubinde paternæ curæ ſavo, & Apoſtolicorum ſolatiorum Ambroſiâ recreet. IRASCERIS ET DEDUCIS, SÆVIS ET SALVAS, TERRES ET VOCAS. *Quàm multi impleverunt Domum Domini, in ira ejus deducti, id eſt tribulationibus territi, & fide impleti! Ad hoc enim exagitat tribulationibus,* UT EXINANIAT VAS, *quod plenum eſt nequitiâ, & impleatur gratiâ.*

In Pſal.55. To.12.208.

116. Quam porro Sanctus Princeps à throni ſui faſtigio ad cœleſtium arcanorum conſcientiam ſubvectus, ſuppliciorum, ac gratiarum; favorum & afflictationum conjunctionem vaticinatus eſt, eam ejus Nepotes, ſubjectorúmque populorum poſteritas opere ipſo comprobavit. Hos poſtquam Aſſyriorum Regum Tyrannidi, ſua flagitia eos ſubdiderunt in ipſis ergaſtulis, vinculíſque vetus animi libertas, excuſſo vitiorum jugo, reſpexit, & qui priùs in Palæſtina

ſtina Chaldæi fuerant, in Chaldæa demum veri eſſe Iſraëlitæ cœperunt. Illic mutato in fletum riſu, jociſque in preces verſis, ſuſpiriorum ſuorum ardore vel ipſos, à quibus erant ſuperati, Barbaros ad veri Dei deſiderium, cognitionémq; inflammârunt. *Super flumina Babylonis* ILLIC *ſedimus, &* FLEVIMUS, *cùm recordaremur tui Sion. Illic interrogaverunt nos, qui captivos duxerũt nos.* Tam mirabili rerum converſione attonitus Chryſoſtomus, cùm videret, novam improborũ hominum pietatem, ac lachrymis rubentes oculos, qui olim riſu fluebant; eos deniq; in exilio medios inter Idololatras poſitos, Levitas ac Sacerdotes eſſe cœpiſſe, qui quondam in ipſis diviniſſimi Templi Adytis procul à Deo exulabant, exclamat: *Qui, cùm Prophetæ lachrymarentur*, RIDEBANT: HI NUNC *nemine eos admonente*, AD LACHRYMAS CONVERTEBANTUR. Quam morum converſionem non ſolùm Deus ab dilectis ſibi Animabus requirit, cùm eas ad emendationem vitæ fla-

Pſal. 136.

In Pſal. 136. To. 31. 182.

flagellorum sono excitat; sed neque vir bonus, neque Christi servus dici potest, qui similibus, uti modò nos, calamitatibus afflictus, oppressúsque non expergiscitur, nec animum resumit ad omnem vitæ integritatem consectandam. Id nempe colligere licet ex eâ similitudine, quâ in Evangelio suo Christus proborum Cœtus minutissimo semini Sinapis comparavit, quod quidem cùm immotum jacet, sine viribus ac sine nomine est; at, si dentibus comminuas, aut saxo frangas, nihil illo vivacius acriúsque reperias. *Simile est Regnum Cælorum grano Sinapis.* SI CONTERATUR INARDESCIT. *Sic unusquisque Vir Sanctus, cùm non pulsatur, despicabilis aspicitur, si qua verò illum tritura persecutionis opprimat,* MOX *in fervorem virtutis vertitur.* Quæ Pontificis ac Doctoris maximi doctrina optima quidem est, sed angustioribus, quàm voluissem, limitibus circumscripta: quippe non probos modò ad majorem vitæ perfectionem format ferientis Dei gravis manus;

S. Greg. Praf. in Iob. To. 33. 4.

verùm

verùm ipſos etiam Divinitatis ſuæ hoſtes priùs quoque, quàm eos furoris ſui molâ conterat, ſolo ejus rei metu ac minis in viam reducit, & ex impiis pios, ex inimicis amicos reddit. Quòd ſi eſt aliquis veſtrûm, qui dicenti habere fidem cunctatur, is Cineres ſcrutetur, inſpiciat Cilicia, expendat jejunia, dolores ac planctus conſideret, numeret preces, & proſtrata demum humi corpora Ninivitarum contempletur; judicétque, an quidquam exaggeratum, ac rebus ipſis majus dixerim, & non potiùs rerum geſtarum eventus hiſtoriáſque protulerim. Adeò illius conſternati populi lachrymæ omnibus perſpectæ ſunt, tam nota dolentium illorum Procerum demiſſio, tam decantata Regis ipſius, cui immenſa ea Civitas parebat, de ſolio ſe in nudum ſolum abjicientis modeſtia, ut omne illud tempus inútiliter inſumpſiſſe mihi viderer, quod in tanto luctu, communíque juſtitio commemorando collocâſſem. Eodem potiùs cinere conſperſus, & lachrymis illis perfuſus excla-
ma-

mabo: Ergóne Civitas Idolis addicta, Numinis expers, solo imminentis supplicii metu perterrita, quod ab homine Religione diverso, gente peregrino, fugitivo denunciabatur, purpuram sacco mutat; veteres, quibus assueverat, delicias abominatur; picta tapetia, gemmásque pedibus proterit; funibus renes constringit; occludit Theatra, & Circos; convivia latâ lege proscribit; hortos deserit; se volutat in cinere; ac pleno acerbissimi luctûs ac amarissimi doloris ejulatu Cælum ferit, & commissorum veniam, & aliquod supplicio levamentum à Deo exorat? Ac nos interim, qui tam obnoxiam Deo servitutem servire profitemur, non ex oculis lachrymulam, non gemitum exprimemus è pectore, non alicui nostræ cupiditati obluctati genium fraudabimus, non in aliquam ejus Myrrhæ, dolorúmque partem veniemus, cujus immensâ vi Ninivitarum pro se quisque sinum implevit, & caput oneravit, ídque in hoc temporis articulo, quo non jam intentantur, sed

ſed torrentis ritu in nos irruunt calamitates atque miſeriæ? Dicite autem, ecquod in hac tantâ malorum acerbitate, vel publicarum, vel privatarum corporis afflictationum, incrementum depreh enſum eſt? num veſtis mutata? num interrupta intermiſſáque colloquia? num vigiliæ ſine fine protractæ? num dolor intenſus? num pietas aucta? num ea demum morum converſio facta, quæ cum Ninivitarum converſione comparari ullatenus poſſit? Equidem credidiſſem fore, ut, cùm primùm acerbiſſimorum ejusmodi verberum crepitus audiri cœpiſſent, continuò cum perturbationibus ſuis implacabile bellum univerſi ſuſciperent, ſtuderêntque ſeu victûs parcitate, ſeu veſtitûs tenuitate, precum multitudine atque frequentiâ, pallore vultûs, ſermonis gravitate, ſanctitate morum, gemitibus, ſuſpiriis, doloribus, ſuppliciis denique tam ſevera Numinis in hoc Collegium tam pium, tam ſanctum judicia flectere, atque ipſum primario huic Societatis noſtræ

Gymna-

Gymnaſio veluti ſuboffenſum concilia-re ſatagerent.

117. Fac autem hunc Cœtum, qui nihil cum Ninivitarum ſceleſtis facinoribus commune habeat, purúmque ſe ab omni labe improbitatis Divinæ gratiæ præſidio conſervatum fuiſſe gloriari poſſit, Providentiam Numinis iratam ſibi neutiquam habere, num ideo tonanti Cælo aures occludere, nec intelligere, quid à nobis Deus requirat, poſſumus? An fortè negare poſſumus, velle ipſum, ut, dum in his anguſtiis verſamur, virtutem amplificemus? ut torporem excutiamus, dum ab omni parte concutimur? Quò enim nos rubis ac ſentibus armata Dei manus provocat, quàm ut in veteris Diſciplinæ anguſtiſſimas ſemitas nos conjiciamus, propiúsque ad ultimas juratæ Perfectionis metas accedamus? *Iraſceris & deducis; ſævis & ſalvas,* TERRES ET VOCAS. *Ad hoc enim exagitat tribulationibus; ut exinaniat vas, quod plenum eſt nequitiâ, & impleatur gratiâ.* Conturbatis itaque rebus

bus nostris, id procul dubio Christus jubet, ut per ejus vestigia gradientes communem virtutis modum egrediamur, ejúsque exemplo Animas hominum redimamus, non incommoda solùm earum causâ suscipiendo; cùm eas, pro sacro tribunali absolvimus; cùm de superiore loco instruimus; cùm rudes docemus; cùm puerilem ætatem informamus; cùm Xenodochia invisimus; cùm vinctos solamur; cùm Missiones, propriam nobis provinciam, administramus; cùm itinerum difficultates, laborum contentiones, molestias vigiliarum devoramus: verùm etiam ut inter cruciatuum, & si opus fuerit, Crucis etiam amplexus quinque vulneribus, quatuor clavis, pluribúsque lanceis confossi animam efflemus. *Irasceris*, ET DEDUCIS. Vult nempe Christus Religiosorum hominum cum hujus seculi filiis colloquia non curiositati explendæ, aut otio fallendo; sed sanctitati, sed emendationi eorum, quibuscum agunt, servire. Vult Oratores nostros, dum sacris

cris Adventûs Vernique Jejunii tempòribus pro Concione ſacras litteras interpretamur, Angelicas Tubas inflare, quæ de peccati lethargo audientes evigilent, & ſceleribus ſuis conſepultos, ad vitam, ad errorum ſuorum deteſtationem, Divinæque Clementiæ implorationem excitent. *Sævis, & ſalvas.* Vult denique omnes hujus Societatis homines Angelos oculorum modeſtiâ; verborum Sanctitate Apoſtolos; Ac ſui denique ipſius pro ſalute mortalium perempti vivam effigiem actionum omnium integritate, animique magnitudine repræſentare. TERRES ET VOCAS. Quanto verò æſtuare pudore deberem, ſi, cùm videam Hebræos captivitatis & exilii Babylonici malis domitos, & Ninivitas Jonæ oratione ad anteactæ vitæ pœnitentiam compulſos Divinis conſiliis obſecutos fuiſſe; noſtros interim homines, quos nec horum crimina, nec illorum tenebræ premunt, inter micantia paſſim fulgura, circumſonantiáque tonitrua, quibus ad morum non emendationem

nem modò, ſed Sanctitatem eos Deus hortatur, ita vitam exigere, ceu ſereno Cælo tonaret, ac ſecundiſſimæ nobis res eſſent, Deúsque actionum noſtrarum honeſtati jam nunc præmia perſolveret, metáſque ſtatueret, ultra quas tendere virtuti noſtræ nefas foret. Cur autem exempla tam procul accerſo? Cur Ninivitas, Hebræósque populos commemoro, quorum alteros animadverſionis Divinæ ſenſus, alteros metus emendavit, cùm in oculis noſtris eadem quotidie ſpectacula renoventur? Quis enim eſt Chriſtianorum, qui cùm inſolitis malis vexatur, non continuò ad Templa confugiat; non ante Sacerdotis pedes abjectus cupiditatum ſuarum ſordes execretur; non duriſſima illius imperia patiatur, liberalitatem in pauperes, longam inediam, frequentem Sacramentorum uſum, piorum libellorum crebram lectionem, profanorum proſcriptionem, Amicorum fugam præſcribentis, neque eorum quidquam recuſet, quæ ad præmuniendum adver-

 ſus

ſus veterem vivendi licentiam animum facere viſa fuerint. Quod ſi verò vulgus tam inconſtans, ac varium, tam obnoxium vitiis,& Divinarum rerum adeò ignarum atque inſolens, nihilominus periculorum adverſitatúmque flamma tam diverſum à ſe, meliúsque quàm antè fuerat, efficit, fieri non poteſt, ut nos, quos Deus inter familiares ſuos Filiíque ſui Collegas admiſit, & in Perfectionis Apoſtolicæ ſemitas deduxit, in tanto ac tam novo fortunarum Collegii hujus incendio, ignavo frigore torpeamus, feramúsque, ut, cùm omne hominum genus ad ardentis rogi conſpectum mores emendat, & ad Sanctitatem componit, nos ſubinde marmorum inſtar absque ullo doloris ſenſu mediis in ignibus duremus, è quibus tot alii ad pietatem inflammantur, & præ doloris magnitudine propemodum exanimantur?

118. Equidem hoc eſſet, calamitoſiſſimam ſortem ejus Navis, quæ Jonam vehebat, atque indigniſſimum hujus factum Collegio noſtro repræſentare vel-

le.

le. Et illam quidem ut præſentis naufragii periculo eximerent inanium Deorum cultores, oculis manibúsque ad Cælum ſublatis, eorum Numinum opem,quæ venerabantur ſuppliciter imploravêre. *Navis periclitabatur conteri.* Ion. 1.5. *Et timuerunt Nautæ, & clamaverunt* VIRI AD DEUM SUUM,*& miſerunt vaſa, quæ erant in navi, in mare.* At enim, cùm omnes precibus inſtarent, jactísque Pelago mercibus,induſtriæ ſcilicet ac laborum ſuorum fructu ſe ſpoliarent, unus inter omnes, quod, niſi ſacræ litteræ teſtarentur, incredibile dictu videretur; unus, inquam, Jonas, veri Numinis cultor ac Vates pulvillis caput fulcire, &, furentis Oceani neglectis furiis, indulgere quieti perſeverabat. *Et Jonas deſcendit ad interiora Navis*, ET DORMIEBAT *Sopore gravi.* Adeò, qui ſolus omnibus cæteris exemplum pietatis precandíque formam præbere debuerat, Is ſolus, dum cæteri omnes vota concipiunt, ſuper vectorum tegetes toto corpore procumbens intempeſti-

vo prorſus damnabilíque ſomno ſe permiſit: Ut Præfectus Navis, omiſſo gubernaculo, relictáque puppi, ſtertentem Prophetam excitare, moneréque debuerit, ne majoris periculi cauſa ſibi vectoribúsque omnibus exiſteret, tam manifeſto Superûm contemptu, ſomnolentiáque Cælo tam injurioſâ. *Et acceſſit ad eum Gubernator, & dixit ei:* TU SOPORE DEPRIMERIS? *Surge invoca Deum tuum.* Ne verò ſinat Deus, Reverendi Patres, Fratrésque Chariſſimi, ut hoc gens probri noſtrûm ulli poſſit objici, aut Navis illius fortunam, quæ ſtuporem hominis otio medias inter tempeſtates indulgentis, Deúmque à quo miſſus Orator fuerat, vel iraſcentem obliti, vehementer expaverat, hæc Domus repræſentet. Certè, ſi, dum calamitatibus ſuis moventur mortalium cæteri, nos exagitati licet, vexati, & Domuum noſtrarum ruinis ferè tumulati, ſupinâ tamen negligentiâ conſopiti, omni vel placandi precibus Numinis, vel abjiciendorum, quibus gravamur, one-

onerum curâ depositâ, nullâ in speciem ejus, à quo vapulamus, reverentiâ, novi quidam hujus seculi Jonæ videremur, qui virgarum à tot jam annis cruore nostro rubentium asperitatem emollire lachrymis nostris minimè studeamus.

119. Quod si dicas, id Jonæ Navis Carinæ indormientis spectaculum non à desiderio quietis, sed à mœstitiâ, quam magnitudo periculi pepererat, ortum habuisse, nihil equidem habeo quod ita differenti opponam: verùm ob hoc ipsum hanc illius desperationem eò magis detestor, quòd ad eam naufragii metus illum adegerit. Expavescere nimirum Jonas non imminentis supplicii gravitatem, sed admissam à se noxam debuerat, quâ maris procellas in suum caput ab ultimo usque fundo exciverat. Quam ob rem non ut undarum fremitum, turbines, omnémque convulsi maris faciem ab oculis auribúsque excluderet carinam fluctuantis Lembi eum subire oportuit; debuit potiùs in foris at-

que ipſa Navis frequentia prono in ſolum corpore, profuſis lachrymis, ardenti prece, gemitibus, ſuſpiriis, ventorum, marísque furias temperare, fugam deteſtari ſuam, Dei denique manibus fulmen extorquere, ac clementiam expoſcere: nunc verò avocatam à conſiderandâ delicti ſui gravitate mentem in ſolius contemplatione ſupplicii, quod timebat, meritóque ſuo ſibi paratum ſentiebat, infelix Propheta defigit. Nos quoque paſſim, & in quovis Domûs angulo egeſtatem, tantásque rei familiaris anguſtias deploramus. Utrum ſubinde remiſſum Animarum ſtudium, nec ſatis repreſſam nonnullam ambitionem, quod genus Monſtri pauci quidem, ſed ejus tamen Diſciplinæ Sectatores, quæ cum caducis honoribus graviſſimas apertáſque inimicitias profitetur, in Religioſæ Modeſtiæ ſcholam novo exemplo intulerunt, paribus omnes lachrymis proſequantur, haud ſatis ſcio. Id certè niſi faceremus, in eorum nos numero S. Auguſtinus reponeret, quos, cùm

cùm videret magis corruptarum vitium, quàm vitæ vitiis oppressæ mala sentire, vehementer increpuit. HÆC ENIM SOLA MALI DEPUTANT MALA, *quæ non faciunt malos. Magísque hi stomachantur, si villam malam habeant,* QUAM SI VITAM. Quod ut ne nobis quoque objiciatur, cavere nullâ ratione aliâ possumus, quàm si palàm fecerimus, longè magis nos dolere, quòd iis malis ansam præbuerimus, quàm mala ipsa, quibus affligimur, quæque res nostras in summum discrimen adduxerunt. Quamobrem necesse prorsus erit, ut eadem illa supplicia nostra nobis virtus, in medicamentum vertat, cósque efficiat, qui non mereamur puniri; útque interim præsentes difficultates magnis animis feramus: quô fiet, ut Deus hâc nostrâ erga voluntatem suam observantiâ placatus, ferientis Angeli manum exarmet, gemináque nobis tum corporis tot ictibus saucii, tum animi tantâ ægritudine oppressi vulnera veteri suâ Benignitate ac liberalitate foveat, obligétque.

Lib.3. c.1. de Civit. Dei. To.37.18.

 Quæ

120. Quæ mentis conſtantia nemini Chriſtiano, ne dum Religioſo Viro difficilis arduáque videri poteſt, cùm eam Philoſophi retinuerint Sacrorum noſtrorum, ac Chriſti Crucis ignari. Sapiens, inquit Ethnicorum Princeps, non minùs è victoriis reportatis, quàm ex acceptis cladibus gaudium capit: eandem vultûs animique tranquillitatem ſervat, ſeu cùm novas Imperio ſuo Provincias adjicit, ſeu cùm paternis quoque bonis exuitur. Ad eum planè modum, quo Phidias non ex Indico tantùm ebore, verùm etiam è ſilveſtri buxo admirandæ artis ſimulacra format: quorum omne videlicet pretium non à nobilitate materiæ, ſed à cœlaturæ ingenio proficiſcitur: ita viri verâ ſapientiâ eruditi non minùs inter compedes ac vincula ſervitutis, quàm in Imperio ac ſolio Heroës ſe ſe, & contra utramque fortunam invictos præſtant, ut quorum modeſtiam nec Magiſtratuum Faſces corrumpant, nec virtutem ſervitus frangat. *Ad utrosque caſus aptus eſt:* BONORUM RE-

Senec. Ep. 85. ad Lucil.

RECTOR EST, MALORUM VICTOR. *Tu illum premi putas malis?* UTITUR. *Non ex ebore tantùm Phidias sciebat facere simulachra. Sic Sapiens, quamcumque fortunam acceperit,* ALIQUID EX ILLA *memorabile efficiet.* Nisi itaque rebus adversis sic uti noverimus, ut majore animi alacritate, perfectionéque Christo serviamus, nemo non videt, Zenonis Discipulis palmam à nobis relinquendam esse. Nam si,cùm hæc Domus, bis centum aleret Vineæ Christi cultores, Deo laudes canebamus, nunc quoque, cùm vix triginta Collegii ejusdem sumptibus vivunt, pari animi voluptate, referre illi grates debemus. *Ad utrosque casus aptus est Sapiens, Bonorum Rector,* MALORUM VICTOR. Eundem nostræ virtutis tranquillitatísque tenorem in qualibet rerum varietate Orbis recognoscat oportet. *Tu illum premi putas malis?* UTITUR. Hæc eadem, quæ nos urget, egestas quæstuosa nobis ad gloriam est. Hæc Sodalium imminutio, & labores

To,29.237.

nobis geminatis oneribus geminet, præmiáque pro numero & additamento laborum ac munerum patientia nobis amplificet. Hæc, quam videmus, ſolitudo, dum nos hominum ſocietate privat, familiares Angelis faciat, Deóque arctiori neceſſitudine conjungat. *Tu illum premi malis putas? utitur.* Si, rebus adeo afflictis, exultabimus; ſi, dum corpus alget, animus inardeſcet; ſi affici nos à Deo Beneficiis credemus, dum ſuas in nos iras exonerat, & flagra vibrat: vel ipſa Viperarum toxica in Alexipharmacum, & ex oppreſſione, quam Deo vel volente vel diſſimulante patimur, ad ſanctitatem Cælúmque ipſum ſcalas nobis elaborabimus. Nemo verò noſtrûm ſit, qui anguſtis in rebus exultare, & triumphare in probris ſe poſſe deſperet: cùm eorum Virorum, quos Eccleſia inter Superos colit, multò maxima pars ejusmodi calamitates in lætitiæ laudísque argumentum ſibi verterint. Sanè ſi paupertas intolerandum mali genus eſſet, non ea vel Aſſiſinati, vel duobus noſtris

noſtris Franciſcis tantopere placuiſſet, ut ejus deſiderium non ferrent, ſummíſque lætitiis incenderent, cùm Centonibus ſe tegerent, & mucidi panis reliquiis veſcerentur. Si rideri, ſi contemni tam grave ac moleſtum eſſet, ut nullam quietis gaudiíque partem animo relinquerent, haud tantâ ejus rei ambitione Ignatii duo laborâſſent: ut noſter quidem percurrere Romam optaret ridiculo ac probroſo habitu paſſim vulgi ludibriis & puerorum procacitati os ad contumeliam, ſannas ac ſputa eâ inſaniæ ſpecie præbiturus: Antiochenus verò Ignatius Theatri cachinnos, gladiatorum petulantiam, omnéſque eas ærumnas, quæ totum ejus è Syriâ iter Tyberina usque ad oſtia terrâ maríque comitatæ ſunt, cùm hinc catenis, hinc probris & contumeliis à militum & nautarum fæce oneraretur, quòd ſe Numinis in Crucem acti Sacerdotem profiteri non erubeſceret, renovari, & in ſe unum converti percuperet. Si tam ingrata, quàm ea forſan alicui noſtrûm vide-

videri poteſt, ſolitudo foret; nec Joannes Calybita in paternæ domûs angulo ignotus latere ſuſtinuiſſet, nec Alexius ſponſæ, Matríſque ejulatus tuliſſet, cùm in Patris ſui Palatio ſub ſcalam ſe abdidiſſet: nec Stanislaus noſter illuſtriſſimo genere ortus numeroſæ juventutis ſeminario famularem operam navare unquam in animum ſuum induxiſſet: nec ſtirpis ſuæ claritatem tam ſtudioſè ubique texiſſet Aloyſius: nec deniq; omnes iſti, obſcuram neglectámque vitam vivere, ignotíque Mundo, ſoli cum Deo, ac ſecum in Cellarum ſuarum tenebris habitare maluiſſent. Quam ob rem ſi tot ac talibus Viris, quos tum Eccleſiæ, tum ſacrorum Ordinum Annales frequentes nobis exhibent, rebus adverſis conflictari, egeſtate premi, injuriis ac contumeliis impeti, glorioſum jucundúmque viſum eſt, eadem nobis gravia indignáque perpeſſu videri non poſſunt, niſi ab Heroibus illis, qui tanto in pretio, & amore fructus Crucis omnes habuerunt, Chriſtíque ſententiæ, quâ beatos

tos

tos judicavit, qui lugerent; opulentos, qui egerent, immortali ſæculorum memoriâ, ſummóque gloriæ faſtigio dignos, qui contumeliis hoſtiúmque ſuorum violentiâ oppreſſi gemerent, ſubſcribere non dubitârunt, nos prorſus diverſos, nimiúmque molles fateri voluerimus. Ita Seneca timorem eorum redarguit, qui Tigrium Leonúmque occurſum expaveſcerent: non enim has belluas formidabiles, ſed formidoloſos ignavóſque illos eſſe, quos earum rugitus exanimaret. Numquid enim non cum Leopardis ludere Circulatores, in eorúmque fauces totam cum brachio manum abſcondere? Urſarum fronti baſia cuſtodes ſuos imprimere, nec vultum mutare: quid? an non Elephantis inſultare puerulos, rotare Proboſcides, nec vaſtâ eorum mole terreri? Argumento igitur eſſe noſtri timoris vitio contingere, ut ad ignotæ belluæ aſpectum paveamus. Sed Philoſophus audiatur, qui à ferarum caveis, ad ergaſtula pœdore tenebríſque obſita; ad vale-

letu-

letudinaria cruciatuum ac gemituum ſedem; ad cruces ac rogos, publicæ infamiæ Theatra; ad omnia denique humanarum miſeriarum genera gradum facit: quarum ſicuti vel ſola ſpecies ignavis colorem eripit, ſic omnis earum vis, ac rabies fortibus viris cedit, & ad eorum pedes exarmata, ſuperatáque procumbit. *Leonibus Magiſter manum inſertat;* OSCULATUR TIGRIM SUUS CUSTOS; *Elephantem minimus Æthiops jubet ſubſidere in genua, & ambulare per funem. Sic ſapiens eſt artifex* DOMANDI MALA. *Dolor, egeſtas, ignominia, carcer, exilium, & cætera horrenda,* CUM AD HUNC PERVENERE, *manſueta ſunt.*

Epiſt. 85. ad Lucil. To. 29. 237.

121. Similem à nobis Conſtantiam, niſi fallor, Deus requirit. At enim minùs à nobis petit, quàm à primis Eccleſiæ ſuæ Filiis, & primis Societatis noſtræ Patribus poſtulavit, cùm alteri fortunis, libertate, Dignitatibus, honoribus, denique vitâ exuerentur; alteri verò domos habitarent malè ſartas tectáſque, itine-

itinera ſuſciperent ignota, & plena periculis, ſermone, ſtylo paſſim configerentur; Animas veſtigarent inter improborum hominum calumnias, Pſeudopoliticorum inſidias, Hæreticorum ſtrictos Acinaces, Schiſmaticorum horrendos furores, & præfixas ferro ſudes; inter flammas, ac foſſas, in quas à Pagodum cultoribus, & adoratoribus Marmorum conjiciebantur: Vult autem in præſentiâ, ut promptiùs à celebribus Urbibus, & nobilibus Collegiis avelli, faciliúsque ad quælibet, qualiacumque demum ea ſint, Domicilia transferri patiamur. Quis non animadvertit ita nobiſcum, ut Nutrices cum infantulis, quos à lacte removere volunt, Deum agere? uti enim illæ ubera ingratiſſimo abſynthio inficiunt, ut ſugere puero jam non libeat, cibúmque ſubjicere dentibus aſſueſcat; ita Chriſtus amariſſimis in hanc Domum imbribus pluit, ac Romæ nos tot adverſis caſibus exagitat, ut neceſſitatem imponat in qualibet Provincia degendi, laboréſque noſtros

ſtros ac ſudores cujuſcumque oppidi bono impendendi, in quo excurrere induſtria noſtra, rudes inſtitui reducíque ad frugem errantes queant, ac veterem illam noſtram alacritatem poſtliminio reſumendi. Jam verò cui hâc Urbe digredi, & in alias per Europam Civitates ſe conferre, cùm ita Præſidum imperia, noſtráque virtus poſtulaverit, grave videri poſſit, cùm tot aliis avaritia perſuadeat, ut ex Italia, Hiſpania, Britannia, Batavia ad ignotos, alióſque à noſtro Terrarum Orbes navim ſolvant, ſeſéque Oceani atrociſſimis tempeſtatibus, intolerandis ſub Æquatore caloribus; cruentis cum Barbara Gente præliis, periculis ac moleſtiis graviſſimis, è cibi, potûs, aëris, totiúſque victûs mutatione provenientibus objicere non recuſent? Certè Hieronymus, ſi quam in nobis ad expeditiones tam faciles, quàm ſunt noſtræ, repugnantiam deprehenderet, exclamaret: SI NEGOTIATORES *ſæculi tanta ſuſtinent, ut ad incertas perituráſque divitias perveniant*: QUID CHRI-

Ep. 4. ad Ruſtic. To. 17. 21.

CHRISTI NEGOTIATORI FACIENDUM EST, *qui venditis omnibus quærit pretiosissimam Margaritam?* Atque hæc itinera vicissitudinésque, Europâ in Americam, Angliæ deliciis in Virginiam arenosam, sterilémque Japoniam mutatis, sub oculis nostris singulis ferè mensibus fiunt, festum celeusma cantantibus nautis, ac plaudentibus in littore Navium Dominis. Quæ cùm comperta habeant Piscatores Animarum, nostræque Societatis Filii, fierine dicam posse, ut, si quando abeundum Româ, aliúdque Collegium habitandum iis fuerit, ingemiscant, doleántque? At enim itinera nostra paucos intra dies peraguntur; mariáque, quæ transmittimus, pacata sunt atque nostratia. Num enim navigantes nos marina monstra exterrent, & in littus expositos occupant Elephanti, & Gryphes oppugnant? Quibus in terris aqua nobis bibenda, & Oryzâ panis triticei loco vescendum est? an conclavibus diversis, an aliis moribus assuescendum? an ea denique omnia in-

commoda ſubeunda, quæ Hieronymi tempeſtate Mercatores ſubierunt, ac ſubeunt hodiéque tum nautica, tum claſſiaria tot exercituum turba, Inſtitorúmque per utrasque Orientis Occidentísque Indias profana Societas? Verùm ut exemplis tam humilibus abſtineamus, & Evangelicæ Indifferentiæ cauſam ſanctiori paradigmate, generoſo videlicet Hebrææ Gentis Conditorum exilio, aſſeramus ac conſecremus, quàm fortiter, quàm promptè patriam primùm, ac ſubinde Palæſtinam Abrahamus reliquit, ut eò excurreret, quò divino imperio vocabatur! Equidem tanti viri animum ſubibant longæ peregrinationis difficultates atque incommoda; populorum, quos adibat, barbaries ac ſuperſtitio; Conjugis inter Paganos petulantésque Principes malè ſecurus pudor; vitæ tum ſuæ, tum ſuorum periculum, quod hinc à latronibus per vaſta nemora iter facienti, hinc, in ipſâ frequentiâ urbium commoranti à Tyrannis imminebat, cùm pronum eſſet ſuſpi-

ſuſpicari, illos avaritiæ, hos voluptatis explendæ cupiditate in ſe armandos eſſe. Ivit tamen, ac tot, tam gravibus, tam manifeſtis fortunarum, famæ, vitæ demum periculis non dubitavit occurrere, dum Deo, à quo Cælum mutare, ac ſolum vertere juſſus fuerat, obſequeretur. *Timebat uxoris pudori; timebat propriæ ſaluti; ſuſpectas habebat Ægyptiorum libidines;* ET TAMEN PRÆVALUIT *apud eum ratio exequendæ devotionis.*

S. Ambroſ. Lib. 1. Offic. c. 24. To. 54. 53.

122. Intercedet hic, opinor, non noſtra quidem, ſed fortè cujusdam è noſtris ignavia, & allatorum exemplorum vim eludere conabitur: nempe, inquiet, Mercatoribus maris tempeſtates ſerenat affulgens maximarum opum ſpes, & Abrahamo ingentia promiſſa tum Regnorum, quæ ipſius pietati debebantur, tum longævæ Regiæque poſteritatis, ſenſum malorum, quæ tolerabat, mitigaverant. At ego profiteor nunquam ejus, qui ut præſentes Collegii hujus anguſtias ſublevet, promptam voluntatem ad migrandum, deſeren-

dámque hanc Urbem tot votorum metam mihi obtulerit, memoriam apud me gratiámque perituram. Egregiorum Exulum ſyllabum in intimo penetrali, & ſecretiſſimis ſcriniis aſſervabo, ſaxóque, ubi primùm, diſſipatis hiſce nubibus, optata lux oboriri cœperit, ut cognoſcant omnes, quo in pretio germani Obedientiæ Filii, & veræ primorum noſtrorum Patrum effigies haberi debeant. Illa mihi vota erunt, dum vivo, ut modum inveniam, quo eorum, qui Heroicas Abrahami migrationes, commutationésque locorum, & primorum Eccleſiæ conditorum Apoſtolica itinera, pari animi magnitudine, quæ nullis includi locis queat, Romæ velut poſtliminio repræſentabunt, remunerari virtutem mihi liceat. Sed quid ego iſta commemoro? quaſi verò tam viles vobis animos eſſe putem, ut hominis unius tum eâ ætatis inclinatione, tum adeò tenui ad referendam gratiam facultate præditi promiſſis moveri poſſe quempiam exiſtimem, ut in me potiùs,

qui

qui & mutari facilè, & parum oppidò possum, quàm in Deum, qui omnia præterquam mutare mentem potest, obtutu defixo, ac spe collocatâ, tam nobile de vobis ipsis sacrificium faciatis. Neu Superi siverint, ut tam humiliter de vestrûm ullo sentiam, ac ea, quæ spoponderam confirmem. Quare Commentarium illum, in quem referri nomina vestra volueram, abjicio, atque discerpo; quin è memoriâ etiam eos, qui promptè imperata fecerint, me deleturum affirmo: Velim vos non minùs à me, quàm ab Urbe oculos animósque avertere: etiam atque etiam obtestor, ut nullum apud vos pollicitatio mea pondus obtineat, id unum meminisse vos jubeo, esse vos Ignatii Filios, illíque præstare obedientiam debere, qui hanc Instituto nostro basim ac veluti fundamentum supposuit, ut ejus, in quâ nati, educatíque sumus, Provinciæ oblivisceremur, cùm primæ Constitutionum paginæ lachrymis potiùs, quàm atramento inscriberet: *Nostræ vocationis esse diversa*

loca peragrare, & vitam agere in quavis Mundi plaga. Quod cùm exequantur vilia cupiditatis mancipia, nullâ quidem ejusmodi lege, ſed ſolâ lucelli alicujus paucarúmque mercium ſpe adducti, non præſtabit itidem, qui tam ſanctum vitæ genus quàm hoc eſt conſectatur, certúsque inſuper eſt, eâ ſe re voluntati Divinæ, magníſque Fundatoris ſui Conſiliis obſecuturum? Quid facturum Abrahamum putamus, ſi, priusquam ipſi ſe Deus conſpiciendum præberet, Edictúmque proponeret ab humanis rationibus tam diverſum: *Exi de terra tua, & de cognatione tua:* eò loci adoleviſſet, quò Voces Evangelicæ, quales ſunt, parentes odiſſe, fugere patriam, exilium malle, propria commoda negligere, paſſim perſonant: ſi præterea, uti nos, cùm Deo in Religioſæ vitæ Tyrocinio renaſceremur, magnanimos illos ſpiritus, quibus omne ſolum patria eſt, & nullo diſcrimine quælibet Orbis Regio; ipſe quoque cum lacte imbibiſſet? Egóne autem vobis, ſi promptè

hinc

hinc abiretis, præmia me paterno affectu persoluturum spoponderim? Promitto enimverò fore, ut hinc digressos excipiant egentiora Collegia, humiliores Exedræ, Theatrum angustius, victus tenuior, Præsides minùs humani; nihilo tamen minùs, videte, quid sperem; videor mihi videre unumquemque vestrûm aut equi frena, aut scipionem manu tenentem, submisso in terram vultu, prono ad obsequium animo, ac profusis lachrymis missionem postulare ad ea Collegia, quæ tum intra, tum extra Italiam, aut minùs copiosa, aut vulgò magis invisa sunt. Ita certè Apostolus egit, cùm Mileto discedentem, quâ in Urbe à Neophytis liberalissimè habitus fuerat, observantiâ verò tantâ, studióque cultus, ut ex antris, in quæ se abdiderant, certatim prosilientes ad littus ac navim prosequerentur, eúmque summâ votorum contentione, gemitibus, lachrymis, quibus carissimi Magistri sui collum veluti largissimo imbre inundabant à destinato itinere retrahere conarentur.

Hieroſolymas, inquiebat Paulus, proficiſcor, non ut celeberrimi ejus Emporii magnitudine perfruar; non ut Theologiæ meæ famam proferam, aut iſthic vivam commodiùs, verùm eam ob cauſam duntaxat, quoniam eò me Deus vocat. Neque verò me catenæ, virgæ, calumniæ, ſæváque judicia morantur, quæ mihi à Phariſæorum furiis, profaniſque Synagogæ Conciliabulis imminere Spiritus Sanctus denunciat. *Et nunc ecce alligatus ego ſpiritu vado in Jeruſalem, quæ in eâ ventura ſint mihi, ignorans. Niſi quòd Spiritus Sanctus per omnes Civitates mihi proteſtatur, dicens*: QUONIAM VINCULA, ET TRIBULATIONES HIEROSOLYMIS ME MANENT.

Actor. 20. 18.

Itaque Paulus ab Aſiæ minoris deliciis ad majoris Cuſtodias, ad quos eum Sacerdotes ac Scribæ jam damnaverant, ſe confert, ideo ſolùm, quia Deo ita viſum erat. Nempe, qui mentis oculos in Divinæ voluntatis nutum intentos habet, is ejus loci, ad quem vocatur, nec penuriam & obſcuritatem horret, nec celebri-

britate aut copiâ movetur: nec aliud ſibi propoſitum habet, qui Chriſti veſtigiis inſiſtit, quàm ut ejus imperiis obtemperet. Ita Cæleſtes Cherubini ſacris quatuor illis animalibus Divini Currûs vectoribus adumbrati. UBI ERAT IMPETUS SPIRITUS ILLUC *gradiebantur: nec revertebantur cùm ambularent.* Ezech. 1. Altiſſimos montes conſcendebant nihil omninò ſolicita, utrum in cacumine turbidum ſolum, irriguos fontes, ac pabula, quibus ſe ſe recrearent, repertura eſſent. Demittebant ſe ſe in profunda vallium, non exploratâ priùs loci naturâ; utrum illic hordeum ſereretur, aut fænum meteretur; cùm ſatis haberent obſequi Deo, ac cœpti itineris laborioſum curſum abſolvere. *Ubi erat impetus Spiritûs*, non ubi pabuli fontiúmque copia eſſet, ILLUC *gradiebantur.* Hoc enimverò exemplum ſequantur oportet, qui divinis imperiis dicto Sacramento ſe devoverunt: non commoda, incommodáve reſpiciant, ſed illius ore loquentem exaudiant. Procul timores,

procul ſpes omnes habeant, & fronte animóque velatis, eò unusquisque procurrat, quò invitatur à Chriſto. *Ubi erat impetus Spiritûs, illuc gradiebantur.*

123. Neque verò cauſetur quispiam eo nomine abs ſe Collegium hoc amari, quòd in eo Religioſæ Diſciplinæ ſtudium vigeat, & perfectæ virtutis exempla frequentia ſint; nempe tutiorem ad Perfectionem tendentibus ductum præſtare rerum ſpiritualium Præfectos; Litteras majore cum fructu tradi, accipíque; ipſos denique præclaræ hujus Domûs parietes ſpirare pietatem, & ad omnem vitæ ſanctitatem animos virésque inſpirare: abeſſe verò iſtorum pleraque, minora certè in minoribus Collegiis noſtris eſſe. Quibus id ego reſpondeo, ſacra illa quatuor Animalia, non priùs à Rectore ſuo, à quo ſtimulabantur, petiiſſe, an ad Paganorum, vel Orthodoxorum terras agerentur: nec ſe in Armeniam & Ægyptum, ne ſcilicet populorum illorum ſuperſtitionibus, & Inanium Deorum cultui miſcerentur, itura ne-

negâsse; nec, ut in Terram Sanctam ducerentur, postulâsse, alacri nimirum obsequio illuc potiùs Triumphalem Divinæ Gloriæ Currum invectura, ubi populorum studiis, & incenso passim thure coleretur, nec Barbarorum hostium secures formidaret. Enimverò nemo, qui voluntatis Divinæ studiosum se profitetur, tam scrupulosè paciscitur. Quare qui explorat, num eo in loco, cui destinatus est, floreat pietas, virtus vigeat; non is est imitator Pauli, Angelorum Socius, & divinarum vocum sedulus Auditor. UBI *erat impetus Spiritûs*, ILLUC *gradiebantur*, nec aliud requirebant. Adde contingere non raro solere, ut cùm ire, quo Cælum nos vocabat, neglеximus, medias inter flammas algeamus, ipsíque licenter tot inter retinentissimos Disciplinæ vivamus: cùm interim, qui Deo se credidit, vel è nivibus ignes, & è fumo lucem eliciat, animúmque non modò à pice intactum servet, verùm etiam cælesti thymiamate vaporatum experiatur. Huc spectat, quod S. Ze-

S. Zeno animadvertit Jonam in ipſis Balenæ viſceribus, ubi præſentis naufragii horror, carceris fœdiſſimi ſqualor, Belluæ ſe immaniter jactantis inconditi motus, incumbentis Pelagi moles tranquillitatem homini, ac conſtantiam eripere debuiſſe videri poſſent, non modò non turbatum fuiſſe, ſed contemplandæ, celebrandǽque Dei potentiæ, Pſalmis modulandis, edendis vaticiniis altiſſimâ quiete vacaviſſe: Eundem verò, cùm in puppis thoro reſideret, eſſétque tum Cæli liber proſpectus, tum ſacras litteras commentandi opportunitas maxima, nec mente concepiſſe, nec voce prompſiſſe, quod aliquem pietatis ſenſum referret. *Vigilat* IN CETO, *qui ſtertebat* IN NAVI. Pari modo cum Sodalibus Daniel regias inter dapes Temperantiam, & coram aureo Coloſſo, cultum Dei, quem non videbat retinuit. An eam verò vitæ ſanctitatem, quam Chaldæorum oculis, inter blandientis Aulæ illecebras, & accenſæ fornacis terrores repræſentârant

Ser. in Evang. Luc. To. 13. 162.

Hie-

Hierosolymis relicti secuti fuissent, haud facile divinârim. Haud itaque locus ab omni labe puros præstare nos potest, sed hæc Obedientiæ vis est, ut lilia sentibus, & spinis rosas inserat. Cujus rei haud ignarus Abrahamus, ita secum disputabat. Quòd si ego, inquiebat, in Ægyptum me contulero, certè Pharaonem inveniam, qui me oppugnet; sed Deum quoque, qui me defendat, habebo. At verò si pristinam stationem obtinere voluero, equidem depræliandum mihi cum impii Tyranni libidine non erit; at verò Deus, cujus imperio repugno, præsidio suo me non teget. Eamus sanè, quo Deus vocat: hoc enim propitio vel apud immanem barbariem tutissimum Asylum, rerúmque omnium affluentiam vel deserto in littore inveniam: at contrà ubicumque illius ingratiis commorabor, Aræ ipsæ Templorúmque Adyta in Sacrilegiorum se mihi officinas possunt convertere, & dum barbaræ libidinis scopulos laborat effugere conjugii fides, in monstrosæ impuri-

puritatis barathrum agi præceps poteſt. *Suſpectas habebat Ægyptiorum libidines, & tamen prævaluit apud eum ratio exequendæ devotionis. Conſideravit enim,* QUOD DEI FAVORE UBIQUE TUTUS ESSE POSSET; *offenſo autem Domino, etiam domi non poſſet illæſus manere. Vicit igitur appetitum* RATIO, *& obedientiam ſibi præſtitit.* Quid? An non ſub ipſum ſacrificii tempus Deicidium meditatus eſt, & intra Cænaculi ambitum laqueum ſibi, & Chriſto Crucem Judas paravit? Adeò verum eſt in nullâ vel Domicilii, vel contubernalium quantâcumque ſanctitate ſatis eſſe præſidii, ſi aliam quieti ſuæ, votiſque, præter unum obediendi ſtudium, voluntas noſtra metam præfixerit, animúſque cæleſtes voces non eâ, quâ par eſt, reverentiâ exceperit. Quæ cum ita ſint, beatæ illi Indifferentiæ, quam vitæ noſtræ ratio peculiarem ſibi propriámque fecit, Majores noſtri tam ſanctiſſimè coluerunt, Americæ, Philippinarum, Chinæ, Indiarum ſtrenuiſſimi Operarii ſummo

S. Ambroſ. de Offic. Lib. 1. c. 24. To. 54. 53.

mo ſtudio conſectantur, noſtérque adeò Sanctus Parens in ſemetipſo mirabiliter expreſſit, cùm Europam Aſiámque percurreret, ſempérque ex aliâ in aliam Provinciam migraret, donec Societatis universæ Præfectura in hac Urbe ad imperii clavum veluti Cruci eum affixit, nos penitus dedicare atque conſecrare oportet. Cur autem ego vobis Ignatium propono? Chriſtus Eccleſiæ Conditor, Chriſtus, inquam, exemplo ſuo ſanxit, ne quis deinceps Domicilio ulli adhæreret, aut vici ullius ignobilitatem aſpernaretur. Vix conceptus Nazaretho Bethlemum Matris in utero clauſus excurrit. Idem vix natus in Ægyptum exulatum ivit cum Virgine. Idem non dum Infantiam egreſſus ex Ægypto rediit in Galilæam. Idem denique adultâ, confirmatáque ætate non priùs peregrinari, ſedémque mutare deſtitit, quàm vitam in Cruce poneret. Id admiratur Chryſoſtomus, exclamátque. *Cerne* AB IPSIS INCUNABULIS *Chriſti iſtum effectum. Nam Virgo, quæ domum ſuam fue-*

Hom. 8. in Matth. To. 2, 163.

fuerat egressa, tam ærumnosum iter confi- cere jubetur propter Partum illum mirabi- lem. Ad hanc, nisi fallor, Indifferen- tiam respexerunt generosi illi Christia- næ Religionis Propugnatores, qui liqui- dissimam animo voluptatem haurie- bant, cùm patriâ suâ pulsi barbaras inter gentes agitarent. QUOCUMQUE *mis- si essent, locus deliciarum putabatur.* At- que his Christi famulis in planitiem Apennini, vastæ solitudines in læta viri- daria, Scythia & Hircania in Bajas & felicem Campaniam migrâsse videban- tur. Neque tamen illi perinde ac nos ex unâ in aliam Urbem, è Collegio in- structiore ad aliud, in quo iisdem mori- bus vivitur, ubi nos omnia Religiosæ Charitatis officia, & suavissimorum So- dalium complexus expectant, sed incer- tas & inhospitas sedes vestigabant, pas- sim exclusi non ab urbibus modò, sed & pagis, fame pariter, tempestatúmque in- juriis vexati. At verò quia Christi pere- grinantis itinera volvebant animo, *Cir- cumierunt in melotis, in pellibus caprinis, egen-*

*S. Ambros. Ep. 28. ad *Vercell. To. 40. 111.*

Hebr. 11. 37.

egentes, anguſtiati, afflicti. Enimverò vitam ageremus prorſus umbratilem, oppidóque mollem, diverſiſſimam verò ab ea, quam veteres illi Chriſtianæ Reipublicæ Heroës, primi Societatis noſtræ Patres, Chriſtus utrorumque Dux, & Chriſtianorum omnium Imperator egerunt, ſi tot inter Peregrinatores ſole gelúque peruſtos, inediâ maceratos, à feris belluis laniatos iter ullum ſuſcipere, ſedémque mutare gravaremur. Quod quidem ut de Viris ejus virtutis atque indolis ſuſpicer, nunquam committam: illud potiùs exiſtimo, neminem veſtrûm fore, qui, cùm videat, numerum Deo in animo eſſe Alumnorum Collegii hujus contrahere, non ſupplices libellos ſuomet, ſi opus ſit, ſanguine ſubſcriptos ſit oblaturus, magnóque animo flagitet ad ea Domicilia, quæ Divina nobis Providentia præparavit, primo quoque tempore dimitti, ut vocanti Deo pleniùs morem gerat; cujus imperia ſatis auguſtum amanti theatrum ubique terrarum pandant, ampliſſimámque merce-

dem cujuscumque, quam de ſe ipſo, ſuáque propenſione reportârit, victoriæ, cumulatè perſolvant. Quisquis igitur Jesu & Ignatii proles eſt, palàm profiteatur, nolle ſibi fixum domicilium eſſe, cùm Christo non fuerit: velle urbes, velle ſedes mutare, cùm generis noſtri Reparator & tecto caruerit, & ex una in aliam Regionem idemtidem transmigrârit. Hanc omium mentem, hanc vocem futuram cogitatione præcipio, imò verò eſſe intelligo.

EXHORTATIO XXII.

In Pervigilio Epiphaniæ.

ET PROCIDENTES adoraverunt eum. *Matth. 2.*

SAncti Reges Munera, quæ de Urnis suis deprompserunt, demisso corporum obsequio comitati sunt. Hanc sensuum exteriorum ad pietatem conformationem ab iis, qui virtutem interiorem colere se profitentur, semper omnes requisiverunt. Ea verò nobis Ignatii Filiis plùs, quàm credi possit, necessaria est: cùm enim à Clero seculari nos vestis haud distinguat, restat scilicet, ut à Religiosæ gravitatis, Angelicæque Modestiæ luce cognoscamur. Eâ verò nemo nostrùm

ſine gravi injuria Muneris Apoſtolici & Societatis dehoneſtamento carere poteſt: quippe qui alteri fidem, alteri famam detraheret.

124. IGitur, ut tres Orientis Principes interDei Hominis adoratores cěſerentur, ſatis haud fuit, ut editi recens Infantis cunas mente venerarentur, niſi ſubmiſſo in terrâ vultu, pronóq; corpore ad ejus pedes, qui ſe in tantam humilitatem noſtrâ cauſâ demiſerat, ſe ſe abjicerent? Sic eſt: ut ais; quamvis enim ſubmiſſione capitis multò potentior apud Deum ſit animi obſervantia: Magi tamen ſic, ut videtur, à ſtellâ edocti flexis primùm poplitibus, ac ſubinde mentis obſequio involutum Faſciis Numen devenerati ſunt. PROCIDENTES *adoraverunt eum.* Exclamat hoc loco Auguſtinus, & dictis meis fidem adſtruit. ADORANT CORPORIBUS, *honorant muneribus; venerantur officiis; oculis hominem vident,& DEUM* OBSEQUIIS CONFITENTUR. Videtis,

Serm.29. de Temp. To.41.104.

detis, vix ullam à S.Doctore Actuum internorum, quos in Peregrinantium Regum animis Pietas Religiosa produxerat, mentionem fieri, omnémque ejus orationem in exteriori cultu describendo versari, ponique sub oculos deposita diademata, prona in solum ora, projectáque humi corpora, eâ Religionis specie Dei absconditi latentem Potentiam venerantium. *Adorant* CORPORIBUS, *honorant muneribus, venerantur officiis.* Quòd si ergo incumbens Præsepio Messias ab Eois Regibus præter internam Religionem, exteriorem quoque observantiam requisivit, atque alteri alteram conjungi voluit; quis affirmare ausit, illum modò cum Patre imperantem non item à Servis suis postulare, ut frontis Modestiâ pietatem animi comitentur, aut nihil admodum ipsius interesse, ut is Charitatis ardor, quo illorum viscera flagrant, in corporis habitu faciéque refulgeat. Haud sanè ita se res habet: id potiùs censeo, tametsi illis Arabiæ Principibus nulla

necessitas incubuisset, Angelorum Regem eâ, quâ fecerunt, modestiæ submissionisque externâ specie, ac Religione colendi, cultum tamen ejusmodi nobis oppidò necessarium esse, qui, cùm ad promovendam tum nostram, tum proximorum sanctitatem à Deo vocati simus, nisi vitæ integerrimæ, ac insignis pietatis imaginem diligenti sensuum omnium custodiâ populis exhibeamus; tantum abest, ut nos, aliósque perficiamus, ut vehementer etiam tum nobismetipsis obsimus, tum animas industriæ nostræ commissas objectis passim offendiculis in præceps trahamus. Quamobrem idem de nobis, quod de Magis dicatur: *Procidentes adoraverunt eum.* Atque hæc Pietas, nisi os, genas, manus, oculos nostros composuerit, omniáque corporis nostri membra in Angelicæ Innocentiæ speciem transformârit, operam oleúmque in convertendis ad Christiana Sacra populis perdemus; ídque primùm consectabitur Oratio mea: & subinde manifesto nos ipsos peri-

periculo exponimus, fidem Deo datam exuendi: atque hoc deinceps exequetur. *Procidentes adoraverunt eum.*

125. Omnes omnium terrarum Gentes studiis nostris Christus attribuit, cùm Apostolos exhortatus, nos quoque eorum Successores iis verbis allocutus est. *Euntes in Mundum universum, prædicate Evangelium omni creaturæ.* His verò, ut Evangelii Ministros nos agnoscant, nec Ecclesia, nec Cælum ipsum facere fidem potest, si privatâ interiorique innocentiâ contenti libertate immodicâ, sensuúmque licentiâ eorum, qui nos intuentur, & auscultant, aures oculósque offendamus. Solent quippe homines ex oris habitu de interna constitutione animi conjecturam facere: & quemadmodum neminem, quem pallido vultu, exangui labio, marcentibus oculis ac tremulis manibus viderit, nostrûm ullus robustum sanúmque dixerit; ita quisquis nobiscum versabitur, cujus incompositam faciem inspexerit, continuò ejus non magis compositas

Marc. 16. 15.

affectiones ac motus, prostratámque penitus animi valetudinem conjectabit. Nam cui vigor in præcordiis, vividúsque in venis sanguis est, is vernam quandam amœnitatem ore ac membris omnibus præfert. *Sanitatis autem flos est pulchritudo*, inquit Clemens Alexandrinus: subditque, *Sanitas autem* INTUS OPERATUR, EXTERIUS AUTEM EFFLORESCENS *bonum colorem manifestè ostendit*. Profitebatur eam ob rem Clericis suis S. Ambrosius, tales eorum animos Angelicis licet mentibus impervios sibi visum iri, quales foris eorum vultus apparuissent: ideóque uti Metropoleos suæ Præstitem veluti Genium venerabatur, quem imperare linguæ, moderari oculis videbat, ita velut emortuæ Pietatis exanima cadavera eos abominabatur, quos ab Aris, quibus ministrabant, aliò curiosè oculos avocare, & distrahere mentem notabat. Tales, inquiebat præclarus Antistes, Filii mei, mihi vos repræsento, quales video, IMAGO *quadam animi* LOQUITUR IN

Lib. 3. Pædag. c. 11. To. II. 110.

Lib. 6. Hexam. c. 19.

IN VULTU. In eam opinionem eloquentiſſimum Theologum multorum annorum uſus & diuturna conſuetudo Satyri fratris adduxerat. Beatus hic adoleſcens pudorem illum, quo primam ejus ætatem Cælum ornaverat, nunquam à vultu ſuo removit: ad extremum usque ſpiritum moderationem in verbis, in inceſſu gravitatem, in veſte, ſenſibus, motibúsque omnibus circumſpectionem, ſanctitatem, & Apoſtolicam quandam dignitatem retinuit; & intaminatam Innocentiæ ſtolam, ut à Baptiſmo retulerat, ſepulchro intulit: eáque animi integritas omnia ejus dicta factáque illuſtrabat. *Quâdam virginali verecundiâ ſuffuſus ora, rarus elevare oculos, referre ſermonem: quod mentis pudore faciebat, cum quo caſtimonia quoque corporis congruebat.* *Etenim* (hic nimirum puriſſimi ſanguinis, & Angelicæ purpuræ, quâ facies illius pingebatur, fons erat) *intemerata ſacri Baptiſmatis dona ſervavit*, MUNDUS CORPORE, PURIOR CORDE, *non minùs* ADULTE-

To. 10.119.

Orat. de Obit. Fratr. To. 10.129.

RINI SERMONIS OPPROBRIUM; *quàm corporis* PERHORRESCENS. Animadverti autem velim extremam hujus Elogii ſententiam: omnem videlicet ſenſuum intemperantiam Satyrus velut Orci obſcœnam illuviem deteſtabatur: commovebatur animo, cùm, ad aures ſuas ambiguè jactæ, ſcenicíſque Allegoriis involutæ voces allaberentur. Videres eum totis artubus contremiſcere, ſi quando ipſo præſente vox quæpiam alicui excideret, quæ nec ad componendos mores, nec erudiendum ingenium valeret. *Non minùs adulterini ſermonis* OPPROBRIVM, *quàm corporis perhorreſcens.* Quisquis procaciùs argutaretur, is Circes antra & Sardanapali Luſtra pandere Sacerdoti caſtiſſimo videbatur. At ego quidem Ambroſii ſententiam uti veneror, ita meo quoque calculo comprobarem, niſi Modeſtiam ille florem fructúmque Innocentiæ diceret, ego verò radicem ejus potiùs, quàm ſurculum; matrem potiùs eſſe quàm prolem exiſtimarem. Fac

enim

enim dubitare me non poſſe verecundiam & Gravitatem Regnum apud Filios noſtræ Societatis obtinere, ſimul illos de Virtutis conſtantiâ perfectionéque dubitare non ſinam.

126. Facit, ut ita ſentiam, divinum illud abſolutiſſimæ ſanctitatis Paradigma, quod Spiritus Sanctus in Sacris Canticis exhibuit. Hortum illic deſcribit eâ copiâ aromatum, ubertate frugum, rerúmque omnium, quæ non vitæ modò neceſſitatibus, verùm etiam oblectationi ſufficiunt, affluentiâ inſignem, ut ipſa meſſis miraculo ſit, & alter veluti Paradiſus. EMISSIONES *tuæ* PARADISVS *malorum punicorum, cum pomorum fructibus. Cypri cum Nardo, Nardus & Crocus, fiſtula & Cinnamomum cum univerſis lignis Libani, Myrrha & Aloë cum omnibus primis unguentis.* Jam verò quot hujus fecundi pomarii Colonos, villicos, Procuratores fuiſſe oportet? nempe tam Cæli rores, quàm Libani fontes ad herbas arboréſque irrigandas conſpirâſſe putandum eſt. Procul dubio

Cant. 4, 13.

bio areolas omnes universæ Galaaditidis Greges fecundârunt, ac tantus fructuum proventus sarculo falculæque se debet. At enim nullus de Olitoribus, fossoribus, Custode, derivatione aquarum, cæterísque Agricolarum industriis sermo est. Omnis feracissimi Prædii cultura geminorum MVRORVM fortissimo septo, munitissimâ serâ, ferreísque repagulis,quibus ejus portæ puteúsque custodiebantur, absolvitur. Audite, si lubet, Agriculturæ rationem, & Villæ administrationem. HORTVS CONCLVSVS, *Soror mea Sponsa, Hortus conclusus, Fons signatus. Emissiones tuæ* PARADISVS. Itaque mea me opinio non fefellit, cùm dicerem ab accuratâ sensuum custodiâ virtutem, vitæque perfectionem nunquam disjungi. Quare ubicumque circumspectionis munimenta, & Disciplinæ claustra videritis, illic nullam desiderari eximiæ virtutis partem existimate. Equidem non auderem sententiam fortè non ab omnibus receptam tantâ confidentiâ ferre, nisi

Cant. 4. 12.

nisi eandem S. Ambrosius tantus Ecclesiæ Doctor suis expressam voluminibus reliquisset. *Accingere itaque Virgo, inquit, & si vis, hujuscemodi tibi ut Hortus aspiret, Propheticis eum* CLAVDE *præceptis*, HORTVS INACCESSVS *vitem redolet, fragrat oleam, rosam renidet.* Perseveret itaque in iis, qui sua vota instaurant, beatus agger Modestiæ tam sedulâ operâ sub prima Religiosæ professionis tempora constructus. Quod si deinde unquam in iis affictandi se se, atque objiciendi, Divináque contemplandi studium, & ærumnarum amor, honorum fastidium, consanguineorum oblivio, propriúmque cruorem Evangelio impendendi ardor, refrixerit, atque remiserit, indignus sim, cui fides habeatur imposterum. HORTVS CONCLVSVS? Et ecce necessariam consecutionem! *Emissiones tuæ* PARADISVS.

Lib. 1. de Virginib. To. 58. 60.

127. Ea res in memoriam mihi revocat admirabilem illum modum, quo Deus mortalium omnium Auctori vitam

tam impertiit. Jacebat humi Simulachrum Adami è purissimâ quidem, sed immobili inanimáque gleba conformatum: cùm visum est Numini, frigidam statuam in vivum spirantémque hominem commutare, qui pulcherrimum maximúmque Hortum coleret, animantibúsque omnibus, quæ vel mari clauderentur, vel aëre terráque pascerentur, imperaret. Id totum exequi Deus uno immensæ suæ Potentiæ spiritu voluit. Et hic quidem vel reserato cranio se cerebro insinuare, vel laxatis costis diffundi in viscera debuisse videbatur. At contrà evenit: nam, ut luteum illud signum animaretur, solam adumbrati hominis faciem afflatu suo Æterna Sapientia consecravit. *Inspiravit* IN FACIEM EJUS *spiraculum vitæ*, ET FACTUS EST HOMO IN ANIMAM VIVENTEM. Satis nimirum supérque est, si adversus externorum sensuum procacitatem Divina virtus nos obarmet, ut in cordibus nostris perfectio Evangelica radices agat, invi-

Genes. 2. 7.

ctáque

ctáque persistat. In hanc certè sententiam ad Sabinum Episcopum Ambrosius Archiepiscopus scripsit. *Nunc intelligo, quâ causâ Dominus Deus insufflavit in faciem hominis.* IBI enim SEDES ATQVE ILLECEBRA DELECTATIONIS, *ut* SENSVS NOSTROS *adversus delectationes* FACERET FORTIORES. Fieri nimirum haud potest, ut, ubi abundat Modestia, inopia Virtutis sit: nam si illa vultum occupet, hæc ab ea in pectus necessariò exuberat.

Ep.42. ad Sabin. To. 40.78.

128. Et quonam indicio deprehendisse Dæmonem creditis Divinæ Hypostasis Florem sub humanorum artuum aspero cortice in Christo abscondi? Non in Palæstina Herodis elusa crudelitas; non in Ægypto corruentium Idolorum strages; non in Oriente novum eo nascente sidus exortum: non secedentis in nemus diuturna à cibis abstinentia: non in Templo docentis, quæ nullo præceptore didicerat, admirabilis Sapientia; sed Modestia, quâ Messiæ vultus coruscabat, ac laudatissimam

alio-

aliorum, quotquot unquam ad eam usque diem floruerant, verecundiam superabat, Lucifero ſolicitudinem injecit, metúmque addidit, ne Virginis Filius Dei quoque proles eſſet. S. Maximum audiamus. PRÆSENTIA EJVS *concitatus*, SVSPICABATVR EVM PLVS ESSE, QVAM HOMINEM. Pertinaciſſima ſuſpicio Cacodæmonem incenderat, nec perſuadere ſibi poterat, tam exactam vultûs, habitûs, motuúmque omnium compoſitionem, ac divinam prorſus tum dictorum tum factorum conformationem ſolius humanæ Naturæ partes eſſe; fremens itaque, aménsque inſaniâ inter nemoris umbras ululans, Quidni major, inquiebat, homine ſit, qui vel ipſis Angelis purior refulget? PRÆSENTIA EJVS *concitatus, ſuſpicabatur eum plus eſſe, quàm hominem.* Quos ſplendores multò etiam magis miratus Apoſtolus Paulus Corinthios non quidem per ſpinas aut Clavos, aut Crucem, ſed per Modeſtiam Chriſti, ut dignos ejus Doctrinæ auditores

Hom. 1. de Advent. To. 11. 90.

tores

tores ſe redderent, obteſtatus eſt. *Ipſe autem ego Paulus obſecro vos, per manſuetudinem, & MODESTIAM CHRISTI.* 2. Cor. 10. 1. Diſcipuli, ajebat Apoſtolus, mihi cariſſimi! ſi vos quoque Servatoris noſtri Verecundiam, ut ego, cùm is ſe mihi videndum præbuit, vidiſſetis, næ vos tam incredibili ſtudio efferremini, ad omnia ejus obeunda mandata, & imitanda virtutum exempla, ut ultro ardentes rogos, & ſævas belluas depoſceretis, ejus ut nomini victimæ caderetis. Et profectò è vultu Meſſiæ, cùm inter homines degeret, tam auguſta lux ſuaviſſimæ Modeſtiæ promicabat, ut quisquis eum intueretur in lachrymas, ceræ inſtar ſolaribus radiis reſolutæ, colliqueſceret; nec aliter, quàm ad Magnetis complexum emicat advolátque ferrum, eum pro ſe quisque conſectaretur. Pari ad trahendos, quo liberet, homines vi Apoſtolicorum Ordinum Operarii pollerent, ſi ab eorum vultibus Virtus radiaret, & in omnibus eorum membris, velut in proprio ſolio, Gravitas,

Modeſtiáque reſideret. Veſtigia pedum noſtrorum prono vertice ſuperbiſſimi quique venerarentur: ad ædium noſtrarum limina certatim convolarent conſiliorum ſuorum incerti: peccatorum ſuorum vinculis exſolvendis manus noſtras improbi requirerent: ſi eam in nobis ſenſuum cuſtodiam, eam integritatis lucem, quâ Chriſti facies Thaboræo in monte coram Diſcipulis refulſit, conſpicerent. Omnes in Domos noſtras ingreſſi ſucclamarent. *Bonum eſt nos hîc eſſe.*

Matth. 17. 4.

129. Hac compoſiti ad omnem moderationem habitûs conciliatrice animorum ſpecie Sethi poſteritatem ut eam à Caini progenie diſtingueret, ac futurorum olim Chriſtianorum formam exhiberet, Spiritus Sanctus palàm inſignivit. *Qui à Seth procedebant*, quemadmodum Anaſtaſius Sinaita undecimo libro in Geneſim teſtatur, *in figurâ populi Chriſtiani habebant quandam gratiam Sancti Spiritûs* IN VULTU SUO, *quæ eos ſeparabat à populo* Cai-

Lib. 11. *in Hexam. To.* 14. 64.

Caini, qui erant alieni AB ILLA ILLUMINATIONE. Jam verò, si rudem illum populũ, qui solius naturæ haud satis disertæ rerum credendarum Magistræ, institutione ad Religionem formabatur, nitere tamen eo radiorũ diademate Providentia Divina voluit, quanto magis nos, quos Evangelica Doctrina erudivit, & à mundo, ut in Filii sui sacrariis ætatem ageremus, exemit; coruscare, lucémque quaquaversum diffundere Pater æternus jubere censendus est? Eam ob rem Christus Sectatores suos Lucis Filios, & Orbis universi Lucem appellavit: quæ nisi in omni vitâ nostrâ palàm refulgeat, & eos, qui Gymnasia, Templáque nostra frequentant, ad frugem reducat, & ad virtutem inflammet, de nostra vocationis dignitate penitus excidamus oportet. Quacumque gressum ferat Alumnus Crucis, Ambarum ac Moschum spargere, plateas omnes ac fora, quamvis mephiti graveolentíque fimo infecta, exempli sui fragrantiâ replere debet. Nisi, quocumque locorum de-

venerit, furentium hominum manibus strictos enses excutiat, de voluptariorum capite corollas diripiat, ex avarorum sinu aurum abstrahat, non est is, quem se profitetur, Numinis servus, sed Aromatibus illis similis, quæ, quia evanuerunt, atque computruerunt, in foricas abjici, aut in profluente submergi debent. Ita sensit, pronunciavitque Gregorius Nyssenus: *Ut igitur* AROMATA *proximum aërem replent, ita tibi ex superflua copia* ABUNDARE GRATIAM *vult*, UT TVA VITA ALIENI MORBI MEDELA SIT. Ipse aspectus noster in Lachrymas Nugatores solvat: Helluones Temperantiam, Superbos Modestiam, Politicos Religionem edoceat: ignavos ad laborem extimulet, invidos ad favendum, sacrilegos denique ad pœnitentiam adducat. *Tua vita alieni morbi medela sit.* Id quidem animi probitas effectum nunquam dabit, si se intus continuerit, nec in vultum redundârit. Ea sit igitur tum verborum tum actionum nostrarum

De Beatitud. 10. 13 11.

rum

rum omnium gravitas, ut è duris cautibus Abrahami Filios exſculpat in victimam obedientiæ promptis animis ſe conſecraturos.

130. Audio qui latas ab Ignatio Leges mihi objiciat, iisque levitatem ſuam veluti ſcuto tegere conetur. Quòd ſi enim, inquit, homines noſtri eâ morum ſeveritate ſe in publicum dederint, avertent illi profectò ab officiis noſtris eos, quorum neceſſitatibus ſublevandis opera quidem noſtra neceſſaria, aſſuetæ verò libertati inviſa auſteritas eſt. Ego verò nunquam à vobis ſeveritatem poſtulavi, utpote quam ne nominârim quidem, dictorum ſolùm factorúmque gravitatem commendavi: non quæ capiti terribilem criſtis galeam induat, & flammarum globos è faucibus vomat, arcu manum oneret, ac ſagittis. Quid? Liliis caput evinciri, radiis coronari, lacte fluere velim, ut purget pariter, ac paſcat; emendet, ac ſoletur; illuminet, nec urat tamen. Nihil repugno, quò minùs humaniſſimus,

ac comes: dum modò morum elegantia robur virtutis non elidat. Caveant verò illi, ne idem ipsis eveniat, quod Zeuxi Pictori celeberrimo quondam accidit. Pinxerat is puerum qui Canistrum Botris plenum sustinebat eá felicitate artis, ut ad propositam in foro tabulam inspectantibus Civibus Carduéles passim ac Passeres advolarent, & nitentes fictarum vuarum acinos rostris appeterent. Tam lepido errori, quo haud dubiè asserebatur artis præstantia, cùm Spectatores omnes magnis vocibus applauderent, excitus ad plaudentium tumultum Zeuxis in medium procurrit, tabellámque à pariete direptam cum stomacho humi abjecit; frementibus verò universis, neque tantam picturæ injuriam ferentibus, indignationis suæ rationem reddidit; Et cur, inquit, non tabellæ irascar? aut quî manus ab eâ possim abstinere? quòd si enim eâ felicitate adolescentem, quâ racemos, expressissem; tam ad absterrendam volucrum rapacitatem pueri reverentia valere

lere debuerat, quàm ad gulam invitandam prædæ imago valuisset. *Processit iratus operi, & dixit:* VUAS MELIUS PINXI, QUAM PUERUM. *Nam & si hunc consummâssem, Avis timere debuerat.* Ita si vobis Viri Nobiles, illustrésq; Matronæ frequentiam fecerint, ut ex ore vestro vitæ præcepta condiscant, salutíque suæ præsidia capiant; cùm ejusmodi, quam de vobis conceperunt, fiduciæ sermones profanos, mimos, aut quidquid denique Divina Lex mandat, intermiscuerint, ingenuè pro se quisque fateatur, illis se meliorem amicum quàm Sacerdotem, comem magis Proxenetam, quàm venerandum Religiosum visum fuisse. *Vuas meliùs pinxi quàm puerum.* Ut enim eos affabilitas mea mihi conciliat, & ad consuetudinem meam allicit; ita si Viri Apostolici effigiem Virtutísque formam in me deprehendissent, profectò non essent ausi me coram aut vindictam spirare, aut luxum ostentare: Jam verò cùm me eodem loco, quo familiares

Plin. l.35. c.10. Hist. Nat. To.9.170.

clientésque ſuos, habeant, & perinde mecum ac inter hiſtriones fabulentur; argumento eſt nullam apud eos mei reverentiam eſſe; ut pote quem nec inimicum petulantiæ, nec ſuperbiæ ſuæ infenſum animadvertant.

131. Ne, quæſo vos, Sancto Patri noſtro cauſam præbeamus, S Joannis Chryſoſtomi lamenta, quibus afflictiſſimus Orator Antiochenum populum à veteribus Chriſtianis degeneràſſe indoluit, in nos detorquendi. Sub prima publicati Evangelii tempora (ita ſuos Auditores alloquebatur Eloquentiſſimus Interpres) quisquis Chriſti Doctrinam profitebatur ab Idolorum cultoribus, tametſi eâdem cum illis purpurâ, ſericóque veſtiretur, à vultûs majeſtate, ſanctitate ſermonis, inceſſus gravitate, & pallium togámve ſibi aptandi ratione nullo negotio internoſcebatur. Quicumque cultorem Crucis obvium habebat, is continuò eccui Numini vota ille faceret, dignoſcebat. Tanta erat in iis linguæ moderatio, manuum candor, ardor

ardor pectoris, mentis in Deum raptæ ſublimitas, ſpectaculorum fuga, & frequentatio laudum divinarum. Non cirrhus è capillitio, non oculi jactus, non pallii plica, non oris ſonus, non dexteræ motus ullus erat, qui Religionem eorum non palàm oſtenderet. Secus verò poſt remiſſam Diſciplinam evenit. Nam ſi Sacramentorum uſum, & ſacrarum ædium frequentationem exciperes; nemo Chriſtianum ab Ethnico diſcernebat; cùm in rebus cæteris omnibus conſentirent utrique; perinde jocis, ludis, conviviis indulgentes, qui Sacro-Sanctam Triadem, ac qui mutos lapides adorabant. *Non facilè reperias* PER QUOD INTER FIDELEM INFIDELEMQUE DISTINGUAS. *Solo enim celebrandi Myſterii tempore dignoſci poteſt, cùm videlicet alios excludi videris, alios verò intus teneri. Oportebat autem uniuſcujuſq; Fidem* NON LOCIS, SED MORIBUS JUDICARI. *Fidelem non ab his tantùm, quæ accepit à Deo,* CONVENIT REFULGERE, ET UNDE QUE

Hom. 4. in Matth. To. 25. 150.

QUE ESSE NOTUM, *& ab incessu, & ab aspectu, & à veste, & à voce. Nunc verò, undecumque voluero te dignoscere, invenio te à contrariis publicari.* Equidem Parens Auctórque noster Ignatius, Patres Reverendi, Fratrésque Carissimi, neque cucullo nobis capita, neque versicolore tunicâ corpus texit: voluítque Sacerdotibus è Clero victum vestitúmque nostrum per omnia respondere. Neque tamen hanc cum illis conformitatem nobis intercedere ideo jussit, quòd ignoraret, quantopere nos ab illis, qui omnimodam Vitæ perfectionem non profiterentur, esse diversos oporteret: Verùm id eò fecit, quòd speraret, fore, ut discrimen, quod in veste nullum esset, morum præstantia faceret: Certum quippe sanctissimus Fundator habebat, neminem de Societate futurum, qui non primo sui conspectu pro eo, qui est, esset agnoscendus.

132. Et primò quidem, ab Societate conditâ, seculo reapse ita usu evenit. Infinitus est numerus eorum, qui sub id tem-

tempus à Lupanaribus ad Asceteria, à Circo ad solitudines; à vestium luxu ad saccum ac nuditatem solo unius alteriúsve è nostris aspectu commoti se receperunt. Aloysius Gonzaga, qui nullo unquam gravi scelere se adstrinxit, qui paterna in domo Anachoretæ, in Regia vitam Angeli vixerat, è juvenum nostrorum aspectu documenta sanctitatis, & novos ad virtutem stimulos se hausisse confessus est, idque non cùm illi positis humi genibus & lachrymis infusi epulo sacro sese reficerent, sed cùm vacuis à discendo docendóve temporibus in Villam ad relaxandos animos proficiscerentur. Quantam verò eam fuisse Modestiam oportet, quæ ad virtutem integerrimi totâ Italiâ Principis excitandam valuerit? Quæ deinde Scholasticorum nostrorum pietas, cùm ad visitandas ædes sacras itarent; cùm in eruditorum Virorum conventu disputantes audirent; cùm Aris ministrarent; cùm precibus vacarent; fuisse putanda est; si tunc quoque, cùm Religiosæ Di-

sci-

ſciplinæ, ut ſic loquar, obliti quodammodo, ſtudiorum contentionem in otium, & Lycæi labores in horti amœnitatem converterent, ſanctitatem inſpirare ſanctiſſimo adoleſcenti potuerunt? Jam verò an hâc tempeſtate ſic animis commoveantur, à quibus videmur,& audimur, veſtrum eſto judicium, qui eos familiariùs penitiúsque noviſtis. Enimverò, quod divinæ in nos pietatis argumentum eſt, dubitare non poſſumus, in majore melioréque noſtrorum hominum parte illibatam illam veterum Patrum Modeſtiam hodiéque perſeverare. An autem hæc eadem prorſus ex omnibus eluceſcat, neque ajo, neque nego. Id quidem cum Chryſoſtomo ingeminârim. *Fidelem convenit refulgere*, ET UNDIQUE ESSE NOTUM, AB INCESSU, AB ASPECTU, A VESTE, ET A VOCE. Ne verò Deus ſiverit ut acerrimi Doctoris extremam ſententiam & ipſe cogar in quemquam diſtringere. *Nunc verò* UNDECUNQUE *voluero te digno-*

ſcere,

ſcere, *invenio* TE A CONTRARIIS PUBLICARI. Nimis verò in abſurdam adulationem me demitterem, niſi ſubmiſſâ ſaltem voce teſtarer, habere me nonnunquam obvium in plateis è noſtris non neminem, qui curioſè circumferat oculos, quacumque Carpentum aliquod oberrat, qui negligenter atque incompoſitè inambulet; qui in ipſâ frequentiâ populi, cùm continere linguam oporteret, ſermones ſerat: qui riſus edat, nullo eorum à quibus obſervatur reſpectu. Quâ re mirum in modum excrucior, atque ita mecum Quid, quæſo, inquam, cauſæ eſt, quòd iſti tam inſigni mentis probitati exteriorem Modeſtiam non conjungant, eámque flocci faciant? Quid, cùm privatim tanto ſtudio doment affectus ſuos, ac corpora, in publico tam incurioſè agunt? Cur nudæ carni Camelorum pilos & hamatos cinctus hærentes ſuperinjectâ veſte abſcondunt; & ſub omnium plurimorúmque nobis invidentium oculis tam imprudenter mores ſolvunt? Equidem niſi

tot

tot támque graves Leges exactissimâ curâ servarentur, ferrem fortè faciliùs, externam nostram speciem minùs, quàm par est, esse compositam. Verùm enim verò illos, quibus tam angusta quietis, tam producta laborum spatia, victus tenuissimus, egestas summa, vita voluntariis pœnis exercita, nec citra sanguinem sit, cælestem tantæ austeritatis splendorem eo solùm ex capite infuscare, quòd satis animi non habeant, ut oculi licentiam dejectâ palpebrâ castigent, & linguæ procacitatem labiis comprimant; id demum indignum, id morte gravius tormentum mihi videtur. Sanè Nostri sacris in ædibus linguis favent; & ut faveant, opto: Id verò ad præscriptæ nobis integritatis exemplum haud est satis: nam à confabulationibus intra Templorum Adyta se abstinere, non id est sanctitatis specimen, quod exteræ gentes mirentur ac colant: Sacrilegii quoddam genus id fuit, quo nomini nostro fœdum stigma inurebatur, si quando è Nostris quispiam

piam confabulationum ejusmodi vel auctor, vel particeps loci sanctitatem profanabat. Hoc igitur agamus, ut Christo Infanti Linguam, Oculósque consecremus: & hinc Adamum, inde Paulum quâ ratione perversus ille, hic conversus fuerit consideremus. Cùm enim in Apostolum Christus hostem Ecclesiæ fingere vellet, oculos illi claudendo tantum opus aggressus est. *Et erat ibi tribus diebus* NON VIDENS. Innocenti verò Protoplasto ad ruinam perduellionémq; reseratis luminibus viam Cacodæmon munivit. *Comedit, deditque viro suo, qui comedit* ET APERTI SUNT OCVLI *amborum*. Nemo est vestrûm, qui non videat, quantâ malorum eluvie duorum vultuum immodestia genus inundârit humanum. *Aperti sunt oculi amborum*. Nec est, quem fugiat, quàm altè Pauli mentem ad tertium supremúmque Cælum subvexerit prodigiosa cæcitas. De quâ S. Maximus insigni ad posteros documento, quanti facienda oculorum custodia esset, ita scri-

Act. 9. 9.

Genes. 3. 7.

Hom. 1. de Adv. / To. 11, 42.

ſcripſit: *Salubriter claudebat*, NE AD COR TENEBRÆ PER VIAS LVCIS INTRARENT. Et certè quàm Scriptoris hujus juſti timores ſint, Primi noſtri Parentes docuêre. Vix illi circumſpicere cœperunt, cùm nuditatem ſuam erubuerunt, & quo ſe tegerent, requiſiverunt. *Cúmque cognoviſſent ſe eſſe nudos, conſuerunt folia ficûs, & fecerunt ſibi perizomata.* Quàm ipſe quoque vereor, ne oculos noſtros in contemplando Magnatum luxu, & Regum magnificentia nimium fixos ſubinde Paupertatis Evangelicæ haud leve tædium, & indigna profanorum tegminum cupiditas ſubeat. Fieri poteſt, ut poſt conſpectos Babylonicos faſtus, Aſſyriámque Luxuriam, ſordeat deinde nobis cento veſti aſſutus, cubiculi nuditas, victûs frugalitas, exercitationis humilitas. Quibus profectò periculis ac certaminibus ſe ſubtraheret, qui ſolitudinis amans, & Religioſæ Gravitatis retinens dedignaretur, quod mente pridem calcavit, oculis uſurpare. Igitur, ſi cara nobis animo-

rum

rum noſtrorum tranquillitas, ſi vitæ, quam amplexi ſumus, fructum amamus, ſummo in pretio eam, quæ foris apparet, Virtutem habeamus oportet. Quòd ſi Chriſtum Infantem unà cum ſanctis illis Regibus mens veneratur, ſuos quoque ſenſus Dei-Hominis cultui, Religione prorſus neceſſariâ, corpus conſecret. *Et procidentes adoraverunt eum.* Atque hic locus eſſet alteram Allocutionis partem exequendi, niſi altera tempus præripuiſſet, cogerétque in aliud tempus, quæ dicenda ſuperſunt, reſervare.

EXHORTATIO XXIII.

Pridie Diei B. Aloysio Sacræ.

Et Flores mei, Fructus honoris, & honestatis *Eccli. 24.*

SEnsuum exteriorum compositioni tam obnoxia est interior Animi Perfectio, ut nisi illa floruerit, hæc oriri germinaréque non possit. Ut Christum pro Deo haberet Dæmon non quadragintadiali jejunio, sed morum ejus gravitate adductus est. Ubi à vultu Verecundia exulat, fieri non potest, ut virtute pectus abundet. S. Ambrosius duorum Clericorum defectionem prævidit, non quòd in iis aut vitia, aut ruditatem, sed quòd linguæ oculorúmque licentiam depre-

deprehendisset. Idcirco nemo Religiosæ vitæ sectatorum venerationem sibi à populis promittat, nisi linguæ, totiúsque vitæ moderatione se conspicuum præstare studuerit. Oculorum verò præcipua custodia sit, & Gravitas, ut ne aspectu dignentur, quod contempsère, illud verò solùm, quod Sacræ Literæ commendant, suspiciant.

133. HAnc, ut opinor Syracidis sententiam Religiosissimæ Virgini Magdalenæ Pazziæ recens Sanctorum numero adscriptæ receptus Cælo Aloysius reposuit, cùm ab illa extra se posita beatissimos inter Cæli Cives gloriâ circumfusus, & meritis dives, præcipuo in solio residens adoraretur. Quibus quæso artibus, Beatissime Juvenis, exclamabat illa stupore pariter & contemplatione defixa, ad tantum sanctitatis fastigium evasisti, ut, qui nobilissima in Domo natus, educatus in

Regia, vitæ genus Religioſum quidem, ſed non auſteriſſimum ſecutus, támque acerbâ ætate de vita digreſſus, Angelos innocentiâ, Contemplatione Seraphinos, Anachoretas aſperitate vitæ, Apoſtolos animarum ſtudio æquares, omnes denique omnium virtutes complecterêre? Quam admirationem ut attonitæ Virgini demeret circumfluens gloriâ Aloyſius, in hunc modum reſpondit. Ego, inquiebat, cùm inter mortales agerem, divino fultus auxilio, quod mearum erat partium, ſedulò exequebar: ac ſeverâ ſenſuum cuſtodiâ corporíſque divexatione totum exteriorem hominem componebam. Quos meos labores tanti Deus fecit, ut animum meum pretioſiſſimis gemmis, ac cæleſtibus donis profuſiſſimâ liberalitate adornaret. Quòd ſi ergo fructuum illorum, quorum in animo meo copiam vides, adeò te contemplatio rapit, ſenſuum quoque meorum flores intuere, hinc enim velut è vere quodam uberrimi hujus Autumni opulentia profecit. *Flores mei, fructus*

hono-

honoris, & honestatis. Nam quia insigni modestiâ corporis oculos Vanitati ac terræ occlusi, reseratam meæ mentis aciem ad cognoscenda Cæli Divinitatísque arcana Christus intendit. Quòd parcè cum hominibus loquebar, ideo de cælestibus gaudiis prolixos mecum sermones Deus miscuit. Quòd gressus meos omnes Religiosa Gravitas moderaretur, inde meæ menti alæ sunt additæ, quibus momento temporis ad Divini Solis conspectum evolabam. Quòd cum deliciis omnibus, honestis licet, perpetuum bellum gererem, Deus quoque nostrâ causâ in Crucem actus animam meam cælestis suæ Doctrinæ suavissimis delectationibus, & Civitatis illius Beatæ torrentibus inundatam remuneratus est. Verbo, exteriori culturæ corporis mei, cujus sensus omnes, partésque & vinculis coërcueram, & Cruci confixeram, amplissima præmia Divina Clementia persolvit, & internos celsissimarum virtutum thesauros redhibuit. FLORES MEI, FRUCTUS

HONORIS, ET HONESTATIS.
Neque verò existimare te velim, amantissima Dei Sponsa, hanc Modestiam, externámque corporis compositionem leviculam duntaxat frondem esse, quæ juvenilem ætatem in ipso virtutis Tyrocinio exornet: est ea, mihi crede, vivus salutarísque omni ætati fructus, ac manifestum absolutæ Perfectionis argumentum. Ut adeò ubicumque eam conspexeris, illuc Deum quoque Gratiarum suarum fontes derivare certò scias. In quocumque verò aut homine aut Cœtu eam intercidisse queri poteris; eum tu nihil egregiæ virtutis possidere, déque studio istius plurimùm remisisse audacter pronuncia Atque hoc Aloysii cum Magdalenâ colloquium in tria capita Orationem meam partietur. Et primo quidem demonstrabo, nullam esse conditionem, aut ætatem eorum, qui sub Crucis vexillo nomina sua professi sunt, cui Angelica Modestia non magnopere conveniat. Præterea regnaturum semper in animo Spiritum
San-

Sanctum, quandiu illa in vultu sensibúsque refulserit: Denique eodem temporis puncto, quo Verecundia vergere in occasum cœperit, teporem subire, vitiáque passim invalescere. *Flores mei, fructus honoris, & honestatis.*

134. Non est Modestia, uti stolidè suspicantur aliqui, Tyronum, & eorum duntaxat ornamentum, qui nuperrimè in vitam Religiosam editi, & nunc primùm Crucis amplexu recepti vagiunt etiamnum: sed virtus est, quæ juventutem armat, pueritiam ornat, senectuti pulcherrimum decus affert. Illa pugnantibus pro clypeo est; illa Victoribus Lauream, & triumphos adornat. Illa Virgines consecrat, roborat Martyres, Sacerdotes efficit Deos; & quemadmodum Orthodoxos in Fide confirmat; sic ab ea deerrantibus facem præfert, & viam commonstrat. Age Tertullianum audiamus. FIDEM MUNIT, *carnem regit, Spiritum servat, linguam frenat, manum continet, scandala pellit, Martyria consummat. Fidelem delectat, Gentilem*

Lib. de Patient. To. 58. 192.

lem invitat, feminam exornat, virum approbat: AMATUR IN PUERO, LAUDATUR IN JUVENE, SUSPICITUR IN SENE, *in omni ſexu, in omni ætate formoſa eſt.* Subinde probitatis hujus laudatiſſimæ ſpeciem externam eloquentiſſimus Afer nobis expingit in hunc modum. *Vultus illi tranquillus, & placidus; frons pura, remiſſa æquè in lætum modum ſupercilia,* OCULIS HUMILITATE, NON INFELICITATE DEJECTIS: OS TACITURNITATIS HONORE SIGNATUM. COLOR QUALIS INNOXIIS. *Motus frequens capitis in Diabolum, & minax riſus.* Hæc nimirum Encomia, hi plauſus ſunt, quibus Vir tantus illuſtres victorias proſequitur, quas de ſubjugatis ſuis ſenſibus, ordinatísque rite omnibus corporis ſui membris, egregii ſervi Chriſti reportant. I nunc, quisquis es, &c. ſi potes, ingemina: Solis Vitæ Religioſæ Neophytis, & Crucis Catechumenis eam neceſſitatem & officii onus incumbere, ut omnibus corporis ſui

ſui membris ſeverè imperitent, eáque injectis vinculis compeſcant, atque cuſtodiant. *Feminam exornat*, VIRUM APPROBAT, *amatur in puero, laudatur in juvene, ſuſpicitur in Sene.*

135. At verò, quamvis aliquibus nimium dixiſſe laudatus Scriptor fortè videatur, meo tamen judicio de virtute tam præclara parum dixit: *Suſpicitur in Sene?* Quid, quam vel ipſe Sathanas in humani Generis Reparatore, veluti certiſſimum Divinitatis argumentum miratus eſt, atque adoravit. Animos adhibete Hiſtoriam aliàs à me commemoratam recenſenti. Poſtquam dies quadragenos amaris piiſque lachrymis, quibus hinc Patrem venerabatur, inde calamitoſiſſimam hominum cæcitatem miſerabatur, deſerto in nemore Meſſias transegiſſet, ad ejus ſe latus Lucifer applicuit cupidus ejus experiundi, noſcendique. *Si Filius Dei es, dic ut lapides iſti panes fiant.* Quid autem Inſidiatorem nequiſſimum movit, ut famelico Anachoretæ divinum quid ſubeſſe ſuſpicaretur?

Matth. 4. 3.

retur ? Nempe, reponetis continuò, eam lucem Tenebrarum Principi è tanta tam diuturnæ inediæ patientia obortam fuiſſe. At enim totidem dies impaſti egerant tum Moyſes, cùm Divina contemplaretur; tum Elias, cùm in itinere verſaretur; quibus tamen divinos natales eſſe nunquam Lucifer credidit. Ecquid igitur tam gravem illi de Chriſti Divinitate ſuſpicionem movit? *Si Filius Dei es.* Certè ad eum diem nullum ille prodigium patrârat: In humillimâ fortunâ inter ſtabuli ſordes editus in lucem fuerat; Exul peregre vixerat; domi ſub Materiario fabrilem artem, & ſerrâ dividere aſſeres, abietémque dolare didicerat: quæ cùm explorata haberet omnia Damnatorum Pater, atque Inferorum Rex, tam ſublimem nihilominus de illo exiſtimationem ſolicitudinémque tam anxiam concepit. *Si Filius Dei es, dic ut lapides iſti panes fiant.* Non abſtinentia, quâ non minùs alii claruêre; non prodigia, quæ tot alii ante illum ediderant; non perpetua cum

Deo

Deo colloquia, quæ majore cum ſtrepitu ac celebritate Prophetæ anteriores oſtentabant, tantæ ſuſpicionis ſagaciſſimo vaferrimóque illi ingenio cauſam præbuêre. Illa illa morum compoſitio, taciturnitas oris, oculorum Modeſtia, verecundia vultûs, manuum pedúmque ſumma moderatio; Humanitatis denique illius Divinitati Verbi per unionem Hypoſtaticam inſertæ plùs quàm Angelica ſpecies ſuſpicaciſſimum Dæmonem permovit, ut eum homine majorem crederet. Ita certè primo Sermone de Jejunio S.Maximus profitetur. PRÆSENTIA EJUS CONCITATUS *ſuſpicabatur*, EUM PLUS ESSE QVAM HOMINEM. Ita nempe ſecum ratiocinatus Hoſtis importuniſſimus; Equidem, inquiebat, Palæſtinæ Solitudines luſtravi, reperíque paſſim ab Anachoretis fame, rerúmq; omnium egeſtate oppreſſis inſeſſas, nec tamen eos extimui. Eliæ curru igneo in Cælum ſcandenti præſens aderam, neque cultum ullum exhibui. Vidi Eliſæum, cùm

Hom.1. de Jejun. To.19.90.

cùm Leprosis sanitatem, mortuis vitam redderet; non ideo venerabundus ad ejus me pedes abjeci. David ille, qui me Psalmodiâ suâ è pectore Saülis ejecit, è Bethsabeæ tamen oculis non effugavit; inde mea in illum tela direxi, mortalíque vulnere prostratum tantum Virtutis Heroëm unguibus meis tenui. At verò ab hoc tam composito, tam circumspecto, tam gravi, tam modesto, irreparabile Regno meo exitium metuo, & quas passurus sum clades, mente percipio: Fallat me utinam metus, ne prodigiosæ adeò Modestiæ velo de Divinis Personis aliqua tegatur. PRÆSENTIA EJUS CONCITATUS, *suspicabatur eum plus esse, quàm hominem.*

136. Neque verò facere mirationem debet, quod Orcinus Prædo incredibilem Christi in dictis, factis, motibus, totâque corporis conformatione majestatem tantâ veneratione coluerit, cùm Paulus Apostolus sic in hanc unam cogitationes suas omnes defixerit, ut cæterarum incomparabilium virtutum,

qui-

quibus Servator noſter excelluit, oblitus fuiſſe quodammodo videri poſſit. Eam ob rem ut Corinthios induceret ad conſectanda difficillima illa, quæ proponebat, conſilia, etiam atque etiam eos ad exactiſſimam eorum obſervantiam eſt adhortatus obteſtatúsque: meminiſſent non ſtabuli, in quo natus; non exilii, quod tolerâſſet; non abjectiſſimæ officinæ, in qua triginta ipſos annos opus feciſſet; non Jejunii per quadraginta dies protracti; non itinerum ſusceptorum; totiúsque Terræ Sanctæ ſuis pedibus peragratæ; non denique lethalis angoris, quem in Horto; non calumniarum, quas in ædibus Caiphæ; non opprobriorum, quæ in Herodis Regia; non verberum, quæ in Prætorio Pilati; non Crucis, quam in Calvario ſuſtinuiſſet. Verùm in memoriam revocarent illam ejus prorſus Divinam Modeſtiam, quam Sectatoribus ſuis Magiſtram eſſe ac formam voluit, omnes quotquot nos audirent aſpiceréntve ad emendationem ſanctitatémq; vitæ permo-

2.Cor.10. movendi. *Ipse autem ego Paulus obsecro vos per mansuetudinem* ET MODESTIAM CHRISTI. Age verò, si talis ac tantus Apostolus ex immensa Virtutum Divinarum copia, in quarum exercitatione Christus studium omne consumpsit, nec priùs destitit, quam eas in admirabile fastigium absolutissimæ perfectionis extulisset, unam ingenui pudoris speciem, externámque corporis compositionem selegit. *Per mansuetudinem & Modestiam Christi.* Quis deinceps ab importunis illis Censoribus in temerariam adeò sententiam pertrahi se sinet, ut Modestiam Religiosam vel exiguo, vel etiam nullo in pretio habere audeat, eámque ceu leve folium frondescentis primùm, novitiǽque virtutis, & velut adumbratæ Disciplinæ rude lineamentum contemnat? Non potest, mihi crede, non magnum Religiosi hominis ornamentum esse, quod in Christo unus è primis ipsius arcanorum arbitris tanti fecit, & Gentium Magister, Apostolorúmque Princeps Paulus

lus tantâ veneratione proſecutus eſt. *Obſecro vos per Modeſtiam Chriſti.*

137. Erunt hîc aliqui, ex eorum ſcilicet numero, qui ſenſibus atque artubus ſuis frenos injici, & jugum imponi moleſtè ferunt, qui jactabunt: ſatis eſſe Alumnis Ignatii, ſi præclaris illis, ampliſſimíſque muneribus defungantur, qualia ſunt: apertis ubique locorum Gymnaſiis, Hæreſibus profligandis arma miniſtrare: conſuetis Miſſionibus obire pagos, rudéſque inſtruere: navigare ad Indos, ac Barbaros à ſuperſtitionibus ſuis eximere: erudita volumina luci dare: ſacras Literas de ſuperiore loco explanare; Errores refellere; improbos à vitiis avocare: probos ad vitæ ſanctitatem informare: omnibus Ducem ſe præbere; Principum animos ſedare: controverſias componere: ambiguitates tollere: Sacra Eccleſiæ Myſteria, & Chriſtianæ Religionis Dogmata exponere: Labyrinthos Atheorum explicare; dolóſque detegere: promiſſa virtuti præmia, Sacrorum arcana, & Divinam

nam Naturam, quà licet, hominibus palàm facere. Hæc, inquiunt, Provincia, hæ demum Societatis expeditiones ſunt, quæ Urbes Doctrinâ noſtrâ excultas, Hæreſiarchas devictos, improbos emendatos, Paganos Cruci ſubjectos, populos obſequentes, Principes manſuefactos, exempli optimi Præſules, magnámque Orbis partem aut adverſus errores corruptelásque luce, ſaléque Apoſtolico præmunitam, aut ad Conſtantiam tum in Religione Orthodoxa, tum ingenuo timore Conditorem ſuum re ullâ offendendi confirmatam, vel ad Petri Thronum, vel ad Chriſti Crucem ovans triumphánsque poſt ſe trahat. Quibus ita diſſerentibus reſpondeo quòd Divinus Spiritus, ſi quem ad res tam egregias, heroicáque facinora excitat, perinde quoque illum extimulet ut virgineum quendam Evangelicæ Modeſtiæ pudorem, ſpeciémque illam & ſerenitate frontis, & oculorum gravitate præferat, quæ homines in Archangelos transfigurat. Cedò verò mihi Apellem

lem aut Parrhaſium aliquem, qui poſtquam admirabili artificio Elephantem ebore conſpicuum, inſeſſas armatis turres tergo ferentem, ac validas quercus dente frangentem expreſſerit, neget ſubinde glirem ſe aut formicam, uvarum aut nucum ſucco victitantes pingere poſſe. Quid? Idem ille Deus, qui ſupremo in Cælo Cherubinos, ſubtiliſſimas mentes condidit, in inferiori ſtellas accendit rationis egentes, & in terrâ ſtirpes ſenſus expertes produxit. Quiſquis igitur Apoſtolico eminere Zelo, eruditione plusquàm humanâ inclareſcere, cruentis præliis defungi, nova Regna Chriſti Regno ſubjicere, & agere in triumphum poteſt, animúmque ad ardua quælibet pro Dei gloria, & Animarum ſalute ſuſcipienda præſtò habet. Si ad hæc, inquam, agenda Religio illum Virtúsque impulerit, multò ſanè faciliùs, cùm locus tempúsque poſtulaverit, dejectis palpebris pudicitiam vallabit; provocato in genas ſanguine vultum purpurabit; linguam, ne quid non decens

non ſanctum proloquatur, dentibus comprimet; ante pectus manus colliget; pedibus gradiendi modum præſcribet; omnem denique corporis ſpeciem ad abſolutæ ſanctitatis exemplum conformabit. Ad ſummam; cui ad majora vires ſuppetunt, leviora nullo negotio exequetur, ſiquidem eum nec Hypocriſis, nec famæ cupiditas faſcinârit, ſed vis divina impulerit. Id quod univerſum S. Auguſtinus complexus, *Pictor* inquit, *eâdem arte facit Murem, quâ Elephantem*, DIVERSO OPERE, SED ARTE UNA. *Deus, quâ facilitate creavit Angelos ultra Cælos, eâ facilitate condidit Luminaria in Cælis, Arbores, & Animalia in terris.*

Serm. 72. de Temp. To. 42. 135.

138. Ad hunc modum in Majoribus noſtris pari luce cum Scientiâ Modeſtia refulſit. Apoſtolus ille Indiarum Xaverius, qui ſacro Baptiſmi fonte innumerabiles populos luſtravit, qui cum Regibus ſuis tota Regna Eccleſiæ addidit; qui linguis Gentium omnium, quæ Orientem colunt, Evangelium prædicabat;

cabat; quem mortuorum quos redire ad vitam jusserat, numerosa corona circumdabat; cujus imperio mare fluctus composuit, flumina calcandum dorsum præbuerunt; Aër, ut è terrâ sublatum sustineret; Terra, ut impiis modò fruges negaret, probis aliàs, & rectè de Deo credere persuasis uberem messem præpararet, cui Cælum denique ipsum obsecutum est, ut flammarum cinerúmque imbres in urbium, quæ defecerant, exitium effunderet: Hic inquam talis ac tantus quàm ad unguem minutissimos quosque Legum nostrarum apices consectatus est? quàm severâ custodiâ oculos servavit? quantâ accuratione linguæ moderatus est? & omnia corporis membra composuit: Verbo, nunquam ab Apostoli formâ speciem Angeli disjunxit. *Eadem arte* FACIT MULIEREM, QUA ELEPHANTEM: *diverso opere, sed arte unâ.*

139. Fac autem, inquit Ambrosius, exteriorem illam corporis honestatem florem duntaxat, non verò fructum Religio-

ligionis esse: atque adeò sacrorum Voluminum expositionem ; Theologiæ professionem, emendationem peccatorum, aurea illa poma esse, ob quæ Hortos Religiosos commendamus: quis tamen fertilibus sulcis eos agros non præferat, qui præter messis ubertatem, quam ostentant, florum insuper amœnitate fragrantiáque oculos narésq; transeuntium oblectant? *Multos fructus Ager habet: sed ille melior est*, QUI ET FRUCTIBUS REDUNDAT, ET FLORIBUS. Adde, si quando Sacrorum Ordinum speciem externam, vel intempestivi sermonis, vel liberioris aspectûs, habitûsque solutioris licentia infecerit, nemo eos domi suis in penetralibus aut rerum divinarum, aut corporis castigandi studio deditos arbitrabitur. Hoc argumento Vanitatem Ethnicorum propudiosam eam speciem, quam Numinibus suis circundabant, excusare conantium, Gregorius Nazianzenus coarguit. Jactabant illi fabulis suis altissima quæque Philosophiæ Mysteria invol-

Lib. 3. de Virg. To. 58. 85.

volvi,plúsque eſſe in receſſu,quàm fronte promittatur. Ego verò, inquit ille, nihil moror, quorſum ſpectent fœdæ imagines facinoroſorum Numinum, quæ colitis. Video Saturnum filios ſuos devorantem. Jovem video alienis thalamis gravem: Mercurium aſpicio Domos expilantem: Vulcanum intueor retia tendentem. Utrum ſubinde hac fœdiſſimorum ſchematum obſcœnitate virtutis ſcientiǽque ornamenta tegantur; nempe an ſoboles à Patre devorata fugientium temporum naturam indicet; an libidine maritales lectos inceſtantis doceamur propriis propenſionibus nuncium remittere, melioráque aliorum conſilia factáq; imitari; utrum pretioſiſſima quæque ſublegentis furacitas ad præclariſſimarum virtutum lucra nos invitet; utrum denique intemperantiæ publicâ ignominiâ caſtigandæ poſita retia Oraculi cujuſdam inſtar habeant, nihil adeò clàm, ſolíſque conſciis tenebris geri, quod non in apricum aliquando proferendum ſit; illis

dijudicandum relinquo, qui majorem nobis Christianis Evangelio fidem adhibent. Nos certè, qui Deum veneramur omnis expertem labis, & sole quovis puriorem, id de Numinibus vestris animo concipimus, quod oculis nostris subjicitis. Et quoniam nihil illi non improbum, non sacrilegum præ se ferunt, nunquam efficietis, ut, quæ jactatis, somnia, ipsi quoque nobis fingamus, credamúsque spurcissimas adscititiorum corporum libidines, & pulcherrimarum virtutum studia tam prodigioso nexu in unum convenire posse. Apud nos vultus ab animo non dissentit, quámque innocuam ejus, qui SacroSanctam Triadem adorat, mentem esse testamur, tam candidam purámque illi frontem esse profitemur, prorsus ut si Angelum, qui humana sibi membra tantisper aptâsset, Bysso auro interstinctâ vestiremus. NEC EXTERNA SPECIES INDECORA; ET QUOD OCCULTATUR ADMIRANDUM, *pulcherrimi cujusdam corporis instar, quod haud*

Orat. 3. To. 1. 15. 62.

haud aspernandâ veste contegitur. Apud vos contrà, nec, quod intelligendum proponitur, fidem meretur: & quod externè oculis objicitur, FUNESTUM, ET EXITIOSUM EST. *Quæ porrò prudentia est,* PER CÆNUM AD UBREM DUCERE, *aut per saxa & scopulos ad littus contendere?* Jam verò cùm tantus Theologus ne in falsis quidem Gentium Numinibus ferat in unum absurdas imagines rerum, & maximarum cognitionum notas conjungi, expendere vos cum animis vestris velim, Patres, Fratrésque mei, fierine possit ut eam, quam oportet, de interna nostra virtute, sanctitatéque Christianus Orbis existimationem habeat, quamvis in nobis & motus incompositos, & vagos oculos, & humilitatem libertatémque verborum, ad extrema propemodum veritatis honestatísque confinia exerrantium deprehendat. Fallimur profectò, fallimur: nam Tabernaculum Dei, si Mannа, si Decalogum, si prodigiorum effectricem Virgam auro, quo componi-

 tur,

tur, intus, claudit, habet pariter Attalicas purpureásque veſtes, quibus tegatur. *Inſtar pulcherrimi corporis* HAUD ASPERNANDA VESTE CONTEGITUR. *Nec externa ſpecies indecora, & quod occultatur, admirandum.* Furit ille, qui, ut portum contingat, navim in Syrtes agit; ſed nec ille ſanæ mentis eſt, qui per vias luto, limóque oblitas ad ſtratas gemmis, & ornatas tapetibus ædes incedere itineris ſui Comites jubet. *Quæ porrò prudentia eſt* PER CÆNUM AD UBREM DUCERE, *aut per ſaxa adlittus contendere?* Si tam ardens in nobis quàm credi volumus ſtudium virtutis eſt, cur remiſſionem & languorem oſtendimus? Si vitæ aſperitatem amamus, cur molles delicatíque videri volumus? Si mente Deum gerimus, cur hominem profitemur? Si ſuccincta catenis latera vexamus, quid ſoluto in riſum ore ſpectari lubet? Si Contemplatio nos tertium ultra Cælum evehit, quam ob rem in platearum angulos, & ad quoslibet ſeculi ſtrepitus curio-

curiositas nos abducit? Amentiæ genus est, velle ceu Apostolum suspici, & vanis profanísq; hominibus haud dissimilem videri.

140. Nec criminatrix nec captiosa existimari consecutio illa potest, quæ ex antecedentibus colligitur. Quòd si enim, inquiet aliquis, isti novæ Legis novi quidam Nazaræi essent, & animi divinâ gratiâ exornati pulchritudine cælestes Genios vincerent, nunquam profectò externam illorum speciem aut fumus sordidaret aut pulvis. Quemcunque Cinnamomi vel Myrrhæ ramusculum ex odoratis felicis Arabiæ silvis decerpseris; is tibi continuò tum odoris suavitate, tum insitæ virtutis efficacitate stirpis suæ nobilitatem manifestabit, Id quod diviné S. Ennodius expressit, cùm dixit. MERITUM CESPITIS ODORE SIGNIFICAT, ET NATURÆ GENIUM PRIMA VISIONE TESTATUR. OCCULTARI SE NON PATITUR FÆTVRA SVBLIMIS. Cujus itaque mentem Apostoli-

Dict. 8. To. 27. 28.

cus vigor animat, in ejus etiam membris fructus suos profert; qui ubi abfuerint, evanuisse illum dubitari nequit. Cæterùm qui Angelicam Modestiam electione potiùs, quèm necessitate à Virtute generari credit, vehementer errat, ad eum ferè modum, quo æterna Verbi Generatio, aliorum more videlicet divinarum operationum *ad intrà*, uti Scholæ loquuntur, non libera Patri, sed necessaria est: qui, cùm non possit non se ipsum cognoscere, simul naturalem ac substantialem sui ipsius imaginem in Filio suo efformat: ita sensuum nostrorum, quos purpurâ pudor tinxit, & rerum divinarum meditatio luce irridiavit, beata illa Transfiguratio ab Anima, impetu quodam felicissimæ necessitatis, veluti suâ è scaturigine Fontes Fluviique, prorumpit. Eam ob rem Nazianzenus Theologicum illud effatum protulit, cùm ad Dioclem scriberet. Haud equidem, inquit, ullum videbis, aut Sacrorum Ministrum, aut de plebe hominem, in quo Modestiam desideres, si Chri-

Christus habitat. VBI CHRISTVS EST, MODESTIA QVOQVE EST. Non potest prima Sanctissimæ Trinitatis Persona sine prole regnare, quæ ipsum faciat Patrem: quódque manifestè consequitur, si imperium ille à primis, ut ita loquar, æternitatis momentis tenuit, simul Regni socium æquævum sibi æqualémque habuit: id nempe sonat, quod canimus. *Æternus Pater, æternus Filius.* In hanc verò necessitudinem æqualitatémque cum Servatore simul animus venit, simul corporis species Angelicâ quâdam formâ efflorescit. *Ubi Christus est, Modestia quoque est.* Ab illo contrà Cœtu abesse Christum certum habetote, in quo personare clamores, manus inconditè jactari, linguæ cæterísque corporis motibus nullum esse modum; Verbo, compositionem illam deficere perspexeritis, quam ego non minùs crebrò, quàm impensè commendo, Leges jubent, S. Pater à Filiis suis requirit; quam denique Deus illic esse vult, ubicumque nos illum esse cupimus.

Epist.139. To.115.406.

Ubi

Ubi Christus est, MODESTIA QVOQVE EST. En? quænam sit in Societate quodammodo Trinitatis effigies. Virtutis ardor in mentis solio residens in corporis membris Modestiam producit, è quibus denique sanctissimis Formis constans erga Instituti nostri rationes Amor procedit.

141. At enim dum hujus præclarissimi decoris amorem persuadere Auditoribus meis allaboro, & ipse lapsus errore sum, & aliis, ut fallerentur, ansam præbui. Quippe tametsi Pater æternus necessariò Filium gignat, ipse tamen ab hoc neque vitam nec Regnum accipit. *Pater à nullo est factus, nec creatus, nec genitus.* Secus autem in conjunctione virtutum se res habet. Eum producendi modum, quo alterum alteri vicissim naturam suam debet, quam *mutuam Causalitatem* idioma scholasticum appellat, pauci Philosophorum naturæ concedunt. Quòd si tamen effecta Gratiæ partúsque spectes, agnosces, opinor, causam ab effectu suo iterum produci

atque

atque conſervari. Ignis ille Spiritus San-ćti, quo piorum mentes inflammantur, niſi vultum accendat, continuò extinguitur. Quemadmodum enim cinis carbones, à quibus reſolutus eſt, tuetur ac ſervat; ita exterior ſanćtitas ab interiore profećta Matri ſuæ, velut optima Filia, gratam vicem reddit, vitam prorogat, & vigorem auget. *Ut cujus amor vivit in animo* (verba ſunt Petri Cellenſis) EJVS PRÆSENTIA SCINTILLARET IN OCVLO, MVTVO NAMQVE SE SE ISTA FOVENT, *ut uterque ignis alium, ad ſe trahendo, confortet, & confortetur: quatenus interior eò magis ferveat*, QUO EXTERIOR EI APPROPINQVAT: *& exterior eò clariùs luceat, quò* EI INTERIOR VEHEMENTIVS *participat.* Imò, ſi verſare diligentiùs hoc argumentum voluerimus, auſim propemodum dicere, internam mentis perfećtionem magis externæ conformationis ſanćtitati, quàm hanc illi obnoxiam videri. Id certè in Adamo atque Eva planum

Lib.3.Ep.9. To.27.61.

num fuit. Quippe cùm eorum aures à ſerpente, oculique ab arboris ſpecie capti infectíque fuiſſent, Contumaciæ virus nullo negotio infelicibus eorum animis ſe infudit: ipſique ſubinde Conditoris excuſſo jugo, latas quoque leges contemptui habuêre. VIDIT, TVLIT, *& comedit*. Quod abſurdiſſimi fætûs monſtrum abominatus S. Ambroſius, ergóne, ſucclamat, animæ facultates à corporis ſenſibus ſuperantur, & turpiſſimæ defectionis ſacrilegum facinus è vultu priùs in periculoſas illecebras oculum defigente, & aurem Tartareis Conſiliis accommodante progignitur, quàm à voluntate graviſſimi præcepti Interprete vitam accipiat? *Hinc peccatum manâſſe proditur, tanquam* CORPORE ANIMAQVE GENITORIBVS, *dum corporis natura tentatur*, ANIMA MALE SANA COMPATITVR. Quam ob rem nos quoque, cùm aliquem ex iis, qui nobiſcum degunt, prælicenter atque immodeſtè pleraque agere indignamur, haud errabimus, ſi Religioſæ Diſci-

Geneſ. 3.

Lib. 7. in Luc. To. 13. 95.

Disciplinæ in eo studium & virtutis ardorem extinctum esse dixerimus. *Dum corporis natura tentatur, Anima malè sana compatitur.* Nunquam mutuò separantur Moderatio sensuum, & Virtutis sublimitas. Quare quandocunque vel oculorum vel linguæ libertas invaluerit, eodem temporis puncto ad occasum tum vitæ perfectio, tum Legum, reverentia decurrit. Hinc illa cælestis Sponsi solicitudo provenit, multum anxiéque rogitantis an Vinea, quam amabat, floreret, an Punica Malus in florem turgesceret? *Videamus, si* FLORVERIT VINEA, *si floruerunt Mala Punica?* Equidem florem aliquando fructus haud sequitur: at verò fieri non potest, ut pomis arbor abundet, nisi antè floruerit.

Cant. 12.

142. Quod adeò verùm est, ut S. Ambrosius Juvenes duos, quorum alterum ut inter Templi Ministros, alterum inter familiares comites adlegeret, præcipui quique Sacerdotum summis precibus contendebant, constanter rejecerit.

Fate-

Fatebatur Prudentissimus Antistes, neutri eorum deesse vel integritatem animi, vel sacrarum litterarum peritiam, aut sobrietatis domandiq; jejunio corporis studium, aut liberalitatem in egenos, aut injuriarum patientiam, seu denique omnium earum legum observantiam, quas marmoreis in Tabulis Moyses, & in Evangelio suo Messias descripsit. Id solùm in Nobilibus Candidatis improbabat, quod in aspectu, in incessu, in sermone, cæterísque motibus corporis nihil moderatum, nihil compositum præ se ferrent. Nihil, inquiebat, in istis, quos mihi commendatis, præter modestiam desidero: quæ res olim eos pessundabit, & in defectionis barathrum videntibus vobis præcipites aget. Et sanè melior, quàm voluisset, Vates fuit. Quippe factâ discessione à Catholicorum Cœtu uterque deinceps Arianorum factioni adhæsit. Ipsum S. Doctorem audiamus gestæ rei seriem in quodam ex iis libris, quos de Officiis conscripsit, recensentem. HOC SOLVM EXCEPI:

nec

nec fefellit sententia. Uterque enim ab Ecclesia recessit, VT QVALIS INCESSVS PRODEBATVR, TALIS PERFIDIA ANIMI DEMONSTRARETVR. Quis jam vestrûm erit, qui me contra Inverecundiam, quam imperiti quidam rerum æstimatores ne vitiis quidem, nisi fortè levissimis, annumerant, æquo vehementiùs exarsisse queratur? Proh quot, quantáque mala sub immodesto vultu, & incompositis gestibus teguntur! nempe morum illa licentia, & omissæ gravitatis inclinatio non antè sistitur, quàm in fædam inconstantiam & perfidiam toto Cælo fulminandam evadat. *Ut qualis incessus prodebatur, talis perfidia animi demonstraretur.*

Lib. 1. Off. c. 18. To. 58. 9.

143. Nolim profectò quemquam adeò nullo malorum suorum sensu tangi, ut audeat gloriari, se, tametsi nonnullam sensibus suis libertatem indulserit, eam tamen cladem, quam tum mea, tum Sanctorum Virorum Oratio minitata sit, neutiquam accepisse. Itáne autem? quasi verò ea pestis venenis omni-

bus eſſet, ut eodem temporis puncto quo hauriuntur, cor opprimant? Pleraque in menſes exitium differunt, ad extremum tamen vim ſuam peragunt, vitámque per acerbiſſimos cruciatus expugnant. Sic duo quoque competitores illi non tum ſtatim, cùm Ambroſii judicium ſubierunt, repulſámque ob immodeſtiam ſuam tulerunt, Religionem ejurârunt; ſed aliquandiu cunctati, Hæreticorum denique partes ſecuti ſunt. Hoc ſcilicet inter corporis Animique alimenta diſcriminis intereſt: ut, qui crudos noxiósve cibos corpori fortè ingeſſerit, eos ille vel majori labore concoquat, vel ſi digerat ægriùs, medicamento deducat, vomitúque rejiciat. At verò res quælibet, quam ſenſus noſtri Phantaſiæ ingeſſerint, atque hæc deinceps in animum transfuderit, invicta prorſus & indigeſta perdurat, & quam ſemel partem occupaverit, pertinaciùs tenet. Confirmat hanc ſententiam Tertullianus, &, cùm Chriſtianos, qui Carthagine verſabantur, ſpectaculis Thea-

Theatrorum, & lectione Poëtarum, summopere videret affici, si nemo, inquit, vestrûm carnes Idolis sacras, quæ tamen ultra unius diei spatium moram apud nos haud protrahunt, in os injicere sustinet, quid est, quod ad mentem nostram pestiferas vel Scenæ vel Academiæ imagines admittamus? Si qua in vobis pietas, si qua fides, meminisse debueratis deesse animo nostro vim illam caloris, quæ ad vincendas, subigendásque eas species, quas Gladiatorum cruenta barbaries, Nympharum molles Chori, luxuriosa convivia, Fabularum Chorearúmque fracti moduli menti vestræ impresserunt, post menses annos ac pæne dixerim, seculum sufficiat. Ventriculus concoquit cibos, Animus semper crudus est. *Si ergo ventrem ab inquinamentis liberamus*, QUANTO MAGIS AUGUSTIORA NOSTRA OCULOS ET AURES *ab Idolothytis, Necrothytis voluptatibus abstinemus, quæ non intestinis transiguntur*, SED IN IPSO SPIRITU ET ANIMA DIGERUN-

Lib. de Spectac. To. 21. ¶.

RUNTUR. Quòd si verò est aliquis, cui hæc eloquentissimi eruditissimíque Viri Theologia suspecta sit, is Hieronymum intueatur eam calculo suo comprobantem, ac sanguine subscribentem. Gemebat in Palæstinæ suæ solitudine afflictissimus Anachoreta, nec ullius solatii satis patiens periclitari se de salute, de amicitia Divina querebatur. Saxo pectus contundebat; ferro corpus laniabat; viscera cruciabat inediâ; abjecta in rupem ossa, cùm somno vinceretur, atterebat; oculos in amarissimos fletus eliquabat. Omnis ejus quies, ac remissiones animi non aliæ erant, quàm operosa Prophetarum Interpretatio, rerum Divinarum attentissima Contemplatio, & tristissima extremæ illius Diei posita sub oculos imago Frequentiam illi faciebant vel Monachi Psalmos concinentes, vel feræ rugitibus personantes, vel Angeli cælestibus monitis coràm eum instruentes Opem nihilominus inclamat, & se à ruina prope abesse profitetur. Quid rerum agis Hierony-

nyme? Ecquid aliquando non corpori, quod jam nullum eſt, ſed nudorum oſſium compagi placabilem te præbes? Sine me, inquit, furere, ſine me exanimari, dum Choreas video, dum Cytharæ ſonum exaudio. Ain verò tu ludos agitari in nemore, muſicos modulos inter ferarum belluarum ululatus audiri, ac dum Angelus Tubam inflat, quâ in vitam mortui, & ad Tribunal Rei vocantur, Symphoniacorum Choros plaudere? Heu me miſerum, reponit, quæ vidi, video! In Syriam usque Romanæ me Choreæ perſequuntur, & ne impacto quidem ſilice, quod fortuitò impreſſum eſt è pectore meo expungo. Heu! neque locorum diſtantia, nec Cæli alterius hauſtus, neque diuturnitas temporum, nec aſperitas vitæ, nec ætatis progreſſus; non ſolitudinis quieta ſilentia, non loci Religio, non Calvarii montis vicinitas, non Cæli adaperti objecta menti ſpecies, non viſorum cæleſtium, animíque à ſenſibus avocati contemplatio, non ſacrorum voluminum intel-

tellectus, non Cilicii squalor, non lecti durities, non vestis egestas, non flagellorum acerbitas satis sunt, ad oblitterandas in Sancti Viri animo imagines, quas aliquando concepit. *Si ergo ventrem ab inquinamentis liberamus, quantò magis*, AUGUSTIORA NOSTRA OCULOS ET AURES *ab Idolothytis Necrothytis voluptatibus abstinemus, quæ non intestinis transiguntur, sed in ipso Spiritu & Anima* DIGERVNTVR. Jam verò quid nobis fiet, si, qui Hieronymo habitationis, vestitûs, victûs, lecti, vigiliarum, & lapidum seu pectori incussorum, seu capiti subjectorum asperitate plurimum concedimus, sæpius ea vel legerimus vel aspexerimus, quæ vel semel visa cruento sui ipsius Tortori nullam penitus à Tartareis imaginibus & damnatis Choreis imposterum quietem indulserunt? Adstipulatur Tertulliano Eusebius seu Gallicanus, seu Emissenus ille sit, ac timoris nostri causam sapienter adstruit, cùm transfundi in animam impietatem mortémque ipsam affir-

affirmat, quoties eò, quò non debet, oculus evagatur. *Qui mulierem* OCVLIS MORTEM AD SE TRAHENTIBVS CONSPICIT, *in alieno corpore sacrificat Diabolo animam suam.* Ergóne Mors animam intrat, si oculus ad aspectum fores laxaverit? At enim Mors non moritur, neque vel Joabi hasta, quæ vitam Absaloni abstulit, nec Holofernis Gladius Domini sui cruore respersus Morti mortem intulerit. Quam ob rem, qui durissimam ejuscemodi Dominam sive per nimiam sui fiduciam, sive per improvidam curiositatem semel in animum recepit, prodigio sit, si vivat. OCVLIS MORTEM *ad se trahentibus.*

Hom. 3. de Pasch. To. 11. 78.

144. Quamvis autem ab hac Societate, quam administro, tam pudendos exitus, támque inhonestæ mortis genus, ad quod Eusebius respexisse videtur, abesse dicam, sperémque adeò, neminem hujus tam prudentis circumspectǽque Sodalitatis Alumnum esse; qui Cæno Intemperantiæ, de qua ille disserit, infixus

fixus marceat, jaceátque exanimis: facere tamen haud poſſum, ut non vehementiſſimè commovear, expaveſcámque mortis illius minùs quidem propudioſæ, ac virtuti noſtræ non minùs exitialis periculum, in quod ſe haud dubiè conjiciunt, qui temerè oculos aut ſecularibus pompis, aut profanis chartis adjiciunt, ac linguam vanis ſermonibus contaminant. Qui Villæ ambulationísque otio frui aliter non poteſt, niſi clamoribus ac cachinnis vicinorum, prætereuntiúmque aures obtundat, atque animos offendat, eum ego nunquam Chriſto veræ animorum noſtrorum Vitæ conjunctum eſſe arbitrabor. Qui veſtium, Carpentorum luxus, Pinacothecas, Palatia Templis ipſis auguſtiora ornatioráque non modò non damnat, verùm beatum etiam Cræſum illum dicit, qui totius alicujus Provinciæ opes in unam domum contulit; quî fieri poteſt, ut is Chriſti Paupertatem delicias reputet, & in Crucis opprobriis triumphet? Itáne autem beatus ille tan-

tæ

tæ opulentiæ Dominus tibi videtur? Immò verò ille demum felix, ille beatus eſt, qui ut Deum tecto lectóque deſtitutum, & emendicato pane vitam tolerantem propiùs imitaretur, univerſis ſe ſe abdicavit. Quid multis? Quisquis aliarum rerum aſpectu delectatur, quàm defoſſarum in terram ſpeluncarum, ſolitudinum ab humano conſortio remotarum, Cœnobiorum diligenti cuſtodiâ vallatorum, Collegiorum Religioſæ Diſciplinæ ſtudio florentium, Xenodochiorum, Cuſtodiarum, Sacrarum ædium, quas Viri Sancti Regum Aulis, Amphitheatris, Ludis, Venationum ſpectaculis, ipſiúsque Capitolii Triumphis antetulerunt, is æternæ Sapientiæ ſe Nuptiis adjungere, & in præcluſos Contemplationis Divinæ Hortos penetrare neutiquam poteſt. Equidem haud me fugit, omnes primam diei horam poſitis humi genibus, manibus in Cælum protenſis, oculis in piam aliquam imaginem defixis, arcanis precibus dare: Novi per totum illud tempus prono cor-

pore, Religioséque Oracula Evangelii excipi. At verò, quî sciam Animum Genealogiarum frequenti lectione, rumusculorum cognitione, admiratione fumosarum imaginum, cæterique magnarum ædium fastûs ebrium cum corporis membris cultui divino consecratis, & pavimento affixis conspirare? Vereor enim verò, ut Mens, quò eam nimia sensuum cupiditas, & nihili rerum existimatio nuper impulit, tunc quoque illuc convolet, cùm Christi Cruci se configere deberet. VIDEO CORPVS VBI JACEAT (cum Augustino loquor) QVÆRO VBI ANIMVS VOLITET. *Video membra jacentia; videamus, si stet conscientia.* Quòd si ergo magnanimi illius Consilii, quo Dei Domum elegimus, paternam liquimus, percipere fructum optamus, claudamus oculos; obsignemus labra; gressum revocemus; tergum universis, quæ sunt extra Deum, obvertamus necesse est. Si, quidquid Terrarum est, pretioso Christi sanguinis pelago merserimus, intráque

In Psal. 140. To. 12. 170.

que ejus vulnera omnem ejus amplitudinem abſconderimus, reſerabunt ſe ſe nobis laxiùs etiam, quàm Stephano quondam, Cæli atria, & fauſto pede ad Dei Thronum conſcendemus puriori mentis oculo, ac ſubmiſſiore reverentiâ eum contemplaturi nunquam porrò è complexu dimittendum. Nec pauciora iis, qui à demonſtrato itinere nullam in partem deflexuri eſſent, Auguſtinus promiſit. *Da modica, accipe magna. Vide, quàm latè creſcat fœnus tuum!* DA TERRAM, ACCIPE CÆLVM. Obviam ſe ſe tibi effundet tota cæleſtis Regia, & Divinarum cognitionum Chariſmata certatim ingeret, ſi fallacis hujus vitæ res fluxas, & plerúmque periculi plenas, neque verbo, neque aſpectu dignatus fueris.

In Pſal 36. To. 12. 113.

145. Hîc ego aperire pectus altiſſimúmque juxta & immedicabile detegere vulnus compellor, quod mihi per nimium Filiorum meorum in plateas ad ſpectandas hujus ſeculi res, accurſum imponitur. Quid autem cauſæ habent

Mun-

Mundi Exules, quod tam ſæpe in vicis, & in Mundo ejúsque tumultibus ſe ſpe-ctari ſuſtineant? Equidem ab his qui-libet Dei Servus haud aliter, quàm à præcipiti ac lubrica via, vaſtiſque Dra-conum rictibus cavere ſibi deberet. Quæ res moviſſe Gregorium XIII. Pontificem Maximum viſa eſt ut omnes Indulgen-tias, quæ varia Vrbis Templa ſtato tem-pore adeuntibus conceſſæ fuêre, Socie-tati noſtræ univerſæ ſingulari Diploma-te condonaret, nempe ſi vitatâ populi frequentiâ privatim ante Aras noſtras pauculas preces recitaremus. Quòd ſi autem talis ac tantus Pontifex, ut nobis neceſſitatem adimeret per publicas & hominum occurſu frequentes vias pro-cedendi, ſpectandíque veſtium luxum, à Baſilicis quoque, & Beatorum Cæli-tum ſepulchris abſtraxit, quem illi ſen-ſum futurum exiſtimatis, ſi quempiam noſtrûm vicos circumire ac plateas, non ut Jubilæum percipiat, ſed ut curioſita-tem expleat, & tanquam de plebe ho-minem eò tendere, quò vulgus prope-

rat, eadémque quæ turba miratur, suspicientem videret? *Denigrata est facies* Thren.4. *eorum super carbones, & non sunt cogniti* IN PLATEIS. Enimverò Cleri cum populo Hominum consecratorum cum profanis; Discipulorum Crucis cùm Epicuri Asseclis monstrosissima confusio vultûs Religiosi majestatem tantopere imminuit, ac dehonestat; ut quæ olim velut pulcherrima sidera suspiciebantur, venerationémque tum vitæ generi, tum vesti apud omnes conciliabant, jam tanquam sordidi carbones contemnantur, & Sacros Ordines impiis ludibriis, acerbissimísque maledictis, eos velut sepulchra dealbata Crucis titulum, ambitionis studio præferentia vocitantium obnoxios reddant. *Denigrata est facies eorum* SVPER CARBONES, *& non sunt cogniti in plateis.* Atque hoc loco magno dolore fremit Abbas Gilbertus, palámque Monachis suis edicit, quamprimùm se Alumni Bernardi vanorum hominum turbæ, licet cæterà non improborum, sed qui tamen à Claræ-Vallis

lis ſolitudine, ac Ciſtertii quieto ſilentio alieni eſſent, vulgâſſent, Dignitatis Monaſticæ faſtigium ruere, ac Religioſæ veſtis & attonſi verticis ſanctitatem penitus evileſcere ac deſacrari. *Frequentia platearum* DEDECORAT NAZARÆOS, ET PEREGRINAM SPECIEM *inducit*. Cedò mihi Arcus illos Triumphales per quos recens conſtituta Societas urbes intravit. Illos alius novos Apoſtolos, alius Sanctos Presbyteros, Arcas Teſtamenti, Theologiæ Oracula, Præceptores Virtutis, induſtrios Sanctitatis Colonos, Evangelii munitiſſimas Arces, Hæreſis ac Vitiorum omnium Exterminatores, Animorum Reformatores, Informatoréſque, omnis denique peſtiferæ conſuetudinis præſentiſſima Alexipharmaca compellabant. Nempe haud aliam ob cauſam, quàm quòd omnium, quæ magna vulgò habentur, contemptores, faſtûs ac pomparum hoſtes jurati; Liliis innocentiæ coronati, precum thure vaporati, aſperæ Vitæ Rubis armati; Inſularum inſequen-

Ser. 47. ſuper Cant. To. 58. ſ 06.

quentium fugâ nobilitati, & quædam veluti omnis Virtutis Sacraria numquam cum hominibus, niſi ut eos in Angelos transformarent, congrediebantur; non de aliis, quàm æternis rebus ſermones inferebant; non in alias Domus, niſi in quas ſeu ad expiandos incolas, ſeu ad abſtergendas afflictis lachrymas, aut adminiſtranda ægris opportuna ſolatia, & moribundis impertienda Sacramenta vocarentur. Vox eorum quælibet Spiritûs Sancti flammas vibrabat, nullum eorum veſtigium, quod non zelus imprimeret; nullum deſiderium, quod non in Europa difficillima quæque itinera, & longa Martyria deſignaret in Indiis. Hac verò tempeſtate quemadmodum ad illam formam vitam exigit major pars Filiorum Ignatii; ita utrum faciant omnes, vobis ſcilicet expendendum relinquo. Id certè non diſſimulârim, ſi hominum noſtrorum quispiam ſæpius in publico, hominúmq; frequentiâ, nec oculis humi conſtanter defixis; nec ore præſcripti ſilen-

ſilentii lege præcluſo ſpectetur; eum in tam diverſum ſpeciem à primis, qui Apoſtolicum hoc vivendi genus apud nos inſtituerunt, ora noſtra commutare, ut qui nos cum illis componit, haud injuriâ, quinam ſimus, interroget. FREQUENTIA PLATEARUM DEDECORAT *Nazaræos, & peregrinam ſpeciem inducit.* Neque verò quod hæc, quam inſectamur, a Majorum virtute diverſitas in vulnere ſpiculum reliquit, exempturum ſe animo meo confidat, qui dixerit, in paucos admodum è ſubditis meis eam cadere. Quippe vel unus aliquis Cometes, qui innumerabilibus ſtellis intermicat, Cælum omne funeſtat, & Terrarum Orbem univerſum perturbat. Age verò, cur non potiùs per ea tempora quibus à ſtudiis vacamus, ad Templa minùs frequentata, campóſque commeantibus vacuos ſecedimus? Illic licebit nobis absque ullius interpellatione precibus inſtare prolixiùs, corda dilatare ſanctiùs, & remotis arbitris animorum noſtrorum ardori

invi-

invicem frena laxare, ac Salomonis vocibus inclamare. *Vanitas vanitatum, & omnia Vanitas!* Quòd si nonnunquam adeunda Templa, quæ Jubilæo consequendo destinata sunt; quid attinet id primis statim diebus, aut iis horis præstitum velle, quas frequentia minùs religiosa occupat? Id potiùs agamus, ut cùm ea necessitas recurrerit, Altaria illa veneremur, cùm vel à paucissimis obsidentur, vel prorsus à nemine. Verbo, priusquàm ædium nostrarum janua se nobis aperiat, oculos nostros Lex Modestiæ dejiciat, & labia obsignet, altérque alterum moneat, *Frequentiâ platearum dedecorari Nazaræos.*

146. Quam ab omni strepitu hominúmque celeritate fugam eò magis exigo, tantóque ampliùs ab omnibus ac singulis meis Fratribus gravissimum fastidium omnis omninò profani luxûs ac pompæ requiro, quanto proniùs esset nos, si magnificas ædes ingressi Babylonicæ vanitatis spectaculis penitus absorberemur, & ipsa, quæ spectamus, aut

magni facere, aut etiam concupiſcere. Præterea, non poſſent externi nos non habere contemptui, veluti ſuarum opum admiratores oppidò curioſos: nec enim interiores animi noſtri receſſus ac privata virtutum ſtudia iis patent, ſed oculorum judicio ſtare conſueverunt. Quàm bene de Societate noſtra ſentirent vel ipſi, qui Niniven ac Memphim colunt, ſi in Domos noſtras paulò familiarior iis aditus præberetur. Enimverò mirarentur, multiplicem ſub ipſum refectionis tempus afflictationum varietatem: ſuſpicerent in Muſæis noſtris aſſidua ſtudia ſacrarum litterarum, ardentes ad Deum preces, Divinarum rerum commentationem, ac cæteram vitæ aſperitatem obſtupeſcerent. Silentium in ambulacris, cæleſtia colloquia in aulis, in hortis abstinentiam tam Religioſam, ut ne frondem quidem attingat; ſummam denique quovis loco ac tempore legum noſtrarum reverentiam devenerarentur. Nunc autem iſtorum omnium perinde igna-

ignari ſunt, uti nos fugiunt ægritudines, ineptiæ, ac furores illorum, quos felices, quos beatos appellamus. Quò fit, ut nec illi nos ſanctos putent, utique quia ſanctitatem noſtram non vident, nec diverſos à vulgo homines exiſtiment, quia cæteris hominibus ſimiles deprehendunt: neque nos miſeros eos eſſe judicemus, cùm externa ſpecies, quam præferunt, quibusdam veluti præſtigiis oculos noſtros deludat, & ab internis, quibus æſtuant, malis aſpectum ſubmoveat. Id nempe nobis uſu venire ſolet, quod olim Africanis mulieribus accidit: quæ cùm fluentibus palliis totum corpus involverent, unum duntaxat oculum ex illo volumine veſtis exerebant, quo cùm quidquid collibitum eſſet, intuerentur; amabant perditè, à nullo redamatæ. *Infeliciſſimas*, ut ait Tertullianus, QUOD ADAMARE MAGIS, QUAM ADAMARI POSSINT. Virtutem noſtram parietes contegunt, vitia in publicum procedunt. Quæ ſanè incommoda omnia declinabimus;

Lib. de Veland. Virg. To. 38. 228.

bimus; si pro se quisque Veteris illius Simeonis imaginem referre studuerit, atque eum vultum in plateas attulerit, quo ille Templum ingressus est. *Et ecce homo erat in Jerusalem, cui nomen Simeon, & homo iste justus & timoratus.* Quem locum Sapientiæ suæ melle Guerricus Abbas aspergit. *Non timentem dixit*, SED TIMORATUM: *non horarium aut perfunctorium volens intelligi timorem, sed qui versus esset in habitum*, QUI ALTIUS HOMINIS IMBIBISSET AFFECTUM, POSSIDERET SENSUM, MODESTIA ET GRAVITATE SERMONEM ORNARET ET VULTUM. Et certè nobilissimam hanc effigiem tantâ fide ac successu in semetipso Aloysius expressit, ut esse Nobis instar Prototypi possit. Ego verò non minùs, ac Simeon ille Christo in amplexum recepto, lætus è vita discedam, si de Patribus ac Fratribus meis omnibus, quos veneror juxta & diligo, mihi aliísque fidem facere potero, tam fixam apud eos Modestiæ ac Verecun-

Ser. 3. de Purific. To. 19, 25.

diæ

diæ ſedem eſſe, ut eos è Religioſis hominibus in Cæleſtes Seraphinos mutaverit, atque adeò: *Ut Modeſtiâ & Gravitate* SERMONEM ORNAVERINT ET VULTUM. Id vos ſcilicet uti præſtatis, ſic impoſterum quoque præſtaturos confido.

A.M.
D.G.

EXHORTATIO XXIV.

In Pervigilio B. Aloysii

Os Justi meditabitur Sapientiam, & lingua ejus loquetur judicium: Lex Dei ejus in corde ipsius.

Psal. 36.

ALOYSIUS GONZAGA ad insignem sanctitatem pervenit, quòd de Deo familiariter loqueretur. Eandem in Joanne Baptista sanctitatem Populi suspexerunt: majorique veneratione sermonis divinitatem, quàm asperitatem vestis sunt prosecuti. Bernardo quoque, ac Paulo piis inter Domesticos sermonibus opus fuit. Augustinus Cœnobiis illis, in quibus profana de rebus profanis colloquia

loquia feruntur, cladem, atque acerbam virtutis jacturam ominatur. Continuò palàm est, quinam in Cœtibus Religiosis ardenter, quique segniter virtutem colant, utrosque enim Alumni sui produnt: alteri quippe piis Ductorum suorum sermonibus permoti ex virtute vitam instituunt, alteri luxum, ac fastum retinent; nempe frigidos Magistros nacti. Quòd si mutuò de cælestibus, æternísque rebus colloquemur, omnes, quos vel litteris instituimus, vel pro sacro Tribunali absolvimus, à terrenis, caducísque rebus revellemus: eámque gravitatem, sobrietatémque vel in ipsis conviviis retinebimus, ut Christi hostes, Zachæos Publicanos, & Magdalenas odoribus perfusas ad virtutis amorem, vitiorúmque odium pertrahamus.

147. B. Aloysius integritatis puriſſimæ ſpeculum, & Perfectionis abſolutiſſimæ Forma, Sanctus, ut inter nos vixerat, obiit. Hanc verò ſanctitatis laudem nec vivus, nec mortuus obtinuiſſet, niſi erga Legis præcepta, & Evangelii Conſilia, inviolatam conſtantémque obſervantiam in animo ſuo conſervâſſet. Qua in re adeò mirabilem ſe præſtitit, ut, cùm etiamnum inter profanos homines, & ſeculi ſui inquinamenta degeret, nunquam vel latum unguem à Decalogi præſcripto deflexerit, ac ſubinde Societati adjunctus omnes Perfectionis Evangelicæ partes, ſanctéque vivendi rationes, quas Eccleſiæ ſuæ Chriſtus commendavit, accuratiſſimo ſtudio conſectatus ſit, atque expleverit. Quibus verò ad eam virtutis excellentiam, quam oppidò pauci ex iis, qui totum pæne ſæculum in ſemotis nemoribus, ætatémque omnem intra Religioſa clauſtra exegerunt, conſecuti ſunt, ipſe Adoleſcens propemodum, ac deliciis Aulicis innutritus Princeps, valetu-

letu-

letudine tenui, aut potiùs nullâ, tam brevi tempore, quo in Domo Dei commoratus eſt, pertigerit, quæri meritò poteſt. Atenim crebros de Deo ſermones miſcuit: & in hac ſanctiſſimorum colloquiorum Angelica exercitatione eò usque profecit, ut per geminas eas horas quæ relaxandis animis ſecundum prandium, cænámque quotidie dantur, eadem illa prodigia, quæ ſub Pentecoſten in Sionæo Cænaculo audita ſunt, in noſtras ædes, domeſticósque intra parietes revocârit. Quam ob rem ſi quis eſt, qui virtutis candorem in Aloyſii pectore demiratur, is ardentes Cæleſtium ſermonum flammas ab ejus linguâ prodeuntes aſpiciat. *Os Juſti meditabitur ſapientiam, & Lingua ejus loquetur judicium.* En tibi: geminas aſſumptiones admirabilis illius Conſecutionis: *Lex Dei ejus in corde ipſius.* Porrò quod Gonzagæ noſtro, idem unicuique noſtrûm pariter eveniet, eadémque miracula in quolibet noſtro Domicilio inſtaurabuntur. Nunquam enim hæc duo

invicem ſeparantur, Sermo pius, & Fervor Apoſtolicus: éſtque adeò neceſſe, ut unde alter abfuerit, alter etiam exulet. Quæ Theſis Allocutionem meam in breviſſima duo capita partietur. Et primùm quidem oſtendam, ampliſſima virtutum cæleſtiúmque Gratiarum præmia Collegiis illis, atque eorum Incolis à Deo perſolvi, apud quos frequens de ipſo ſermo celebratur; Contrà verò cùm pia colloquia conticeſcunt, continuò languere animos, ac virtutis ſtudium intepeſcere.

148. Equidem primis temporibus, cùm huic Cruci humeros ſupponerem, ut Præfecturæ meæ curas, quibus diſtrahebar, quà licebat, dividerem, Provinciarum noſtrarum Rectoribus edixi, ut in iis, quas ad me daturi eſſent, litteris, ſemper perſcriberent; ecquod in Domibus, quas inſpexiſſent, Paupertatis, & Precationis ſtudium vigeret. Exiſtimabam nimirum, ſi duo hæc ornamenta in hominibus noſtris conjungerentur, nempe ſi tam à ſe ipſis alieni, quàm con-

conjuncti cum Deo forent, omnem Instituti nostri perfectionem salvam atque incolumem futuram. Jam verò intelligo, satiùs me facturum fuisse, si ad unum caput imperium illud revocâssem, jussissémque explorare sedulò, an Nostri de Deo rebúsque divinis Domi colloquerentur. Quòd si enim sermo, consuetudóque nostra ad pietatem conformata fuerint, fieri prorsus nequit, ut nobis aut asperitatis, aut Animârum, aut Integritatis studia desint: útque vel cognati sanguinis oblivio, exterorum amor, Martyrii sitis, honorum fuga, commodorum odium, depressionis ambitio; arctissima denique cum Christo necessitudo unquam desideretur. Agite enim, & diversissimam eam rationem, quam in repræsentando Posteris Joanne Baptistâ Scriptores Evangelii tenuerunt, unà mecum si lubet, expendite. Et Matthæus quidem, & Marcus illius durissimam vivendi rationem accurato studio descripserunt: posuerunt quippe sub oculos hinc asperitatem Cilicii, & in-

& inediæ longæ cruciatus, hinc horrorem solitudinis, & remotum à patriâ omníque humano commercio inter feras belluas exilium. Ea verò omnia Lucas præteriit, nullúmque penitus aut vasti nemoris ramum, aut horridæ specûs saxum, aut hirtæ vestis setam, aut feræ ullius rugitum, quæ denso agmine Præcursoris solitudinem infestabant, in paginis suis annotavit; contentus videlicet descripsisse, quæ vis, ac divini sermonis affluentia ejus pectus impleverit, quóve æstu universam Palæstinam, quodam veluti tenerrimarum lachrymarum torrente os illud sanctissimum inundârit. *Factum est Verbum Domini super Joannem filium Zachariæ in deserto.* Ubi autem jejunia, ubi Zona, silva, silentium, Vigiliæ, macies, pallórque Joannis remansêre? Nempe, si, qui de Monacho aliquo vel Antistite differens, eorum virtutes tacet, crimen & injuriam eorum famæ intulisse meritò creditur; quâ ratione Historicus talis ac tantus invidiæ, detractionísque notam

Luc. 1. 2.

vita-

vitaverit, qui res adeò prodigiosas hominis mortalium omnium præstantissimi ingrato silentio involvit? At enim nihil istorum Lucas tacuit, sed unâ eadémq; sententiâ complexus est omnia; cùm Prophetarum omnium Principem Cælestium vocum Organum & Gazophylacium dixit. *Factum est Verbum Domini super Joannem.* Hinc enim continuò consequitur, illum nec Parentum, nec suarum necessitudinum amore, nec honorum ambitione contactum fuisse: nullâ penitus labe se contaminâsse, & supplicia quondam ab Herode inferenda occupâsse voluntario martyrio, & in subacta fame stimulísque membra nobilem stragem jam tum edidisse. Majus igitur aliquid ampliúsque Matthæo Lucas dixit: quippe cùm ille nobis folia tantùm, ac ramos arboris vitæ, quæ in animo sævientis in se se Baptistæ surrexerat repræsentârit, hic compendiosiùs, feliciúsque & radicem ejus, & medullam commonstravit. *Factum est Verbum Domini super Joannem.* Ambrosium

ſium audiamus, qui ſacerdotali maje-ſtate, Theologicóque acumine memo-rati Evangeliſtæ ſententiam explicat, ac commendat. *Bene S. Lucas compendio uſus eſt, ut, dicens, factum eſt ſupra eum Verbum Dei, alia non adderet.* NULLUS ENIM EGET INDICIO SUI, QUI VERBO DEI ABUNDAT. *Unum itaque dixit*, ET OMNIA DECLA-RAVIT. Fac itaque me quoque audi-re, qui dicant, in Collegio quopiam no-ſtro ardentes de Deo ſermones ſeri; at-que ego nihil ultra requiram: ſed ſub-latis in Cælum oculis manibúsque, Chriſto laudes canam, quòd ejus Do-mûs Alumnis omnem vitæ ſanctitatem contulerit. Ain, illos de rebus æternis miſcere colloquia? Igitur in eorum quolibet frontis modeſtiam, compoſi-tionem morum, incommodorum pa-tientiam, Apoſtolica ſtudia, rerum ca-ducarum, Mundique univerſi contem-ptum, obedientiæ reverentiam, Cuſto-diam Legum, & amorem Crucis vene-rari nos oportet. *Unum dixit, & omnia decla-*

Lib. 2. in c. 2. Luc. To. 43. 87.

declaravit, *Nullus enim eget indicio sui*, QUI DEI VERBO ABUNDAT.

149. Quam ob rem iisdem verbis Societas nostra mihi alloquenda est, quibus S. Bernardus, veluti Nazarena in Domo tum maximè versaretur, & salutantem Archangelum audiret, Angelorum Reginam compellavit. Quid est, inquit, ò Virgo? quin voculam profers, quâ de Patris Æterni dextera Omnipotens ejus Verbum in sinum tuum devoces? Quantum enim hoc fœnus est; quanta cælestium usura gratiarum, cùm tibi uno alteróve dicto Verbum illud, quod verbo Mundum unico produxit in amplexum recipere, Filiúmque tuum dicere concessum sit? *Si tu eum facias audire vocem tuam, ipse te faciet audire salutem nostram.* RESPONDE VERBUM, ET SUSCIPE VERBUM. PROFER TUUM ET CONCIPE DIVINUM. *Emitte transitorium, & amplectere sempiternum. Etsi grata in silentio verecundia, magis tamen hîc in verbo pietas necessaria.* Age tu quoque

Hom. 4. super Missus est. To. 41. 115.

Jesu

Jeſu Societas (lubet enim cum Bernardo mihi quoque exclamare) ſi Deum tibi in ſancto Meditationis otio, in negotiorum ſtrepitu, in ſacrarum litterarum ſtudio, in Evangeliorum interpretatione, in cognoſcendis tradendíſque bonis artibus præſtò eſſe cupis, ſæpe de ipſo amantèrque diſſere, certóque te illo ad votum fruituram confide. *Reſponde Verbum, & ſuſcipe Verbum.* Enimvero, parum abeſt, ut dicam, nullam propemodum aut afflictationis, aut virtutis exercitationem me à noſtris hominibus exacturum, ſi modò certus ſim, eos indefeſſo ſtudio teneri de Deo invicem colloquendi; certum enim ea me res faceret, cum eo ardore loquendi, agendi quoque fervorem conſpirare. Quem in finem ego ſingulis per annum diebus, cùm ad Aram facio, Benedicti atque Scholaſticæ præſidia nobis omnibus expoſco, qui noctem integram prodigioſæ pluviæ beneficio, quam ad remorandum Fratris iter Soror impetraverat, adjuti dulciſſimis de Chriſto col-

loquiis

loquiis pervigilem extraxerunt. Eapropter omnes ac ſingulos obſecro, atque obteſtor, hoc ut mihi vitæ planè ſanctæ pignus offerant, curéntque, ut paſſim in iis locis, in quibus ſtatis horis ad colloquendum convenimus, piarum narrationum, cæleſtiúmque argumentorum Angelicæ Voces perſonent. *Profer tuum, & concipe divinum; emitte tranſitorium, & amplectere ſempiternum.* Facit huc, quod à S. Joanne Chryſoſtomo Conſtantinopolitanæ Concioni objectum fuiſſe lego. Querebantur aliqui virtutis pretium grande nimis atque arduum eſſe. Arbitrabantur miſeri vitæ perfectionem illis tantùm obtingere, qui vel ad Chriſti Tumulum peregrinarentur, vel ad exigendam in montibus vitam ſecederent, aut patriâ, cognatóque ſanguine abſtracti, remota ignotáque Indiæ maria tentarent. Quem errorem coarguens S.Doctor, vehementer, inquit, hallucinamini, ò Cives, & Chriſtiani jugi ſuavitatem, levitatémque per ſummam injuriam aggravatis.

 Adeò

Adeò enim facilis, & expedita Integritatis Evangelicæ eſt aſſecutio, ut tum quoque cùm in Prædiis veſtris animos laxatis; aut inſtructis epulis Domi accumbitis, eſſe perfecti poſſitis: ſi modò ablegatis vanis, profanis, curiosiſque argumentis, Sanctorum Virorum Hiſtorias, Oracula Prophetarum, æternæ vitæ immenſitatem ſeriò inter vos expendatis; mutuóque colloquio retractetis. *Non opus eſt, ut aut longo emenſo itinere, aut pernavigato mari, aut ſuperatis montibus, ſalveris: licet tibi Domi ſedenti ſalutem conſequi.* IN ORE NAMQUE TUO, *& in corde tuo* SALUTIS EST CAUSA. Utinam verò Catholici omnes, Religiosíque Cætus eam, quam oporteret, huic ſententiæ fidem adhiberent! Equidem ſunt inter nos multi, qui putent, ad Apoſtolicæ ſanctitatis metas ſe minimè perventuros, niſi poſt enavigatos Oceanos, factáque non ſemel, ſemper verò formidanda naufragia, vel in Æthiopiæ ſcopulis, vel in littore Americano pedem fixerint, aut caput

Hom. 17. in Ep. ad Rom. To. 4. 2. 5 1.

put glaciali Polo ſubjecerint. Ego verò quemadmodum eorum, qui ad remotiſſimas eas Regiones Evangelium cæcis Gentibus illaturi proficiſcuntur, veſtigia pronus deoſculor; ita ut alios, quibus tam illuſtrium expeditionum copia non ſit, & quorum Vota, vel Præpoſitorum imperia, vel ætas, vel corporis imbecillitas fruſtratur, conſoler, certos eos eſſe jubeo, non defuturos nobis imbres, inundationésque copioſiſſimas Spiritûs Sancti, ſi hoſpitium illi piis inter nos collocutionibus, velut Arcam auro gemmísque adornatam, præparaverimus. IN ORE TUO SALUTIS EST CAUSA. Neſcio quâ ratione, quamvis veriſſimè mutua (ut cum Scholaſticis loquar) inter Divinum Spiritum, & pia de Deo verba *Cauſalitas*, ſeu reciproca productio intercedat. Hæc enim de Cælo illum detrahunt, atque hic nunquam ab illis ſejungitur. *Adhuc* LOQUENTE PETRO VERBA HÆC, *cecidit Spiritus Sanctus ſuper omnes, qui audiebant verbum.* De Barnaba verò Apo-

Act. 10.

 ſto-

ſtolo idem Evangeliſta Lucas teſtatur.
Act.11.23. *Hortabatur omnes in propoſito cordis permanere in Domino: quia erat Vir bonus, & plenus Spiritu Sancto, & fide.*

150. Jam non miror Bernardum ex omni beatorum Cælitum felicitate, quorum decora gloriásque liquidiſſimâ cum animi ſui voluptate contemplabatur, unum illud Altare Thimiamatis, de quo Angelus arrepto Carbone Iſaiæ labra quondam emundavit, ſibi depopoſciſſe, ídque iis ſolùm invidiſſe. E beatiſſima illa Civitate, inquit, non gemmas ego Portarum, non pavimenti aurum concupiſco: ſed neque in præſentia Naturæ Divinæ profundum ingredi poſtulo, & immenſo illo cæleſtium gaudiorum Pelago mergi, ut malaciâ perfruar, quam nullus adverſorum flatuum impetus, nullus frementium perturbationum æſtus ſollicitet. Satis habebo, ſi ad eas voces proferendas, quibus Regia illa perſonat, mea lingua erudiatur. At enim neque votis meis, neque neceſſitatibus meis unus duntaxat aut alter emun-

emundantis illius ignis carbo ſuffecerit: quare vel totum cum flammis ſuis Altare, vel tam vaſtum earum globum infimis precibus flagito, ut inveteratam oris mei rubiginem in Eloquentiæ ſacræ puriſſimum aurum momento temporis commutare poſſim. Quod ſi enim digna mihi de Deo, & Æternitate oratio contigerit, & ipſe Sanctus efficiar, & Monachos omnes, qui mecum modò alternos in hoc Choro Pſalmos decantant, in Archangelos convertam. *Utinam & mihi de ſuperno Altari, non quidem carbo unus*, SED INGENS GLOBUS IGNEUS AFFERATUR, *qui videlicet multam, & inveteratam pruriensis* ORIS MEI RUBIGINEM AD PLENUM EXCOQUERE SUFFICIAT. Ea verò ardentiſſimi hujus deſiderii cauſa fuit, quòd Religioſæ vitæ rationes ſolâ ſpe futurorum bonorum, & cæleſtium gaudiorum expectatione ſubnixæ, ſenſuum noſtrorum rationibus vehementiſſimè adverſentur; quô fit ut niſi mutuis, crebríſque colloquiis

Hom. 3. ſuper Miſſus eſt. To. 4 1. 96.

quiis eorum præmiorum, quæ Sacrarum Literarum nobis Oracula promittunt, memoriam excitemus, nósque ipſos ad caducarum rerum contemptum, æternarúmque amorem extimulemus, ad ollas ſuas relicta quondam à tergo Ægyptus nos revocet, & ad florentes ſeculi campos voluptatésq; pelliciat: Ex alterâ verò parte neceſſariò conſequetur, ut Calvariæ Montem arduum aſcenſu, inhoſpitalem, ſterilem, nullo vel flore, vel fronde ſpectabilem, ſpinis undique tribulíſque aſperum, inviúmque vultu animóque averſemur. Hinc eſt, quod tum Apoſtolus, tum Propheta iis, qui ſe in Novâ Lege Chriſti Cruci confixuri eſſent, denuntiavit: eam vitæ formam, quam amplexi eſſent retineri diù nequaquam poſſe, niſi futuræ vitæ bona ſæpe inter ſe, ſerióque commemorarent; quippe facilè nimis ac pronum eſſe, ut de Cruce deſcendat, qui ejus clavos repetitis idemtidem ictibus, Religionis ſcilicet capita, & futuri Regni ſpem gravi ac frequenti ſermone

retra-

retractando, ceu valido malleo penitus adigere, confirmaréque neglexerit. Ita certè ſenſit Richardus de S.Victore. *Juſtus meus* EX FIDE *vivit : Apoſtolica ſententia eſt, ſimul & Prophetica.* Secundum hæc ad Canonicos ſuos ſe convertens eruditus Antiſtes, per ſupremum Numen eos obteſtatur, de Deo ut colloquantur; niſi ejus, quam profiterentur, perfectionis faſtidium capere, & anguſtias Cœnobii cum Babylonis plateis convertere vellent atque commutare. *Si ſic eſt* IMMO QUIA SIC EST, *debemus utique ſtudiosè cogitare*, ET FREQUENTER RETRACTARE SACRAMENTA FIDEI *noſtræ.* Neque vita modò nos Evangelica deſtitueret, niſi de futuræ vitæ myſteriis quotidie diſſereremus, ſed Chriſtus quoq; ipſe in animis noſtris nec viveret, nec valeret. Equidem omnes novimus, Chriſtum, poſtquam ſemel è tumulo redivivus ſurrexit, deinceps non mori; ſed idem tamen immortaliter ſibi vivus nobis emoritur, ſi quando ejus verba, quæ nempe

Proleg. in Lib 6. de Trinit. To.7.56.

cibus illius ſunt, quo ſe in ſervorum ſuorum corde ſuſtentat, nobis defuerint. *Revera res mira.* (Verba ſunt Guerrici Abbatis) *ſed res vera*, VERBUM PASCITUR DE VERBO, *Filius vivit de ſe ipſo: quia ſicut Pater vitam habet in ſemetipſo, ſic dedit &* FILIO VITAM HABERE IN SEMETIPSO. Hinc ego ineluctabilem conſecutionem deduco in hunc modum. Sine Chriſto Mare fluctus ciet, Navis quatitur, Petrus mergitur: at verò ubi præſtò Chriſtus eſt, obſeſſa corpora Dæmon deſerit; è ſepulchro conſurgit Lazarus; Zacchæus, ac Matthæus ad Deum ſe ſe convertunt. Quod ſi autem nec vivere Servator vult ubi non paſcitur, nec alius ejus cibus eſt, quàm qui de ipſius vitâ, Doctrinâ, & Regno ſermones conferuntur; neceſſe eſt, cum illo emori, qui de ſe non loquitur: &, quemadmodum vivus eum, à quo recipitur, ſanctum efficit; ſic ubi à nobis ob inopiam alimenti abactus diſceſſerit, continuò in nos graviſſimas tempeſtates exſurgere, horrenda naufragia occur-

Ser. 3. de Annunt.
Jo. 19. 45.

occurſare, mortéſque irreparabiles imminere. *Verbum paſcitur de Verbo, Filius vivit de ſeipſo.* Avertat Deus à Cœtibus ſacris infelicem illam Metamorphoſim; nec ſinat, ut pro virtute, quam piis ſermonibus amplificârunt, vanis deinde colloquiis interitum ſibi accerſant.

151. Ne verò putes, infirmæ tantùm virtuti, & quæ præſidio, quo precandi ſuíque vincendi ſtudium eam obarmat, deſtituta ſit, periculum illud imminere; Paulum enim Apoſtolum tibi exhibeo magnopere ſibi diffidentem, ne alius à ſe ipſo evadat, ſi familiares ſuos alloquendi, & pietatis præceptis informandi opportunitas ſibi aliquantò diutiùs differatur. *Nos autem* 1. Theſſ. 2. *Fratres, orbati à vobis ad tempus, aſpectu non corde, abundantiùs feſtinavimus, faciem veſtram videre cum multo deſiderio.* Cujus rei admiratione defixus Chryſoſtomus negat, capere ſe poſſe, tanto Eccleſiæ Principi tam gravem à Theſſalonicenſibus Neophytis abſentiam videri. Túne autem, inquit, Paule, qui Mun-

do crucifixus, ac mortuus ſis; qui tanto in Chriſtum Jeſum amore feraris; qui haud ſegniùs ad Cælum, quàm ad patriam ſuam alius, iter urgeas; qui catenis oneratus, flagellis conciſus, viperarum morſibus appetitus, tot nominibus Deum tibi obſtrinxeris, ad tam indigna vota deſcendas, ut populi à te ad Chriſtianam Fidem converſi deſiderium non feras, & colloquium concupiſcas? *Heus tu*, CONSPECTUM EXPETIS? *& quidem vehementer, inquit. Abundantiùs feſtinavimus faciem videre cum multo deſiderio.* Quibus verò ſtimulis actum fuiſſe tantum virum credemus, ut convenire eos homines, in quibus nihil non vulgare ac mediocre foret, adeò impotenter cuperet, ut eorum abſentiam haud aliter lugeret, quàm ſi chariſſimis rebus orbatus eſſet? *Orbati ſumus usque ad tempus.* Nimirum deſiderium illud, quo flagrabat cum Neophytis ſuis familiariter de Deo colloquendi, patientiam Apoſtoli tantum quæſtum intercipi ſibi dolentis ſupera-

Ep. 2. ad Olymp. To. 4. 0. 7.

pera-

peraverat. *Nudus enim animus* (ita concludit orationem Chrysostomus) *per se nec audire, nec dicere quidquam poterit. At si mihi præsentiâ frui contingat*, ET ALIQUID IPSE DICAM, *& ab iis, quos amo*, VICISSIM AUDIAM. In memoriam scilicet Gentium Magistro redibant Noctes illæ, quas cum filiis suis simpliciter & amicè in amoris, quem Christo causâ nostrâ mortuo summum debemus, suavissimâ commemoratione, mutuísque sermonibus, quibus illi se se invicem ad æterni regni cælestiúmque præmiorum spem animabant, olim transegerat. Et quoniam à Sanctissimis illis collocutionibus locorum distantiâ excludebatur, vereri cœperat, ne quas olim Cælestis Regni spes conceperat, amorésque, quos in ipso fusus à Servatore suo sanguis accenderat, paulatim remitterentur, atque tepescerent. ORBATI A VOBIS *festinavimus faciem vestram videre. Si mihi præsentiâ frui contingat, aliquid ipse dicam, & audiam.*

152. Age

152. Age verò, ſi talis ac tantus Apoſtolus, poſtquam immenſam lachrymarum vim ex oculis profudiſſet; poſtquam manifeſtis, prodigiosíſque viſis illuſtratus fuiſſet; poſtquam invicto animo ærumnas maximas, ac cruciatus acerrimos pertuliſſet; poſtquam novo poſt natos homines prodigio ad ſuperos evectus in tertio, eóque ſupremo Cælo commoratus eſſet; ſi Paulus, inquam, poſt hæc omnia, timere potuit, ne pietatis ipſum ardor deficeret, niſi eam divinis colloquiis foveret: qui caſus, quæ ruinæ nobis impendent, niſi piis ejuſmodi collocutionibus inflammare nos ad vitæ ſanctitatem quotidiè ſtuduerimus? Enimverò unicum virtuti alimentum illæ miniſtrant. Sicut ergo ſi cui complures dies cíbum ſubtraxeris, ſit licet ille validæ atque Athleticæ habitudinis vir, pallorem genis, membris maciem induces, vires detrahes, & cadaveri ſimiliorem, quàm homini, omnibúsque tum Vitæ, tum Reipublicæ muniis prorſus ineptum efficies:

cies: sic Animi nostri, cùm vitalis illius Panis, quo se virtus eorum sustentat, penuriam senserint, vigorem amittunt, ac vitam: & in fædas Teporis Larvas, ac spectra quodammodo mutabuntur. Nec feliciora subjectis imperio suo populis ominatus est Augustinus. *Certissimè scitote Fratres, quia qualis est Caro, quæ post multas dies non percipit cibum, talis est Anima*, QUÆ ASSIDUE NON PASCITUR VERBO DEI. *Et quomodo Caro per famem velut simulachrum efficitur; ita & Anima*, SI VERBI DEI CIBO NON PASCITUR, *arida & inutilis*, ET AD NULLUM OPUS BONVM *congrua invenitur*. Ex hâc porrò luctuosissimâ strage, quâ opprimuntur, qui de cælestibus rebus altùm silent, conjicias licet, quod exitium, quæ pestis vastatura illos sit, qui piorum sermonum inopiam infelici profanarum curiosarúmque narrationum eluvie superobruunt. Nempe, qui cibo se abstinet, marceat, ac sine ullo virtutis motu jaceat oportet; numquid igitur non in

Ser. 56. de Temp. To. 42, 46.

putre

putre cadaver eum resolvi necesse est, qui veneno hausto suâ se manu inficit? Verus nimis Vates extitit Sanctus Ephrem, cùm virtutis excidium, & turpissimarum cupiditatum jugum passuros prædixit, si remotis à familiari nostrâ consuetudine Divinis Litteris, & Sanctorum Virorum Annalibus, profanis argumentis, & Scenicis Jocis linguas aurésque nostras polluerimus. MUNDANA COLLOQUIA PASSIONES, *atque affectiones pravas in corde Monachi* COMMOVENT. Neque hîc acerrimus Anachoreta dicendi finem facit, sed Leonis instar recepto in viscera telo furentis, tantâ dicendi vehementiâ in Monachorum suorum teporem ac licentiam invehitur, ut non dubitet eorum Cœtus, ac Colloquia eo genere dicendi dehonestare, quod in speluncarum nemorúmque habitatores cadere nullo modo posse videbatur, quódque à me non sine horrore referri potest. *Nihil quod sit utile loquuntur.* SERMONES EORUM LAQUEI SUNT MOR-

Paræn.40. ad Eulog. To.30.70.

Serm. Attende tibi. To.30.57.

MORTIS, *impunitas, risus, perditio animæ*, AC DIRUS ANGUIS, *qui loquitur per ipsos.* Cúmque accusationis hujus acerbitatem illi non ferrent, & imprudentiam inhumanitatémque ejus, qui vel falleret, vel falleretur, arguerent: negaréntque tam gravem Religiosæ Disciplinæ perturbationem, quantam ipse crederet, ex qualicunque illâ colloquendi libertate consequi tum vel maximè commotus animo Ephrem perperam eos ratiocinari vociferabatur: quippe Crucis, Vocationis ac Virtutis fastidium haud nasci Gigantem, sed subinde effici, quamvis in ortu suo Infantuli speciem præbeat: eum, qui modò campos inundet, ac flumen appelletur, rivulum in fonte suo fuisse. Ita quod studiorum remissioni, gravitatísque laxamento aut summùm gloriolæ alicui, quâ quis rerum humanarum, civilis & equestris Disciplinæ, ac Principum moris non planè rudis videri cupit, datum fuisse credi poterat, id subinde in Religiosæ Modestiæ manifestum contemptum, & in aper-

apertam cupiditatem degenerare populorum plausu perfruendi, ac sub ipsâ Cruce deliciis indulgendi. *Parva esse videtur*, ET FIT INFINITA. *Unius generis corruptio putatur, sed vim continet multiplicem.*

Ser. Ascet. ad Frat. To. 31. 81.

153. Quâ verò ratione factum arbitramini, ut tot Sacrorum Ordinum Alumni, qui olim in speciem Apostolo dignam se assurrecturos haud dubiam spem fecerant, subinde perexiguæ, aut nullius virtutis homuli potiùs, quàm homines remanserint, nisi quia in eos Sodales inciderunt, qui de Perfectione Religiosâ, & sentirent humiliter, & frigidè loquerentur? Vix est infelicium illorum quisquam, cujus sortem miserati, & cruentis lachrymis deflentes sacratioris Disciplinæ Custodes, illud Lucæ ingeminant: *Hic homo cœpit ædificare, & non potuit consummare.* Vix est, inquam, ullus, qui probrosam illam calamitatem non iis acceptam referre debeat, quorum ignavis sermonibus ab opere revocatus est. Vin' autem in eo

Luc. 14. 30.

fasti-

faſtigio, in quod animos noſtros ſuſtulimus, perſiſtere; vel altiùs etiam eniti? Hoc age, & generoſo faſtidio aures iis occlude, qui de Deo tria verba dicere nequeunt; & de profanis rebus, de privatis emolumentis, ac dignitatibus inferre ſermonem, novúmque adeò & ignotum hactenus, atque omnibus, qui Religioſæ linguæ aſſueverunt, planè Barbarum Idioma in conſuetudinem ac congreſſus noſtros audent invehere. Ita planè S. Paulinus Epiſcopus Severum commonuit. DISCEDE AB HVJVSMODI, *& profanas vocum novitates devita, ne incipias ægrotare, & pericliteris* A FALSIS FRATRIBVS; *aut* A PERDITIS REPROBATISQVE SAPIENTIBVS: *& omnes, qui videbunt, inſultante Zabulo, dicant. Hic homo cæpit ædificare, & non potuit conſummare.* Eam obrem infuſus lachrymis Auguſtinus, primo Confeſſionum ſuarum libro, clamabat. VÆ TACENTIBVS DE TE. MISERERE, VT LOQVAR. Et profectò Legum noſtrarum ſanctiones

Ep. 63 ad Sever. To. 52. 56.

Lib. 1. Confeſſ. c. 5. To. 13. 97.

nes immotæ manebunt, atque haud dubiam abſolutiſſimæ Perfectionis palmam è pulcherrimâ æmulatione virtutum referemus, ſi ea mutuis colloquiis argumenta verſabimus, quæ in animis noſtris humanæ ſuperbiæ, Regiíque faſtûs Coloſſos evertant; extollant verò, ac mirabili ſplendore illuſtrent divina contemplantium ſolitarios ſcopulos, nuditatem ſævâsque ſua commiſſa ulciſcentium pænas; itinera, labores, induſtrias, ærumnas eorum, qui ritu Apoſtolico Pagos, urbésque circumeunt; qui Chriſtianæ Fidei elementa pueris tradunt; qui ad ferenda fortiter ſupplicia damnatos hortantur; qui homines improbos vel carcere concluſos, vel tranſtris affixos ad melioris vitæ capienda conſilia inducunt. Quòd ſi verò his tam ſalutaribus ſententiis aliæ haud paulò diverſæ ſuccederent, quæ pretium, immeritámque admirationem conciliarent ventoſis Mundi bullis, Faſcibus, Thiaris, quæ quidem, quàm ſunt ſuâ naturâ omni veneratione digniſſimæ, tam

alie-

alienæ pariter ſunt ab eâ demiſſione Animi, quam Chriſto ſpopondimus; enimverò commemorationes ejusmodi mentem nobis vaniſſimis imaginibus, & importunis cupiditatibus implerent, quæ immortali cum nominis noſtri dedecore fabuloſos Poëtarum Tantalos in Servatoris Eccleſiam referrent, fugacia nimirum poma, fallacésque undas ſicco hiantiq; ore captantes. VÆ TACENTIBUS DE TE! Quod genus Monſtri, profanas nimirum cupiditates ſub veſte ſacrâ latentes, non niſi Verbum Divinum prohibere à nobis poteſt: avidè proin' eò properemus neceſſe eſt, ubi ejus nobis copiam fore ſperamus; magnis vocibus cum Paulino ingeminantes: *Ubique captemus cibum vitæ*, UBIQUE AUCUPEMUR VERBUM DEI, *de omni Fidelium ore pendeamus. Ubicumque reſonaverit Chriſti nomen, accurram.* Quod monitum neglexiſſe, capitale eſt, nec mitiùs, quàm morte vindicatur: illius proinde ſalutem conclamatam habe, qui laxati ſilentii tempora,

Ep. 4. ad Sever. To. 5 2. 40.

ra, vel jocis, ut rideat; vel prudentiæ haud ſanè Religioſæ præceptis, ut ex obſcuritate ſua emergat, atque inter Contubernales emineat, maximè ſub vitæ ſpiritualis exordia traducit. *Riſus porrò & impunitas* INSTAR VENENI *Novitio obeſt.*

S. Ephrem ad Eulog. To. 3. o. 70.

154. Equidem hîc excipient aliqui, ita ſe ſemper exiſtimâſſe, illos nimirum, qui nuper Religioſis Cœtibus ſe ſe adjunxerint, piorum colloquiorum lacte in eâ virtutis infantiâ magnopere indigere: ídque S. Ephremi teſtimonio, & rebus paulò antè dictis demonſtratum eſſe: at verò hominibus, qui jam olim in ſacris Cœnobiis vitam agitare cœperint, in rebus gerendis, publicíſque muneribus diù verſati ſint, denique qui Scholaſtico in pulvere multùm exercitati de ſuperiore loco divinas humanáſque diſciplinas profeſſi fuerint, tam anxiâ linguæ moderatione, ac tantâ verborum ſimplicitate haud quaquam opus eſſe videri, neque veluti novis in Mundo hoſpitibus, quid in eo geratur, igno-

ignorare concessum esse. Haud equidem inficias iverim, multò majus illi periculum à profanis sermonibus imminere, qui in Palæstrâ virtutis etiamnum Tyro, quàm ei qui veteranus pugil & jam rude donatus est. Illud verò nego, pernegóque, à Viris ætate ac Sapientiâ conspicuis argumenta sacra vel sub ipsum communis recreationis tempus non convenientissimè pertractari. Agite verò, satísne magnus vobis videtur universi Orbis Christiani Pontifex? Satísne sapiens ille à vobis existimatur, quem primum maximúmque eorum omnium, qui veteris Legis Mysteria interpretati sunt, Ecclesia Doctorem venerata est? Quod si ita, ut par est, sentitis, Pontificis Damasi ad S Hieronymum Epistolam recitemus. Quoniam, inquit, Roma, interjectis terrarum, mariúmque spatiis, à Bethlemiâ speluncâ me dividit; nec licet nobis, vel de Prophetis, vel Evangeliis unà colloqui: quod reliquum est, linguæ officium stylus occupet, atque ultrò citròque Literæ

commeent Divino Spiritu plenæ: ídque non ob eam modò causam, quòd hominibus in hoc exilio degentibus nihil optatiùs, aut suaviùs possit accidere; verùm etiam, quòd ii, qui Dignitate atque ingenio primum inter mortales locum tenent, summo id sibi ornamento ac decori ducere debeant. *Neque verò* ULLAM PUTO DIGNIOREM CONFABULATIONEM FORE, QUAM SI DE SCRIPTURIS SERMOCINEMUR INTER NOS; *quâ vitâ nihil puto in hac vitâ jucundius: quo animæ pabulo omnia mella superantur.* Quam Damasi Epistolam apud Hieronymum leges. Idem cum his multò verò antè sensit Rex David, cùm affirmaret, nihil adeò jucundum, illecebrosum adeò reperiri, dum quidem mortali hoc corpore captivus animus attinetur, quod cum cælestium ejusmodi sermonum deliciis componi possit. *Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua! super mel ori meo.* Quòd si hæc verè dicuntur, & primo Societatis seculo, cùm sapientissimi, admi-

Ep. 124. To. 17. 315.

Psal. 118.

mirabilésque Viri illi florerent, qui dicendo ſcribendóque hæreſim confixêre, Religionem aſſeruêre, Concilia illuſtrârunt, Regna integra Eccleſiæ ſubjugârunt, eorúmque Reges ad opprimendos errores, ad veritatem tuendam corroborârunt. Si tum temporis, inquam, Noſtri privatim ac publicè, Domi, foríſque in conclavibus, in plateis, in ædium noſtrarum veſtibulis, in Palatiis, in Regum Aulis, cum domeſticis, cum cæteris, haud de alio argumento, quàm de Deo, verba fecerunt; quis deinde Cœtûs illius membrum ſe dicere auſit, qui ſub ipſum piorum colloquiorum exordium vultum contrahit, & frontem exaſperat? Si porrò inter innumerabiles alios, qui Aloyſium noſtrum imitati, de Chriſto magno animi ardore diſſerunt, eſt quiſpiam, qui conferre ſymbolam ſuam, orationémque dedignetur, videat etiam atque etiam, ne prodigioſæ illæ metamorphoſes, quas in Ezechielis Quadrigâ miramur, in ipſum ſervatâ in pejus ſimilitudine transferantur.

tur. E ſanctis illis Animalibus illud, quod Bovem referebat, in Cherubinum ſubinde mutatum eſt. Miſeros verò nos, ſi, poſtquam ingentem illum Divinæ Gloriæ Currum tales ac tanti Viri traxerunt, qui ob ſumma omnis ſapientiæ decora, & ſingularis virtutis exempla veluti totidem Cherubini ab omnibus & habebantur, & colebantur; hac ætate noſtrâ pauci illi quidem, cum ſummâ tum ipſorum infelicitate, tum inſigni probro Currûs illius, quem Terrarum Orbis ſuſpexerat, & Deus copioſiſſimis donis exornârat, in Boves abirent. Enimverò in ſtolidiſſimæ hujus pecudis naturam degenerat, qui cùm priùs velut Angelus quidam, Divinæ Majeſtatis immerſam Contemplationi, diviníſque laudibus ebriam mentem habuerit, ſubinde viliſſimi fœni cupiditate ſuperatur, eóque paſcitur, gaudet, vivit. BOS (quemadmodum Richardus Litteris commendavit) CUM FŒNUM ACCIPIT, PRO SUMMIS DELICIIS DUCIT, *& nihil lautius*

Lib. 2. c. 40. de erudit. hom. inter. To. 76. 1 51.

requi-

requirit. Ergo fœnum, quasi Bos, comedit, qui gaudium suum in temporali gloriâ ponit. Quid autem deinde mirabimur, si sacrorum voluminum favus negligitur, éstque illi fastidio, qui mutatus in jumentum, herbis sibi ventrem distendit? Quâ in re velim animadverti, profanos ambitionis servos, si quando in Boves mutantur, trifoliis tamen, Thymo, ac Serpillo famem explere. Quod si verò Religiosorum hominum quispiam in brutum ejusmodi animal converteretur, is carduos, filicem, & urticas hianti ore captet oportet. In hoc enim Mundi Theatro, Mitras, Coronas, Purpuram Fastus ostentat, suósque Sectatares Magnorum Exercituum Duces, Rerumpublicarum Dictatores, Regnorum Administros, Consules, Thalassiarchas, Regum amicos partim esse jubet, partim ut se olim futuros sperent, hortatur. Apud nos verò, vix licet superbiæ, vel Cathedram sublimiorem, vel suggestum nobiliorem, vel Præfecturam ampliorem proponere. Quæ cùm ita

 sint;

ſint; fieríne poteſt, ut, cùm plures veſtrûm in opulentis, illuſtribúsque familiis nati, ſpes, résque omnes ſemel abjeceritis, eò usque animos demittatis, ut res ejusmodi, quæ non modò ſpebus illis, quas Deo victimas immolâſtis, ſed vel ipſâ indole, quam nulla ſive conditionis, ſive veſtis mutatio mutat, nimis indignæ ſunt, vel aſpectu dignari poſſitis? *Ergo fœnum, quaſi Bos, comedit, qui gaudium ſuum in temporali gloriâ ponit.* In hunc modum deformati mella videlicet abominamur, & cicutis implemur. *Væ, væ tacentibus de te.* Quare quisquis cor habet, ac Deum mente gerit, non poteſt non junctis manibus & ardenti prece Chriſtum iis verbis compellare: MISERERE UT LOQUAR.

155. Porrò ſi profana colloquia, tametſi privatos intra parietes, iísque temporibus, quæ relaxandis animis indulgentur, tantam nihilominus perniciem Religioſis animis inferunt; quam deinde ſtragem virtuti, quam famæ ſuæ labem imponat neceſſe eſt, qui poſt-
quam

quam Mundum res ſuas ſibi habere juſſit, inter ejus amatores, de terrenis potiùs, quàm de cæleſtibus rebus diſputat. At minùs hoc fortè videbitur ad eam turpitudinem, quâ ora Religioſa ſe contaminarent, ſi quando cum Samariæ Civibus congreſſi prava eorum conſilia, & prætextatos ſales calculo ſuo comprobarent. Equidem hoc genus oblectamenta, ſi vel ipſos Ægyptiorum vultus fuligine tingunt, atque inquinant; quàm fædis ſtigmatibus, graveolentibúsque ulceribus Nazaræi alicujus faciem deformarent? *Erras*, inquit Chryſologus, NON SUNT HÆC LUDICRA: SUNT CRIMINA. *Nemo cum Diabolo jocatur impunè.* Itáne verò ii, quos Deus Apoſtolorum Hæredes, & Terræ ſalem dixit, quíque omnis corruptelæ veſtigia, quæ ſe fortè Philiſtæorum & Moabitarum conſuetudini miſceret, erodere, induceréque debuerant, corrumpi ab iis ipſis ſe ferent? riſum ſociabunt? vel etiam provocabunt? & eorum carcinomata in immenſum laxabunt? *Non ſunt hæc ludicra, ſunt crimina.* 156. Quæ

Serm. 155.
To. 13. 182.

156. Quæ quidem res eò minùs animum meum ferit, quòd hæ jocorum ambiguéque jactorum ſermonum abſurditates vitia ſint ejusmodi, quæ fingi ſolùm, non verò in quemquam, qui Chriſtum induerit, & ejus præſidio cingitur, cadere re ipſâ poſſint. Illas longè magis ſententias timeo, quæ Mundi hujus Incolas, ab opinione, quam de ſe, rebúsque caducis habent eximiam, non abducunt. Heu! quantum de Mundo multorum ora proferunt, & aures bibunt! Quisquis olim noſtrorum hominum conſuetudine utebatur, is opes ſuas, ampliſſimámque dignitatem aut omittebat, aut non ſine gemitu retinebat; certè nec prece, nec pretio prênſabat. Eâ nimirum dicendi vehementiâ Primi noſtri Patres caducarum cupiditatum infelicitatem demonſtrabant; eóque ardore animi Crucis humilitatem extollebant, ut is demum beatus haberetur & felix, qui, rebus omnibus abjectis, vitam omnem in virtutis, animarúmque faciendo quæſtu collocaret.

De

De his aliísque, quorum illi exempla ſecuti ſunt, vaticinatus fuiſſe Salomon videtur, cùm Fidei Chriſtianæ Alumnos, quos Apoſtoli, Sanctíque Aſcetæ oratione ſuâ perſuaſerant, ab omni ambitione & avaritiâ alienos deſcribens, Eccleſiam exclamare coëgit. TULERUNT *pallium meum mihi* CUSTODES MURORUM. Quam ſententiam tam illuſtri orationis lumine S. Gregorius exornat, ut Vaticinii ſplendorem quaſi præumbrans inobſcuret. *Pallium*, inquit, *tollunt, quia* SI QUID POMPÆ SÆCVLARIS RESIDVVM ERAT IN CORDE, EXHORTATIONIBVS SVIS AB ANIMO AVFERVNT. Enimverò præ doloris magnitudine quantâ poſſem contentione vociferari, & præ pudore faciem utrâque manu velare deberem, ſi, cùm è profanorum hominum pectore omnem vel tenuiſſimam fibram, quâ faſtus aliquis, cupiditas aliqua, vel ambitio qualiſcumque hæreret, efficacitate noſtri ſermonis evellere noſtra Provincia ſit; vel unus aliquis inter innumerabi-

Cant. 5.

Expoſ. in cap. 5. Cant. To. 32. 443.

rabiles, qui ſub Ignatii ſignis militant, cenſeretur, qui in eorum animis, qui Domos noſtras ac Templa frequentant, ſi qua fortè rerum inanium cupiditas fixa eſſet, non jam funditus extirparet, ſed per ſummam ſtultitiam, vel inſereret, vel altiùs etiam defoderet. Proh Deus immortalis! facinúsne tam indignum, tam fœdum excogitari poteſt, ut is, qui patrimonium, ac quidquid omninò vel offerre Mundus, vel promittere poterat, abdicavit; ſubinde in aliis auri ſitim, honorúm ſtudia, & Magiſtratuum ambitionem adulatione turpiſſimâ excitet? Hæccine illa de Chriſti Miniſtris edita oraculo ſors eſt? Hóccine eſt magnifica pallia detrahere, & ad Paupertatis Evangelicæ amorem ſtimulare? *Tulerunt pallium meum mihi* CVSTODES *murorum*. Hunc tu nimirum Gregorii Magni Verbis in Cælum feres? Huic ſcilicet Apoſtolicum illud robur ineſſe dices, quo ille omnes, qui Chriſto famularentur, præditos eſſe demonſtravit, ut verborum ſuorum non tam effi-

caci-

cacitate, quàm, ut sic loquar, omnipotentiâ, omnem quantumvis inveteratamCommodorum acHonorum opinionem ex humanis animis eximere, & ex ipsis visceribus abstrahere queant? *Si quid pompæ sæcularis residium erat in corde*, EXHORTATIONIBVS SVIS AB ANIMO AVFERVNT. Itáne verò *ab animo auferunt*, si reperire interdum è tot millibus unum quidem unicum est, qui adeò nullam Votorum à se nuncupatorum memoriam retineat, adeò absorptos perituris rebus sensus habeat, ut inerti stupore miretur, quem ex humiliore fortunâ sustolli videt, & prostrato in humum corpore veneretur, quem Dignitatis cujusdam altius fastigium recepit? Non hæc profectò quondam mens & oratio fuit, at ne nunc quidem sunt, nec omninò esse possunt eorum vota ac verba, qui æterna illic præmia, æternas esse pœnas intelligunt: qui noverunt quàm angusta vitæ, quàm incerta mortis tempora, quàm breve punctum Orbis Terrarum, omniáque nihil

nihil ſint. Enimverò ſi ſecus differeremus, vel ipſi Aſſyriorum Satrapæ, abjectos nos, & gloriæ cupidos, ſuámque nobis fortunam non miſerationis, ſed invidiæ materiam miniſtrare, arbitrarentur. Tyrus quoque ac Sidon, ſi exercitus ſuos, ac bella Iſraëlitarum ſermonibus recenſeri, Palatia ſua, Viridariáque celebrari audirent, non poſſent non in eam opinionem adduci, majus videlicet Palæſtinis, quàm Civibus ſuis inanium umbrarum, ac vaneſcentis fumi, deſiderium ac pretium eſſe. At enim contrà ſe res habet; nam qui eo animo in Sanctæ Sionis Urbem ſe recepit, ut eò loci Teſtamenti Arcam veneraretur, omnésque tum vitæ ſuæ dies, tum animi ſui propenſiones obſequio Tabernaculi conſecraret, nunquam is conſanguineis ſuis aut Conſulares Togas, aut Imperatoria Paludamenta elaborabit; retexet potiùs; omnibúsque, qui ſecum verſantur, vel ſaccos præbebit Apoſtolicæ Profeſſionis inſignia, vel Cilicia occultæ auſteritatis arma miniſtrabit.

bit. TULERUNT PALLIUM MEUM CUSTODES MURORUM.

157. Id enim verò videre licet in iis, qui Magiſtros nacti ſunt,quorum unum ſtudium eſt, ac ſola de ſacris Prophetarum & Evangeliſtarum Oraculis diſſerendi cura. Quemadmodum enim, qui nullo mentis ardore, nullo pietatis ſenſu diſſerit, ſectatoribus ſuis, iiſque, qui animos illi ſuos expiandos, & in dubiis rebus conſilio juvandos tradidêre, palpum obtrudit, frena licentiæ laxat, nec ambitionis modum ponit: ita egregiorum Sacerdotum, Religioſorúmque Præceptorum Alumni, atque Diſcipuli, nihil nec in geſtu, nec in inceſſu,nec in cultu corporis, nec in animi motibus immoderatum præferunt, & tum oris modeſtiâ, tum compoſitione morum Ducum ſuorum pietatem, & eorum, quibus colloquuntur, Apoſtolicam virtutem palàm omnibus exhibent. Id nempe diſcrimen inter Hieronymi & Joviniani Auditores olim notabatur. Hi omnibus Chriſtianæ Diſciplinæ frenis,

novo illo Epicuro addente animos, exſoluti, Circenſes ludos paſſim ſpectabant; ſilvas venationibus inquietabant; in nuptiis choreas agitabant; cæſariem unguentis perfuſam totis humeris per ſummam laſciviam explicabant: Quid multa? nulli dubium faciebant, è quâ Scholâ prodirent molles ii, ac petulantes Troſſuli. At verò, qui graviſſimi illius Senis præceptis formabantur, veſte utebantur vulgari; juveniles ludos devitabant; Martyrum Tumulos adibant; Virorum ſanctitate illuſtrium geſta relegebant, virtutis Doctores audiebant; ſqualido, attonito, perfuſóque lachrymis vultu demonſtrabant, quem Conſcientiæ ſuæ Ducem ſequerentur, cujus præceptionibus ad eam Modeſtiæ ſpeciem eſſent inſtituti. *Quoſcunque formoſos, quoſcunque calamiſtratos, quos crine compoſito, quos rubentibus buccis video*, DE TUO ARMENTO SUNT. DE NOSTRO GREGE TRISTES, *pallidi, ſordidati*, ET QUASI PEREGRINI HUJUS SÆCULI, *licet ſermone*

Lib. 2. adv. Jovin. To 17, 236.

mone taceant, HABITU LOQUUNTUR, *& gestu: Hei mihi, quia peregrinatio mea prolongata est!* Sic ille. Sed enim hâc etiam tempestate diversitas ejusmodi deprehenditur, cùm oppidò manifestum sit, quantò graviores ii, honestiorésque sint, qui seu in Gymnasiis, seu in Templis in probos peritósque Duces inciderunt. Utinam verò non omnium digitis monstrari hodiéque posset effrenata juventutis licentia, & Nobilitatis impotens ambitio, cum insigni quidem ejus dedecore, qui, cùm alterius in Scholis erudiendæ, alterius pro sacro Tribunali absolvendæ curam suscepisset, neutram tamen, ut par erat, & muneris sui ratio postulabat, instituerit. Quid verò est, quod non perinde unicuique nostrûm, ac Servatori quondam, usu venit? Et ille quidem nullas Publicanorum preces expectavit, ut ad cænam condiceret; sed injussus & invocatus assedit; quin Zachæum è Sycomoro coëgit descendere, séque ut hospitali mensâ reciperet, imperavit. Num

ergo, qui natus in ſtabulo, & in Cruce vitam poſiturus erat, epulas ſectatur, & ambit convivia? Sine, ſectetur: ſuorum enim ſanctitate ſermonum dapes in ſacrificia, & vina in pœnitentium lachrymas convertet. *Zachæus in Sycomoro, Cæcus in viâ. Alterum* SANATURUS INTERROGAT, inquit Ambroſius, APUD ALTERUM *ſe non invitatus invitat.* SCIEBAT ENIM UBEREM HOSPITII SUI ESSE MERCEDEM. Sanè Chriſtus cum fœneratore discubuit; ſed ſub ipſum epularum tempus in largiſſimas eleemoſynas rapinæ ſe refuderunt. Pranſus eſt cum Simone; ſed eò loci Magdalena impuritatem ſuam lachrymis delevit. Apud Leproſum cænavit; ſed alabaſtra, quæ priùs impuris flammis materiam miniſtrabant, in obſequium Charitatis, & Divinitatis cultum conſecrata fuerunt. *Sciebat,* SCIEBAT UBEREM HOSPITII SUI ESSE MERCEDEM. Optarem profectò, Sacerdotes noſtros crebrò Magnatum menſis aſſidere, ſi certò mihi conſtaret,

Lib 8. in Lucam. Io. 13. 98.

ſtaret, fore, ut eorum vocibus veluti cæleſtibus flammis convivarum corda colliqueſcerent. Quàm autem vereor, ne accidat interdum, ut dum in magnis ædibus accumbimus, nec earum Dominis præſentia noſtra Mundi, quem olim calce abjecimus, contemptum ingerat, & aliquem ejus, ſi non amorem, certè exiſtimationem in nos Convivæ refundant! Timeo, inquam, ne dum de Regno Dei tacemus, & de Cæſaris Regno Hoſpes diſſerit, reſtinctis erga Religioſam Modeſtiam ſtudiis, majorem, quàm priùs, humani faſtûs atque potentiæ admirationem domum noſtram referamus. Illud ergo Auditoribus meis proponam, quod ad Pammachium Senatorem S.Hieronymus ſcripſit: qui, cùm in Cœtibus Ethnicorum multis multorum argumentis impugnari & cachinnis explodi Corporum Anaſtaſim frequenter audiret, eò deductus eſt, ut niſi ſe ipſum idemtidem corroboraret, ejus apud ipſum myſterii fides periclitaretur. Cur autem tu, inquiebat Hierony-

mus, non totâ contentione vocis exclamas, & illorum perfidiam redarguis, & Religionis præſidiis munitus eos Apoſtolorum effatis venerationem deferre, & confeſſione ſuâ ſubſcribere cogis? *Diſcant illi magis à te reſurrectionem carnis confiteri*, QUAM TU AB ILLIS NEGARE. Id nimirum ego tum vobis, tum mihi faciendum dico. Dediſcat ſanè quisquis nobiſcum verſatur impiam ſuperbiæ ſuperſtitionem, & quem antea affectionibus ſuis cultum impendit, abroget atque ejuret. Abſit verò ut nos cæcorum ductu & exemplo ſeducti cogitationes noſtras ad ſervilem conditionem, & terrenarum cupiditatum humilitatem deprimamus. Id profectò effectum dabimus, ſi quodlibet dictum noſtrum velut è Pauli ore fulmen excuſſum erumpet, & quodlibet colloquium fallaces Mundi ſpes, rerúmque caducarum ambitionem omnem quodam veluti ſacrarum ſententiarum pelago ſuperobruet, atque ſubmerget. Quî verò Torrentes iſtos ora noſtra effundent, ſi fons

Ep.61.ad Pamma. To.17.262.

fons desit in animo, undè illi scaturiant? Nempe sacrorum Voluminum assidua lectio, & cœlestium præmiorum attenta meditatio, soli demum piorum sermonum fontes sunt: qui si exarescant, fieri non potest, ut illi exundent. *Si rivus tenuiter fluit*, NON EST ALVEI CULPA, SED FONTIS. Quod argumentum tanti momenti est, ut expendi tractaríque uberiùs, cùm similis opportunitas se dederit, mereatur. Nunc eadem, quæ Orationis principio dixi, in fine repeto: nempe nos, si de Deo, uti solemne ac perpetuum Aloysio fuit, colloquamur, tum Præceptorum, tum Consiliorum Christi retinentissimos fore. *Os Justi meditabitur Sapientiam, & Lingua ejus loquetur judicium, Lex Dei ejus in corde ipsius.* Nec est ulterius quidquam, quod ad instauranda ritè Vota, & vitam in amplexu Crucis cum insigni virtutis lucro, & famâ Sanctitatis exigendam desiderari posse videatur.

S. Hieron. Ep. 77. To. 17. 299.

Ita voveo; ita spero.

INDEX
RERUM PRÆCIPUARUM
Numerus Paragraphum Indicat.

A

ABrahamus ad loca quælibet perinde affectus §.121.
Ne Barbaras quidem, & superstitione contaminatas Regiones excipit. 123.
Summam vitæ perfectionem ab eo, cùm Filium educaret, exigere Deus occepit. 84.
Absalon in Patrem contumax ad mortem urgetur, nec ulla ad eum servandum Regis cura proficit. 47.
Adamus in vultu primùm animatur, divino consecratus afflatu. 127.
Rebus ad vitam necessariis priùs instruitur, ac subinde præceptis ad virtutem formatur. 31.
Ægypti spolia sine Paschalis Agni Mysteriis nihil utilitatis afferunt. 23.
Ærumnæ, vide Calamitates.
Agnus, non Leo, volumen obsignatum aperit. 21.

B. Aloy-

B. Aloysius ad Vitam Religiosam animum adjecit Scholasticorum nostrorum Modestiâ permotus. 132.

Ambarum & Moschus Modestiæ Symbola. 129. 140.

Arca Dei, dum capitur, Sinagogam evertit. 108.

Aurum intra humum formatur, supra terram lilium efflorescit. 3.

Quia nullam sui partem deperdit, Civitatem Dei construit. Argentum verò quia lineas producit, minuitúrque, Cælo excluditur. 53.

B

Balsamum fragrantiam è ramis suis diffundit. 140.

S. Basilius eruditione semet armavit. 16.

Subditorum suorum corporibus primùm, tum animis consulit. 30.

S. Bernardus optabat Monachòrum suorum linguas ab Angelo carbone sacro emundari. 150.

C

Cadaver divina Contemplantium imago. 107.

Calamitates magno, constantíque animo ferendæ. 120.

Levantur, cùm studia virtutum resumuntur, ac pristinus ardor instauratur. 117.

Remis-

Remissum fervorem postliminio intendere cogunt. 115.116.117.118.

Religiosos Ordines premunt, castigando illorum tepori immissæ. 113.114.115.

Cervus non sapore, sed prædâ placet. 18.

Cham delirat, sed Noë dormiebat. 86.

Diris devotus ob irrisum patrem. 48.

Chirurgus ægrum curat reluctantem licet, ac ejulantem. 40.

Cibi Animæ nunquam satis digeruntur. 143.

Clerici immodesti à S. Ambrosio rejecti, à Fide defecerunt. 142.

Colloquia Religiosa pietatem ingenerant. 156.

Eadem cùm de rebus divinis instituuntur sanctitatem corroborant, & confirmant. 148. 149.150.151.

Unà cum illis Animæ Vita decedit. 152.153.

Necessaria Veteranis juxtà, & Novitiis. 154.

Ambiguis sententiis involuta, vituperatione dignissima. 155.

Seria & Religiosa Conviviis quoque adhibita profanos homines movent. 157

Colossus Babylonicus Religiosos impatientes notat. 9.

Ex auro in argentum degenerans, in glebam denique desiit, ac penitus corruit. 57.

Detractâ Cretâ, omne reliqui metalli pretium amisit. 67.

Cometa vel unus Cælum omne funestat, & Orbem perturbat. 145.

Confessarii graves ac serii se se accusantium animos à vanitate ac luxu avertunt. 156. 157.

Consiliarii Disciplinæ studium improbantes Deo invisi. 63. 64. 65. 98.

Urbanitatis specie licentiam pessumdent. 65.

Non statim eam stragem edunt, quâ subinde proborum virtus opprimitur. 66. 67.

Prava suadentes detestandi, nullatenus verò audiendi. 72.

Egregiæ virtutis studiosis damnosissimi. 60. 63. 97. 98.

Prioris ætatis virtutes tacent, labes atque errores referunt, cum insigni Tyronum ac juniorum pernicie. 69. 70.

Consiliarius pravus is quoque censendus est, qui licet ore taceat, exemplo clamat. 68.

Consuetudines Religiosæ accuratè serventur. 90. 93.

Christus ob Modestiam à Paulo commendatus 128. 136.

Abest ab iis Cœtibus, in quibus nulla de Deo colloquia. 150. 152.

Ob Modestiam à Dæmone homine major existimatus. 128. 135.

Primùm docet, deinde sanat. 35.

Semper ex alio in alium locum ac Provinciam migrat. 123.

Quadraginta dies jejunus exigit, at verò tri-

triduum esurire populum, haud patitur. 34.

S.Christophorus tormentis superior per Meditationem efficitur. 110.

*Currus Ezechielis.*122.123.154.

D

*David Filiis suis peccandi ansam peccato suo præbuit.*87.

*Repente in fœda flagitia præceps ruit.*96.

Deus ad inferendum sermonem de nostris necessitatibus se demittit. Id exemplum Præses Religiosus imitetur. 32.

Sæpenumero à Nobis haud obtinet, quod à Nobis aut cognati sanguinis amor, aut gloriolæ studium impetrat. 79.

Dotes, tum animi, tum corporis, si virtute destituantur, plurimum obsunt. 25.27.

Vide Sapientia *Disciplinæ non incommodet.*

E

Educatio Filiorum summam à Parentibus Virtutem requirit. 54.56.

S.Elizabetha tum denique natâ prole lætatur cùm Prophetam fore præsensit. 25.

Elisæus revixisse puerum credit, postquam hic oculos aperuisset. 103.

Eva peccat, quia videt. 141.

*Cùm se non morituram credit, mandata frangit.*77.

Exem-

Exemplum bonum Veteranorum, Juvenum virtutem plurimùm promovet. 71.80.81.
Ad reformandos subditorum mores severitate potentius est. 42.43.
Pravum, maximè seniorum, Juvenibus maximam perniciem affert. 82.83.84.85.86.

F

Fervor, seu studium virtutis, à spontaneâ inductione animi, non pœna, aut Præsidum metu proficiscatur. 74.75.76.77.78.79.
Neglectus aut contemptus, pœna est quovis supplicio gravior. 95.

G

Gallina ut pullos suos nutriat impasta permanet. 33.
Glans totam in se Quercûs amplitudinem continet. 67.
S. Gregorius Nazianzenus è Patre suo didicit, Diœceses exempli efficaciâ emẽdandas esse. 42.

H

Hebræi à Chaldæis attriti, Sancti efficiuntur. 116.
Heli quamvis Deo invisus, & in ordinem redactus, à Samuele observatur. 45.
Ob divinarum vocum contemptum unà cum Filiis à Deo rejectus. 93.

Hero-

Herodes Magos ab itinere nequaquam dehortatur. Illo pejores sunt, qui Religiosis Animis Disciplinæ studium dissuadent. 59 63.

S.Hieronymus Sectatorum suorum animos domabat. 157.

Hierosolymæ Christo jam triumphum, jam Crucem parant. 58.

Hortus Sponsæ quia conclusus, ideò fecundus. 126.

Humilitas Religiosa sublimium Cathedrarum & Graduum honores fugiat. 26.

Hydriæ Marmoreæ, non Vitreæ, aquam in vinum mutant. 52.

I

Idololatria ob externam Numinum suorum obscœnitatem infamis. 139.

S. Ignatius Societatem excultam litteris voluit. 13.

Indifferentia erga Domicilia, licet minùs instructa. 122. 123.

Erga Domus, licet fortè minùs Religiosas. 122. 123.

Indifferentia, quæ Mercatores ad varias Orbis Plagas jubet excurrere, Religiosis Viris potior esse debet. 121.

S. Joann. Baptista sanctitate vitæ, quàm asperitate vestis venerabilior. 148.

Jonas ipsis Nautis difficilior ad pietatem. 118.

San-

Sanctior cùm in Pisce, quàm cùm in navi degebat. 123.
Joseph, licet fugiendi supplicii certa illi spes fieret, peccatum committere recusat. 78.
Carcerem in Monasterium insigni in miseros caritate, & virtutum suarum exemplis commutabat. 43.
Judas à levibus initiis ac labeculis, in proditionis scelus prolapsus. 57.
Apostolicum navigium præsentis naufragii periculo exponit. 114.
Judith ad intermissam vitæ austeritatem post obtentam victoriam redit. 6.

L

Lazarus è sepulchro voce Christi erigitur. 104.
Limbus, seu ora vestis quovis alio ornamento pretiosior, quia Perseverantiam indicat. 50.
Libri, qui ad Mensam præleguntur, sint planè Spirituales. 92.
Libri profani, quamvis eruditi, non legantur. 12.
Lingua Religiosa Veterum virtutes, non vitia recenseat. 69. 70. 71.
Lothus uxorem amittit in proposito inconstantem. 55.
S. Lucas summâ eruditione præditus. 17.
Luxus curiosis oculis usurpatus in Religiosis animis virtutis ardorem restinguit. 144.

S. Ma-

M

SS. Machabæi Legis Mosaicæ retinentissimi. 5.
SS. Magi pronis corporibus Christum natum venerantur. 124.
Manna fastiditum, elanguisse virtutis studium notat. 92.
Contemptores suos ignitis serpentibus plectit. 55.
Maria Soror Moysis graviter punitur, quòd Fratri ausa esset obtrectari. 48.
Margaritæ Cœlo tonante pallescunt. 83.
Modestia solidæ virtutis Parens. 126. 128. 133. 134. 135. 140. 141.
Egregiæ virtutis insigne. 125. 128. 129. 137. 140. 141.
Ad pietatem moveat eos, qui nobiscum versantur. 129.
Necessaria iis quoque, quibus ætas provectior. 134.
Haud impunè negligitur. 132.
In vultum ab oratione Mentali transfunditur. 101.
Populi frequentiam vitet. 145. 146.
Vera Prædestinatorum nota. 129.
Propria Christiani hominis Tessera. 131.
Affabilitati pietatem & gravitatem conjungat. 130.
Neglecta Ordines Religiosos dehonestat. 132. 139.

S. Mo-

S.Monica cum Vidua Naim componitur,& præfertur ob eam curam, quam de Filio Augustino gessit. 28.
*Monstra usu atque arte domantur.*120.
Mortificatio quâ ratione facilis reddatur. 77.
Moyses ejúsque Virga urgendam conservandámque Disciplinam docent. 10.
Mundus Elementorum stabili ordine regitur. 2.

N

Ninivitæ ad Pœnitentiam prompti. 117.
Nox feras Belluas in clades nostras excitat. 109.
Novitii virtutis in speciem quidem studiosi, sed nullâ propositi constantiâ confirmati, nec prodigiis edendis, nec cælestibus donis recipiendis idonei. 50.51.52.
Novitius probus, cùm à Virtute deficit, maximam Sociis perniciem infert. 69.

O

Obedientia non impetrat, quod obtinet Amicitia. (79.
Commoda sua insuper habeat. 122.
Mercedem nec postulet, nec admittat. 122.
Cujuscunque Præsidis observans. 44.45.
Societatis hominibus pernecessaria. 54.
Oratio Mentalis summopere necessaria. 100.102.103.105.106.111.
Deficit, ubi Mentis integritas non abũdat. 111.
Neglecta vel intermissa lapsibus obnoxium facit. 105.106.107.109.
Negatur curiosis. 110.

Orator, qui emendicatam eloquentiam ostentat, ridetur. 75.

P

S. Paulinus eò accurrebat, ubi de Deo sermo serebatur. 153.
S. Paulus illuc festinat, ubi eum carceres & vincula expectabant. 122.
Perfectio Religiosa. Vide Fervor, seu Virtus.
Perseverantia in oblatis semel muneribus & votis nuncupatis maximopere necessaria. 49. & 50. 51. 52. 53. 54. 55. 56.
S. Petrus repentè perfidus ac perjurus. 96.
Præscriptorum rituum observantissimus. 4.
Ananiam ob perjurium, non ob injuriam sibi factam castigat. 41.
Phinees homines literis conspicuos, sed virtute defectos notat. 24.
Pictor eâdem arte Falconem pingit, quâ Papilionem. 137. 138.
Plumbum in Vas Sphæricum conformatum aquis innatat. 37.
Pœna non irrogetur priusquam de crimine constet. 40.
Prædestinati pro Tessera Modestiam habent. 129.
Prædestinatio securitatem suam à Perseverantiâ capit. 56.
Præmia bonis persoluta, improbos corrigunt. 39.
Principes Valetudinarii Medicorum imperia & repulsa patienter ferunt. 9.

Pro-

*Proposita sint firma, & à virtute dimoveri nes-
scia.* 52.53.55.57.

R

*Rebecca proprium dolorem, non verò gemino-
rum fratrum contentiones queritur.* 41.

*Regulæ Religiosorum Ordinum incolumitati
quantopere necessariæ.* 2.3.

Examussim serventur. 88.89.91.

*Vel cum vitæ periculo impendióque serven-
tur.* 4.5.6.7.8.12.54.

*Neglectæ monstrosos abortus pariunt, & fœ-
dis flagitiis aditum præbent.* 90.96.

*Violatæ quodam veluti stigmate reprobos
signant.* 89.98.94.95.

*Regulæ, ac ordinationes nimiùm multiplica-
tæ plus damni quàm utilitatis afferunt.* 36.

*Religiones, seu Ordines Religiosi omnes sancti
sunt, sed suas singuli Leges, ac ritus proprios
habent.* 1.3.

*Quamvis iis nihil internæ virtutis desit, exi-
stimatio tamen per quorumdam immode-
stiam decedit.* 146.

Quâ ratione deficiant, & pessumeant. 90.91.

Vel ob unius teporem periculum adeunt. 114.
145.

*Licet apud eos Virtutis studia floreant,
nunquam tamen pravos Consiliarios, & non
optimi Exempli Alumnos prorsùs effugiunt.*
61.62.

Sapientiæ illis, non ædificiorum ſplendor decus ac gloriam affert. 21.
Religioſi *à Secularibus Modeſtiâ magis, quàm veſte diſtingui debent.* 131.
Tepore reſoluti nullis calamitatibus emendantur. 119.
In virtutis ſtudio languentes pravis Conſiliis, & exemplis ferventes ſufflaminant. 60. 61.65.
Litterati Diſciplinam, ad demiſſionem animi ſectentur. 6.7.8.9.21.24.90.
Pertæſi primæ virtutis, Deo inviſi ſunt. 55. 56.
Novitii ac juniores ſibi vivant, & cœptum curſum proſequantur. 72.
Optimi, ſi quando degenerant, probis exitiales. 68.
Optimi degenerare in peſſimos poſſunt. 58.
Loca populo frequentia vitent. 145.146.
Cùm de rebus profanis diſſerunt, è Cherubinis in Boves mutantur. 154.
Qui eo nomine digni ſunt, profanis hominibus nullos ad honores conſectandos ſtimulos ſubdunt, ſed à luxu ac faſtu eos revocant. 156. 157.
Religioſus *primævæ virtutis deſertor.* 79.
Remunerationes. *Vide* Præmia.
Repulſæ *à probis Religioſis prompto animo ferantur.* 9.
Reſpectus *humani Religioſo animo indigni.* 5.
Roma

Roma vitiorum suorum exemplo plus Orbi, quàm Vienna nocebat. 82.
Rubus Mosaicus studiis operam navantium imago. 19.
Ardet, nec tamen consumitur, quia Deum sustinet. 110.

S

Sanctitas in vultu efflorescit. 125.
Varia nec eadem in omnibus. 3.
Sapientia honores & immunitates fugiat. 26.27.
Magistros habeat, nec cavillatores, neque nimios ac prolixos. 118.
Neque Cathedras ambiat, nec splendida munera. 26.
Non incommodet Disciplinæ, nec virtutis ardorem restinguat. 20.
Sua rebus divinis tempora non suffuretur. 20.21.
Necessaria Zelo Animarum. 17.
Quàm Societati propria. 13.19.
Ecclesiæ præsidio est. 14.15.16.
Vitæ austeritate paratur. 21.22.
Disciplinæ studio perficitur. 20.21.27.
Virtutis expers probro, non decori est. 23.24. 25.27.
Subtilitates, & novitatem fugiat. 18.
Eò magìs in Religiosis Ordinibus floret, quò hi Disciplinæ sunt observantiores. 27.
Virtuti utilissima. 14.

Summam à Discipulis suis diligentiam requirit. 19.
S. Satyrus aspectu ac sermone modestissimus. 127.
Saül Rex à Pythonissâ omni obsequio cultus quamvis adjudicatum morti sciret. 46.
Scholastici Religiosi laborē ac secessum ament. 19.
Ambitiosi, & genio suo velificantes nihil bonæ frugis promittunt. 19.
Serpens capiti cavet, cæterum corpus negligit. 106.
Seth, atque ejus Posteri Modestiâ insignes. 129.
Silex nisi tundatur, non scintillat. 26.
Sinapi, quò magis atteritur, eò magis vigorem exerit. 116.
Sol inobscuratus facit, ut è Cælo stellæ cadant. 86.
Solitudines Nitriæ à Tepidis Anachoretis infectæ. 62.
Studia litterarum in Societate multis aliis austeritatibus æquiponderant. 19.
Stuppa incensa perfunctoriè litteras discentium imago. 19.
Subditi Religiosi Superiores suos probos juxta improbósque observent. 4[illegible].45.46.47.48.
Superior seu Præses Religiosus viros Litteratos humaniter habeat. 26.
Aversetur irreligiosos, non ideo quia gubernationis suæ famam minuunt, sed quia Regulas nostras violant. 41.
Disciplinam in suo vigore conservet. 10.11.
Malit accusati innocentiam comprobare,
quàm

quàm vitium: neque Quæsitor potiùs, quàm Pater esse velit. 41.
Castiget, ac premat Disciplinæ violatæ reos; remuneretur, & extollat studiosos. 10. 38. 39.
Ne quærat placere Regularum incuriis. 10.
Urgeat Subditorum perfectionem. 35.
Studiosè prospiciat subditorum corporum necessitatibus. 29. 31.
Forti animo ulciscatur Legirupas, nec eorum sermonibus moveatur. 10. 40.
Plus spirituali colloquio proficit, quàm injunctis imperiis, & pœnis inflictis. 36.
Domum cui præest, exemplo magìs morum suorum, quàm pœnæ metu emendet. 42. 43.
Emendet & ad sanctitatem tepidos quoque promoveat, cùm & hi quoque in viros perfectos evadere queant. 37. 43.
Negligens sui, providus in Subditos suos sit. 33. 34.
Patienter ferat, si subditi de victu ac vestitu aliquando querantur. 33.
Susanna plaudente Populo absolvitur, qui in eam lapides sustulerat. 41.

T

Templa quo maximè tempore à Religiosis hominibus adeunda. 145.
Tentationes Tepidis improvisæ superveniũt. 96.
Theologia quàm necessaria sit Ecclesiæ Administris. 17. Vide Sapientia.

Tepor

Tepor fervori succedens graviter punitus. 54. 75.92.

A levibus initiis ad extrema Vitiorum prolabitur. 57.

Corrigitur ab Oratione Mentali. 104.

Turba pia quidem, sed instabiles à Christo rejecta. 51.

V

Vapor è lacunis sublatus non continuò in fulmen accenditur, & agros vastat. 66.

Varietas virtutum necessaria Religiosis. 3.

Via lutulenta, quamvis ad præclaras Urbes ducat, vitetur. 139.

Virtus umbratilis & ad speciem conformata, sed fragilis, & nullis nixa radicibus, Divinis favoribus indonata remanet. 50.

Vitulus Matris ubera importunè premens, ab eâ sustinetur. 33.

Voces Divinæ in Regulis & ordinationibus expressæ. 88. *Vide* Regulæ.

Vota Religiosa pro cujusque Cœtûs præscripto serventur. 2.

Z

Zeuxis Tabulam lacerat, quòd in eâ uvas feliciùs quàm Puerum pinxisset. 130.

Zizania magìs puniuntur, cùm probo Tritico Granarium reseratur, quàm cùm sibi fornacem accendi intelligunt. 39.

O. A. M. D. G.